De

Verbo Dei Revelato.

Summa

praelectionum, quas in C. R. Universitate Oenipontana

habuit

Josephus Müller S. J.

Liber in privatum auditorum usum ordinatus.

WITHDRAWN
EX LIBRIS PROVINCIA
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU

Oeniponte.

Typis Feliciani Rauch.

1906.

220.01
M947v

7061
WITHDRAWN
The Catholic Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Prooemium.

1. Argumentum et inscriptio tractatus. — Postquam in tractatu de vera religione existentia vel veritas revelationis christianae demonstrata est, in praesenti tractatu iam in ipsum verbum Dei revelatum eiusque ad homines habitudinem accuratius inquirendum est; sive examinandum est, qua ratione quibusve mediis doctrina divinitus per prophetas, Christum Dominum, Apostolos revelata sine corruptione et depravatione ad nos perveniat, pura et integra inter homines conservetur necnon eadem substantialiter manens progrediatur et evolvatur. Quae cum ita sint, diversi intelliguntur tituli, quibus hic tractatus a diversis theologis inscribi solet. 1.

1) Et a multis quidem *de fontibus revelationis* inscribitur, quia explicat, ex quibus fontibus vel quasi canalibus doctrinam revelatam puram et sinceram haurire possimus. — Quia vero fontes revelationis in scriptura et traditione continentur, ideo a pluribus tractatus concreto nomine *de scriptura et traditione* vel vice versa *de traditione et scriptura* denominari solet.

2) Ab aliis iterum *de locis theologicis* inscribitur, quia in eodem inquiritur in sedes argumentorum, quibus scientia fidei paritur; haec vero loci theologici ratio primario et propriissime scripturae et traditioni convenit. Cum enim scientia fidei vel theologia nihil aliud sit, quam verbi Dei revelati explicatio, demonstratio, scientifica evolutio, sane appellatio 2.

loci theologici primario et propriissime iis convenit, quae verbum Dei revelatum continent; secundario autem omnibus tribui potest, quae ad idem verbum illustrandum, confirmandum, vindicandum, pervestigandum, evolvendum natura sua aliquid conferunt. Iam vero verbum Dei solum quidem in scriptura et traditione continetur atque ex eisdem eruitur, sed variis disciplinis humanis imprimis philosophia tamquam adminiculis vel ministris accersitis explicatur et evolvitur. Ergo ratio loci theologici primario et propriissime fontibus revelationis, secundario disciplinis quibusdam humanis convenit.

3. 3) Eodem fere sensu, alio tantum nomine nuncupato, tractatus ab aliis appellatur: *de principiis theologicis*. Etenim cum secundum *S. Thomam* „omne, a quo aliquid procedit quomodocunque" (S. th. 1 p. q. 33. a. 1.) principium esse dicatur, locos theologicos sive sedes argumentorum theologicorum principia theologiae vocare licebit, quia ex iis theologia procedit ad suas conclusiones statuendas, comprobandas, explicandas.

4. 4) Denique re accuratius inspecta praeplacet inscribere tractatum *de verbo Dei revelato*, quia eo nomine obiectum eiusdem accurate prorsus et adaequate exhiberi videtur. Nihil enim in toto tractatu in considerationem venit, nisi quatenus ad verbum Dei revelatum refertur; atque nihil ad idem verbum Dei revelatum proxime refertur, quod non item ad hunc tractatum spectet necnon in eodem a multis tradatur. Quod manifeste patet consideratis v. g. scriptura, traditione, SS. Patrum auctoritate aliisque.

5. ***2. Summa et caput dissensionum de verbo Dei revelato inter catholicos et protestantes.*** — Ad verbum Dei revelatum communicandum, conservandum, explicandum spectat radicalis et fundamentalis dissensio, quae reformatores vel protestantes a catholica ecclesia dividit; quare hanc dissensionem ante ipsam tractationem paucis exponere praestat.

1) *Doctrina catholica.* — Summa doctrinae catholicae de verbo Dei revelato secundum *concilium Tridentinum* haec capita complectitur:

a) Verbum Dei revelatum in libris scriptis s. scripturae V. et N. Testamenti, cuius utriusque Deus est auctor, necnon sine scripto traditionibus continetur. Scilicet statuit s. synodus: „hanc veritatem et disciplinam (revelatam) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt“ (Sess. 4. decret.).

b) Tamquam medium vel organum ad verbum Dei sive scriptum sive traditum conservandum et propagandum magisterium authenticum institutum est, quod perpetuam successionem apostolicam in ecclesia complectitur: „(S. synodus) orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et *continua successione in ecclesia catholica conservatas*, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur“ (Ibid.). 6.

c) Denique interpres et iudex authenticus scripturarum et ex paritate rationis etiam traditionum magisterium ecclesiasticum est: „(Sacra synodus) decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat“ (Ibid.). 7.

Itaque secundum doctrinam catholicam regula fidei obiectivae (sive verbi Dei revelati) mediata et remota scriptura et traditione constituitur; regula fidei proxima ipsa ecclesia vel magisterium ecclesiasticum est. Vel aliis verbis: Norma sive, ut aliqui loquuntur, principium formale fidei obiectivae secundum doctrinam catholicam ita enuntiatur: *A Deo revelatum ideoque propter auctoritatem Dei revelantis credendum omne illud est, quod ecclesia verbum Dei scriptum vel traditum esse docet et praedicat.* 8.

9. 2) *Doctrina protestantismi.* — Ex adverso protestantes omnino opposita principia statuunt:

a) Et primo quidem sacram scripturam unicum verbi revelati fontem esse ponunt atque traditiones quascunque hac dignitate spoliant. Ecquidem Apostolos Christi doctrinam praedicatione propagasse, atque eandem ea, quae ore, quam quae scripto docebant, vim habuisse non infitiantur; verumtamen affirmant, doctrinam scripto traditam extensione et amplitudine aequalem esse doctrinae ore communicatae; et, quod caput est, statuunt, doctrinam revelatam puram et incorruptam traditione transmitti non potuisse ideoque libros sacros necessario in locum praedicationis apostolicae successisse atque unicum iam revelationis fontem constituere.

10. b) Deinde ex eorundem mente scriptura sacra ipsa nequaquam magisterio ecclesiastico, sed omnibus indiscriminatim fidelibus conservanda et propaganda tradita est; magisterium enim ecclesiasticum nullum institutum est.

c) Hinc denique nullus exstat scripturarum nec traditionum interpres authenticus; sed ipsa scriptura sua perspicuitate, qua saltem quoad res fidei pollet, semetipsam explicat, vel Spiritus Sanctus in ipsa et per ipsam loquens eiusdem legitimus interpres est.

11. Itaque secundum protestantes regula fidei obiectivae sive verbi Dei revelati mediata et remota sola scriptura continetur: regula fidei proxima scripturae perspicuitate vel Spiritu Sancto in ea et per eam loquente constituitur. Aliis verbis: secundum protestantes norma sive principium formale fidei obiectivae ita enuntiandum est: *A Deo revelatum ideoque fide christiana credendum omne et solum illud est, quod in s. scriptura contineri cognoscitur.* Ita v. g. *formula concordiae*: „Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti . . .“ (n. 1.).

12. ***3. Ordo et divisio tractatus.*** — Quae notata sunt, capita dissensus inter doctrinam catholicam et Protestantium

opinationem, satis manifestant, de quibus quaestionibus et quo ordine tractandum sit. Et *primo quidem de traditione agendum est;* cum enim traditio pleno sensu sumpta ipsum magisterium authenticum comprehendat, a traditione hoc sensu sumpta pendet tum conservatio tum agnitio tum interpretatio et intelligentia scripturae; quare logica procedendi ratio postulat, ut tractatio de traditione praecedat, ea vero de scriptura subsequatur. *Secundo igitur loco de altero revelationis fonte, de scriptura agendum est.* Et graves quidem, quae in ea tractatione occurrunt quaestiones, eo securius, accuratius, facilius solventur, quo melius et profundius principia catholica de traditione perspecta fuerint. *Tertio denique loco tractanda venit quaestio de perfectione et progressu vel evolutione verbi revelati;* haec enim quaestio nonnisi accurate perspectis principiis catholicis de traditione et scriptura solvi potest. Itaque in tres quaestiones praesens tractatus commode dividitur:

Quaestio prima: De primo fonte revelationis sive de traditione.
Quaestio altera: De altero revelationis fonte sive de scriptura.
Quaestio tertia: De revelationis perfectione et progressu.

13. ***4. Momentum tractatus.*** — Ex praemissis intelligitur, quam gravissima praesens tractatio habenda sit. Etenim *primo* quaestiones solvendae in se spectatae prorsus fundamentales sunt, quia de principiis vel normis fidei obiectivae necnon theologicae cognitionis agitur. *Praeterea* re polemice spectata ipsum fundamentum haeresis protestanticae in considerationem venit et evellendum est. *Item* contra modernos protestantes rationalistas iam alter revelationis fons vel veritas et auctoritas scripturae vindicanda est. *Deinde* contra novam evolutionismi haeresin totam rationalismo imbutam vera de revelationis progressu vel evolutione theoria statuenda et tuenda est. *Denique* totius tractationis momentum inde etiam maxime crescere perspicitur, quod recentiore aetate vel inter theologos catholicos titubatio quaedam, dissensio et controversia circa fundamentales illas quaestiones orta est necnon eae sententiae assertae sunt, quae nunquam asserendae erant, atque veritates quoque plures in dubitationem vocatae sunt,

quae nunquam ulli dubitationi exponi debuerunt. Quare in hoc imprimis tractatu quantum fieri potest. caute, accurate. solide procedendum est.

14. ***5. Notitia historica.*** — *In antiquitate christiana* quidem praesens tractatus de verbo Dei revelato in systema integrum redactus non est: verum SS. Patres praesertim occasione sumpta ab erroribus haereticorum eorumque contra doctrinam catholicam insultibus, atque insigni quidem scientia et industria plura capita doctrinae huc spectantia ex professo et singillatim explicarunt et vindicarunt. Praeter *Irenaeum*, *Originem* et *Clementem Alexandrinum*. qui plures quaestiones de gnosi christiana contra gnosticos haereticos egregie tractaverunt, imprimis nominandi sunt *Tertullianus* et *Vincentius Lirinensis*, quorum prior in opusculo *de praescriptione haereticorum* argumentum praescriptionis ad theologiam adhibens, catholicam de traditione doctrinam adversus haereticos fortiter et nervose vindicavit: alter vero in celeberrimo *commonitorio* non solum traditionem catholicam exponit et vindicat. sed etiam iam ex professo de dogmatum evolutione scite tractavit.

15. Neque *medii aevi theologi* doctrinam ad verbum Dei revelatum spectantem in integrum systema redegerunt; verum ipsi quoque. prout necessitas ex haeretica impugnatione orta postulabat. singulares quasdam quaestiones huc pertinentes diligenter inquisiverunt et v. g. habitudinem rationis ad verbum Dei revelatum solide et profunde explicarunt. *S. Thomas* imprimis in operibus suis multa sparsim ex professo tractat. quae ad hunc tractatum spectant, ut v. g. S. th. p. 1. q. 1.: 2. 2. q. 1.: de verit. q. 11.: in Boëthium de Trinitate q. 2. et alibi: ubique vero fundamentalia huius tractatus principia vel supponit vel etiam diserte adducit.

16. Demum *saeculo 16.*, quando reformatores magnam protestantismi haeresin instaurabant atque ipsa principia christianae gnosis corrumpebant. theologi catholici totam huius tractatus doctrinam diligenter excoluerunt atque in integrum systema redegerunt. Praeivit *Melchior Canus* egregium opus edens de locis theologicis; eum subsecuti sunt deinceps alii

validissimi catholicae veritatis defensores, ut *Cardinalis Bellarminus*, *Cardinalis Perronius*, *Stapleton*, *Gregorius de Valentia*, *Becanus* aliique plures, de quibus conferatur *Hurter*, Nomenclator, tom. 2. *Saeculo 18.* argumentum resumpsit et methodice tractavit *Kilber* in theologia Wirceburgensi.

Denique *recentiore aetate* propter rationalismum inter pro- 17.
testantes continuo progredientem necnon novas quasdam inter Catholicos ortas quaestiones theologi catholici vel totum hunc de principiis christianae gnosis tractatum vel singulares quasdam huc pertinentes quaestiones novis curis excoluerunt. Ex multis, qui huc pertinent, quosdam nominatim referre praestat: *Möhler*, Symbolik, p. 1. c. 5.: *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit. Bd. 1. 4. 5.: *Hettinger*, Fundamentaltheologie; *Newman*, die Entwicklung der christlichen Lehre: *Perrone*, de locis theologicis: *Franzelin*, de traditione et scriptura: *Scheeben*, Dogmatik, 1. Bd.: *Heinrich*, Dogmatik. Bd. 1. u. 2.; *Didiot*, Logique surnaturelle: *De San*, de traditione et scriptura: *Billot*, de inspiratione s. scripturae; idem. de sacra traditione; *De la Barre*, la vie du dogme catholique: *Bainvel*, de magisterio vivo et traditione; *Schiffini*, de divinitate s. scripturae: *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift: *Pesch*, de inspiratione s. scripturae.

Quaestio prima.

De Traditione.

Articulus primus.

De exsistentia Traditionis.

Thesis 1. Praeter scripturam etiam traditionem tamquam verum et proprie dictum fontem verbi Dei revelati exstare, imprimis ex ipsa scriptura et maxime quidem ex illis testimoniis manifestum est, quibus institutio magisterii authentici refertur.

Declaratio.

1. ***1. Notio et divisio traditionis.*** — Ne in usu terminorum ulla sit ambiguitas, ab initio notio traditionis explicanda eiusque divisio statuenda est.

1) *Notio.* — Terminus traditionis generalissime acceptus dicit omnem doctrinam vel institutum quodcunque a maioribus promanans, quod sive scripto sive voce sive praxi ad posteros pervenit. Quo sensu generalissimo de traditionibus profanis et sacris, necnon de traditionibus gentilium, iudaeorum, christianorum sermo esse potest et est. Iamvero in hoc tractatu terminum traditionis in sensu restricto ad traditiones christianas sumi per se patet. Qua restrictione facta traditio adhuc sumitur triplici modo, scilicet latius, stricte, strictissime.

2. *Sensu latiore* traditio dicit omnem doctrinam sive institutum quodvis, quod ex temporibus anteactis christianis quocunque modo sive scripto sive viva voce sive praxi ad posteros pervenit: quo sensu traditio a scriptura non contra-

distinguitur, sed eam tamquam partem sub se comprehendit. Atque hoc sensu v. g. Apostolus dicit: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* (2 Thess. 2, 14.). Eodem sensu etiam SS. Patres vocem adhibent: v. g. *Clemens Alexandrinus* scripturam vocat traditionem scriptam (Strom. 6.), necnon *Cyprianus* doctrinam Domini in scriptura consignatam traditionem Dominicam appellat.

Sensu stricto autem traditio significat doctrinam, quae et 3.
quatenus medio a scriptura diverso ad posteros pervenit, sive eadem doctrina simul in scriptura continetur, sive non continetur. Manifestum est, traditionem sic spectatam a scriptura quidem differre eique opponi spectato modo transmissionis, non autem necessario, si ipsa doctrina tradita spectatur. Atque hoc sensu Patres saepe vocem traditionis adhibent, ut v. g. *Irenaeus*, adv. haereses, necnon *Tertullianus*, de praescriptione haereticorum.

Denique *sensu strictissimo* traditio designat doctrinam 4.
vel notitiam, quae et quatenus in scriptura non continetur ideoque alio medio a scriptura diverso i. e. orali praedicatione primum communicata et transmissa est. Dixi *primum*, quia nihil obstat, quominus talis notitia in s. scriptura non contenta postea aliis scriptis transmittatur et propagetur. Manifestum autem est, traditionem ita acceptam tum spectato obiecto vel re tradita tum modo communicationis considerato a scriptura contradistingui. Quo sensu traditio saepenumero tum a SS. Patribus tum a theologis tum a magisterio ecclesiastico accipitur. Ex Patribus conferri possunt v. g. *Irenaeus*, c. haer. l. 3. c. 2.; *Tertullianus*, de praescr. c. 19.; *Basilius*, de Spiritu S. c. 27.; *Chrysostomus* in 2. Thessalonic. hom. 4.; *Augustinus*, de baptismo l. 2. c. 7. — Iamvero in praesenti tractatione, terminus maxime secundo, sed etiam non raro tertio sensu usurpatur: qui vero sensus in singulis locis supponendus sit, facile ex contextu constabit.

Porro traditio quovis sensu accepta iterum duplici vel 5.
triplici modo sumi potest: aut *active* sive *subiective* sive *formaliter* aut *passive* sive *obiective* sive *materialiter* aut *com-*

plexive. — Et traditio quidem *passive* sive obiective sive materialiter sumpta dicit ipsam rem vel notitiam, quae communicatur: *active* autem sive subiective sive formaliter sumpta est actus, sive organum sive medium, quo res vel notitia ad posteros transmittitur vel iis communicatur: denique *complexive* sumitur, si utrumque elementum simul consideratur, nimirum si res tradita simul cum medio vel organo transmissionis spectatur. Atque hoc modo complexivo traditio in theologia communiter accipi solet, quia scilicet illa duo elementa correlativa sunt atque se invicem postulant.

6. 2. *Divisio.* — Iam traditiones sacrae vel christianae multifariam dividuntur.

Et *primo quidem ratione originis* vel fontis, ex quo promanant, aliae traditiones *divinae*, aliae vero *ecclesiasticae* dicuntur, prout nempe tamquam auctorem immediatum vel Deum ipsum revelantem vel ecclesiam aliquid ordinantem habent. *Traditiones apostolicae,* quae dicuntur, vel ad illas vel ad has pertinent, secundum quod in eiusmodi traditione Apostoli aliud et aliud munus exercuerunt. Nimirum Apostoli duplici modo spectari possunt: primo tamquam praecones verbi Dei revelati; secundo tamquam ecclesiae pastores et rectores, atque ut tales leges ferre et instituta condere poterant, quae ad finem ecclesiae conducerent. Hinc igitur traditio apostolica ad traditiones divinas pertinet et *apostolico-divina* dicitur, quando in eadem Apostoli se mere ut promulgatores vel praecones habuerunt: traditio apostolica autem *apostolico-ecclesiastica* est, quando in ea Apostoli ut legislatores vel institutores agebant. Ad traditiones apostolico-ecclesiasticas v. g. ieiunium quadragesimale pertinere videtur. Ad dignoscendas autem traditiones apostolico-divinas ab apostolico-ecclesiasticis maxime consideratio obiecti traditi confert: si enim hoc est doctrina vel institutum, quod nonnisi divinam originem habere potest, traditio est apostolico-divina; si vero obiectum non est eiusmodi, indoles traditionis aliunde discerni debet. Traditiones divinas et apostolico-divinas refert et ab invicem discernit Concilium Tridentinum verbis supra (Prooem. n. 2) relatis; nulla autem valoris vel auctori-

tatis differentia inter eas est. Cum igitur hae traditiones immutabiles sint, traditiones apostolico-ecclesiasticae et magis etiam mere ecclesiasticae modificari, imo abrogari possunt; ratio est, quia potestas legislativa, qua inductae sunt, in successoribus B. Petri, Pontificibus romanis perseverat imminuta.

Secundo ratione materiae seu notitiae, quam continent, traditiones sunt aut *dogmaticae* aut *disciplinares*, prout scilicet continent vel doctrinam ad fidem seu morum honestatem pertinentem vel legem seu institutionem, quae externum ecclesiae seu fidelium regimen spectat. 7.

Tertio item ratione materiae traditiones dividuntur in *necessarias* et *liberas*. Necessariae scilicet eae sunt, quae obligationem continent aut veritatis certo tenendae aut actionis ponendae: liberae vero sunt, quarum obiectum est vel doctrina non certa sed probabilis vel ordinatio voluntatis non obligans, sed consulens.

Quarto ratione habitudinis ad scripturam sacram traditiones aliae sunt *inhaesivae*, aliae *declarativae*, aliae *mere orales*. Et *inhaesivae* quidem sunt, quarum obiectum etiam in scriptura explicite et clare continetur; *declarativae* dicuntur, quarum obiectum in scriptura nonnisi implicite vel obscure continetur; mere *orales* eae vocantur, quarum obiectum in scriptura nullo modo continetur. — Sedulo *notandum* hic est, protestantes quidem has voces adhibere, rem autem iis designatam non admittere. Et traditionibus mere oralibus nullam auctoritatem concedunt, traditionibus autem inhaesivis et declarativis aliud momentum non tribuunt, quam quod aliquando interpretationem vel intelligentiam s. scripturae iuvare possint, utpote cuius magis vel minus fidelis expressio sint. 8.

Quinto ratione extensionis localis vel *subiectorum* in quibus insunt, traditiones aut *universales* aut *particulares* sunt. Atque circa hanc divisionem animadvertendum est, universalitatem alicuius traditionis certum signum esse, eam vel ab ipso Deo vel ab Apostolis vel a summa auctoritate ecclesiastica originem suam ducere. Cf. *Augustinus*, de baptismo l. 4. c. 24. 9.

Sexto ratione durationis traditiones dividuntur in *perpetuas* et *temporales*. Patet autem traditiones divinas imprimis dogmaticas immutabiles ideoque perpetuas esse, ecclesiasticas vero, quae doctrinam non respiciunt, mutari posse.

10. *Denique septimo traditiones dividuntur etiam vel secernuntur pro diversitate organi*, quo immediate conservantur et communicantur. Cuiusmodi organa praecipua sunt, quae inferius accuratius determinabuntur; primo fides et unanimis consensus fidelium; secundo consensus Patrum ecclesiae et doctorum; tertio magisterium authenticum ecclesiae pastorum, sive in ordinaria fidei praedicatione sive in sollemnibus de fide definitionibus spectatur. *Animadvertendum* autem iam hic est, organum essentiale vel constitutivum et primarium esse ipsum magisterium authenticum: cetera enim omnia ab ipso hoc magisterio dependent eiusque virtutem participant. Ad omnia vero haec media vel organa magisterium nunc vivum recurrit iisque utitur ad decernendum, quid in traditione contineatur. Qua ratione etiam theologi procedunt atque procedere debent.

11. ***2. Praesentis quaestionis argumentum et divisio.*** — Iam in prima hac quaestione imprimis controversia supra relata cum protestantibus agenda est: i. e. explicanda et vindicanda est contra haereticos doctrina illa fidei catholicae fundamentalis, secundum quam non solum in scriptura verbum Dei revelatum continetur, sed traditio quoque medium est authenticum sive a Christo institutum et infallibile et prorsus securum, quo veritas revelata conservetur et propagetur; vel scopus tractationis est, demonstrare traditioni convenire veram et propriam fontis revelationis rationem. Primario igitur et essentialiter de modo conservationis et propagationis doctrinae revelatae, non autem de extensione doctrinae traditae in comparatione cum doctrina revelata scripta agitur. Et *primo* quidem exsistentia traditionis demonstranda est sive simpliciter ostendendum est, doctrinam revelatam non tantum in scriptura depositam et conservatam esse, verum etiam viva vocis praedicatione aliisque mediis a scriptura diversis conservari et propagari. *Secundo* ostendendum est,

quodnam exstet criterium generale et principale vel organum primarium et constitutivum traditionis activae, cui imprimis et essentialiter tribuendum est, ut doctrina revelata pura et integra conservetur et propagetur. Denique *tertio* inquirendum est, num exstent etiam secundaria quaedam traditionis criteria vel organa; atque eorundem ratio et auctoritas inquirenda est. Quare praesens quaestio triplici articulo commode absolvitur:

Articulus primus: De traditionis exsistentia.
Articulus secundus: De traditionis criterio vel organo primario.
Articulus tertius: De traditionis organis vel criteriis secundariis.

12. ***3. De modo argumentandi in hac quaestione necnon in toto tractatu.*** — Demonstratio in praesenti quaestione necnon in toto tractatu adhibenda sane potissimum ex ipsa scriptura et traditione petenda est. Iamvero contra hunc procedendi modum obiectio moveri potest et mota est, quae, nisi a principio removeatur, intelligentiam rei turbare vel impedire potest. Obiectio autem eiusmodi est: *Demonstratio omnis, quae ex scriptura et traditione hac in re petitur aut petitio principii est aut internam contradictionem involvit.* Et *primo* quidem petitio principii committitur, quatenus argumentatio ex traditione procedit, quia scilicet ex una parte ad probationis valorem praesupponatur oportet, traditionem fontem revelationis esse: ex altera autem parte hoc ipsum contra protestantes demonstrandum est. *Secundo* vero argumentatio, quatenus ex scriptura procedit, aut internam contradictionem aut iterum principii petitionem involvere videtur. Videlicet spectata ea argumentatione auctoritas et sensus scripturae aut independenter a traditione vel magisterio authentico aut vero ex ea cognosci dicuntur. In primo casu interna contradictio incurritur, quia ex una parte in demonstratione supponitur et implicite saltem affirmatur, de auctoritate scripturae independenter a traditione constare atque sensum eiusdem clarum esse neque interpretatione aliunde accepta indigere: ex altera autem parte vi systematis catholici asseritur, de auctoritate scripturae ex traditione constare

atque sensum illius obscurum esse atque interpretatione a traditione accepta egere. In secundo vero casu iterum principium petitur, quia ex una parte supponitur, traditionem esse fontem revelationis atque authenticum scripturae interpretem; ex altera autem parte id ipsum argumentatione instituta demonstratur. — Obiectio isthaec speciosa quidem est, sed in confusione plurium, quae accurate discernenda sunt, tota quanta innititur: quod quibusdam adnotatis facile intelligitur. Itaque:

13. 1) *Traditio duplici modo hac in re spectari potest: primo* quatenus fons revelationis est et valorem dogmaticum habet, quem catholici credunt: *secundo* quatenus communis antiquitatis christianae necnon aetatum subsequentium testificatio est atque valorem etiam historicum habet. Iamvero cum ex ipsa traditione valor dogmaticus eiusdem traditionis demonstratur, a traditione, ut valorem historicum habet, ad traditionem, ut valore dogmatico gaudet, argumentando proceditur. Ergo nullo modo, quod probandum est, iam supponitur neque igitur petitio principii vel circulus vitiosus committitur. Traditioni autem competere rationem testimonii historici infallibilis, argumentis philosophicis et historicis invictis demonstratur.

14. 2) *Item scriptura duplicem rationem habet*: *primo* liber inspiratus atque fons revelationis est: *secundo* rationem libri historici habet, cuius authentia et veracitas invictis argumentis philosophicis et historicis contra rationalistas demonstratur. Porro secundum doctrinam catholicam cognitio scripturae non sub hoc, sed sub illo respectu a traditione ut est dogmatica pendet; insuper secundum eandem doctrinam catholicam non tota scriptura ita obscura est et interpretatione ex dogmatica traditione accepta indiget, ut secus nulla eius testimonia intelligi possint, verum multorum locorum sensus solis adhibitis communibus et ordinariis interpretationis regulis clare eruitur. Quae cum ita sint, argumentatio instituenda a scriptura historice considerata ad traditionem dogmatice spectatam procedere posse intelligitur, quin ulla contradictio involvatur vel ulla petitio principii committatur.

3) *Argumentatio ex scriptura petita etiam spectato scopo eiusdem polemico omni vitio petitionis principii vacare intelligitur.* Etenim imprimis contra orthodoxos protestantes valor dogmaticus traditionis vindicandus est: iamvero hi cum catholicis scripturam tamquam libros irrefragabilis auctoritatis et divinitus inspiratos agnoscunt; ergo contra eos ex scriptura tamquam communi fundamento argumentatio institui potest. 15.

4) *Denique obiectio opposita neque tunc subsistit, quando argumentatio ex scriptura et traditione tamquam ex fontibus revelationis instituitur.* Quod sufficienter patet ex eis, quae alibi de methodo theologica in ipsa theologia fundamentali servanda disputata sunt (cf. De vera religione th. 8. n. 3. ss.); imprimis autem absoluto iam tractatu de vera religione hunc in modum explicatur. Divina ecclesiae catholicae auctoritas, ut ex tractatu de vera religione patet, independenter a scriptura et traditione tamquam fontibus theologicis spectatis invicte demonstratur. Cum autem haec ecclesia divina auctoritate manifeste insignita tum scripturam tum traditionem tamquam fontes revelationis suscipiendos proponat, eaedem ut tales fide sucipi possunt. Qua ratione fide iam supposita inquiri potest, quid hi ipsi fontes de exsistentia, essentia, attributis suis doceant. Atque haec procedendi ratio tum theologica sive dogmatica esse tum omni vitio logico carere intelligitur. Reipsa autem divinam ecclesiae auctoritatem independenter a scriptura et traditione tamquam fontibus revelationis consideratis invicte demonstrari, ex tractatu de vera religione satis patet. 16.

Iam his praemissis tripartita demonstratio exsistentiae traditionis tribus distinctis thesibus propter rei gravitatem instituitur, *primo* ex scriptura, *secundo* ex traditione, *tertio* ex rei natura et internis haereticae doctrinae contradictionibus.

Demonstratio.

Scripturae tam luculentam et abundantem doctrinae catholicae testificationem continent, ut in argumentatione potius 17.

modum et mensuram, quam abundantiam et integritatem sectari oporteat. Itaque ad triplex caput demonstratio ex scripturis petita revocatur.

1. Probatur ex oeconomia ab ipso Christo servata et instituta. – Imprimis considerandus venit modus, quo ipse Christus evangelium suum hominibus communicavit atque deinceps per Apostolos inter omnes gentes propagari iussit: ex hoc enim modo primae promulgationis facili et evidenti ratione patet, quo modo idem evangelium subsequenti aetate usque ad finem mundi secundum decretam Christi voluntatem propagari et conservari debeat.

18. 1) *Modus primae promulgationis et transmissionis refertur.* — a) Imprimis *ipse Dei Filius homo factus* et cum hominibus conversans evangelium regni sui non scriptis libris, sed viva vocis praedicatione personale magisterium exercens promulgavit. Item deinde, ut post suum ex hoc mundo discessum ad Patrem doctrina sua et instituta inter homines permanerent et propagarentur, eadem non scriptis libris fixit nec figere iussit, ex quibus singuli homines fidem suam haurirent: sed potius vivum magisterium instituit atque Apostolos sua auctoritate et potestate necnon Spiritus Sancti charismatibus instruxit atque magistros et doctores fecit, a quibus ceteri fideles in fide edocerentur, regerentur, sanctificarentur (Cf. Matth. 28. 18.; Marc. 16. 15.; Luc. 24. 47.; Ioan. 20. 21.; act. 1, 8.; ib. 9, 15.; Ioan. 14. 16.; 15, 16.; 16, 13.; Luc. 24. 49.; Act. 2.; 1. Pet. 1. 12.; Luc. 10. 16. etc.). Itaque Christus, quemadmodum *Chrysostomus* dicit, libros quasi vivos ipsos Apostolos non atramento, sed Spiritu Sancto scripsit: „Non enim Apostoli de monte descenderunt tabulas lapideas in manibus portantes sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes et thesaurum quendam et fontem dogmatum et charismatum effundentes: ita ubique circuibant libri et legum codices vivi per gratiam effecti" (In Matth. hom. 1. n. 1.).

19. b) Deinceps autem *Apostoli* mandatum, quod a Christo Domino et Magistro acceperant, probe sane intelligentes evangelium eiusdem ubique viva voce praedicarunt et propagarunt

et in eundem finem sibi episcopos substituerunt atque innumeras fere ecclesias instituerunt, priusquam ulli ss. libri N. T. conscriberentur. Quod testatur inter alios *S. Clemens R.*: „Itaque (Apostoli) acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crederituri erant" (ad Cor. ep. 1. n. 42. 44.). Insuper vero plerique nullum s. librum composuerunt; alii solum pauca quaedam litteris consignarunt. Tandem ea, quae reipsa scripserunt, speciali tantum occasione vel necessitate urgente, necnon ad particulares ecclesias vel imo singulares personas scripta esse, ex ipsis libris ss. manifestum est. Denique in iisdem ss. libris saepenumero specialia prorsus argumenta, specialibus personis necnon difficultatibus accommodata tractantur. Ergo ss. scriptoribus N. L. nullo modo propositum erat, integram doctrinam revelatam litteris consignare; atque certa eorum mentibus insidebat persuasio, imprimis non adeo scriptis libris, sed viva vocis praedicatione doctrinam revelatam ab ipsis annuntiandam, conservandam, praedicandam esse.

c) Quod magis etiam elucet *modo* considerato, quo Apo- **20.**
stoli iam scriptis libris ss. munus a Christo acceptum impleverunt. Scilicet non ad scriptos libros sacros solum vel imprimis dirigunt fideles instructionis circa revelationem et fidem accipiendae causa, sed ad episcopos institutos, ad oralem praedicationem atque adeo ad magisterium ecclesiasticum et traditionem eosdem remittunt. Quod manifestum est ex multis ipsius scripturae imprimis S. Pauli testimoniis ut v. g. Rom. 16, 17.: 1. Cor. 7, 17; 11, 23; 14, 33.; 2. Cor. 1, 18.; Gal. 1, 8.; Col. 2, 6. 7.; 2. Thess. 2, 14.; 2. Tim. 1, 13. 14.; 2, 2. etc. Ex quibus duo nominatim considerare praestabit.

Primum est 2. Thess. 2, 14.: *„Itaque fratres state: et* **21.**
tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram". In hoc enim loco de traditionibus ser-

monem esse non solum disciplinaribus, sed dogmaticis ad fidem et mores spectantibus tum manifestum est ex contextu et tota epistolae indole, tum ex priore ad eosdem epistola clare intelligitur: „*Gratias agimus, quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*“ (1 Thess. 2, 13.). Unde in illum locum apposite notat *Basilius*: „Arbitror, apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhaerere. *Laudo*, inquit *vos, quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis. Et tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam*“ (De Spirit. Sanct. c. 29.).

22. *Alterum testimonium* praeclarum est 2. Tim. 1. 12—14. coll. 2. 1—2 et 15—16.: „*Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor. Scio enim, cui credidi et certus sum, quia potens est, depositum meum servare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quae a me audiristi in fide et dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis . . . Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere . . . Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis; profana autem et vaniloquia devita*“. In hoc testimonio Apostolus manifeste tractat de ratione, qua verbum Dei revelatum ab ipso communicatum atque deinceps conservandum et propagandum sit. Iamvero tamquam medium conservationis et transmissionis unice assignat sermonem vel vivam vocis praedicationem, cui auditio et fides respondeat: sacram autem scripturam ne verbo quidem commemorat. Huic autem depositi revelati custodiae et transmissioni opitulaturum esse ipsum Spiritum Sanctum inhabitantem. Quibus sane nihil clarius esse potest.

23. Itaque prorsus manifestum est, in ortu religionis christianae atque prima eiusdem aera etiam iam scriptis libris sacris verbi revelati transmissionem, conservationem, propa-

gationem fundatam fuisse in apostolica praedicatione vel orali traditione; quod ipsum insuper etiam Christus praedixit in ultima coena affirmans, fideles per verbum eorum i. e. Apostolorum credituros esse (Ioh. 17, 20.). Unde manifesta doctrinae catholicae demonstratio exstat.

2) *Ex factis propositis argumentum struitur.* — Generatim loquendo de forma alicuius societatis deque fundamentalibus eiusdem legibus in perpetuum servandis non tantum ex apertis fundatoris declarationibus constat, sed etiam ex factis fundatoris necnon ex dictis et factis primorum rectorum eiusdem societatis ab ipso fundatore institutorum legitimum et certum indicium ferri potest. Etenim facta institutoris non ad historicum solum, sed ad iuridicum quoque ordinem pertinent et tamquam verba realia fundatoris voluntatem manifestant: dicta vero et facta primorum rectorum ad voluntatem fundatoris tamquam effectus ad causam referuntur ideoque pariter eam patefaciunt. Quare manifestum prorsus est, oeconomiam in verbo Dei revelato communicando, conservando, propagando a Christo adhibitam, Apostolis impositam, necnon ab his servatam suisque adiutoribus et successoribus praescriptam ad instar legis christianae fundamentalis esse, nisi indubiis prorsus testimoniis probetur, tali oeconomiae post mortem Apostolorum ex legitimae auctoritatis decreto derogandum fuisse. Atqui secundum oeconomiam illam primitivam verbum Dei revelatum communicabatur, conservabatur, propagabatur viva vocis praedicatione vel orali traditione; neque ullum scripturae testimonium constat, ex quo huic oeconomiae post mortem Apostolorum derogandum et scriptura tamquam unicus fons revelationis substituendus fuerit. Ergo eadem illa oeconomia primitiva ad formam religionis christianae pertinet et ad instar legis fundamentalis in perpetuum valiturae est. 24.

2. Ex disertis Christi verbis, quibus instituit magisterium authenticum, universale, perpetuum. — Christus magisterium ecclesiasticum in priore argumento notatum iis verbis instituit, ex quibus solis luculenta catholici dogmatis demonstratio derivatur, cuius summa his 25.

continetur: Christus ad doctrinam revelatam communicandam, conservandam, propagandam expressis verbis magisterium authenticum, universale, perpetuum instituit; atqui cum eiusmodi magisterio evidenter connexum est, traditionem esse verum fontem revelationis: ergo traditioni vera et proprie dicta ratio fontis revelationis aperte convenit. Tum maior tum minor facile et certo probantur:

26. 1) *Christus ad homines doctrina revelata informandos magisterium ecclesiasticum instituit.* – Imprimis considerandum est, hanc magisterii ecclesiastici institutionem, utpote rem gravissimi momenti, ab omnibus quatuor evangelistis necnon actibus Apostolorum et quidem ut testamentum quasi Christi, referri: Matth. 28, 18: Marc. 16. 15.; Luc. 24. 47.: Ioh. 15, 26.; 16, 13.; 21, 15.; Act. 1, 8. Praestat vero et sufficit verba Christi considerare, ut a Matthaeo, Marco, Actib. referuntur. Itaque Matth. 28, 18.: „*Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*". Marc. 16. 15.: „*Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae*". Act. 1, 8.: „*Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae*". Ex quibus verbis sane non solum institutio sed proprietates quoque magisterii ecclesiastici luculenter patent:

27. a) Et *primo quidem hoc magisterium universale est spectato obiecto* sive ambitu suo totum revelationis depositum complectitur. Etenim *primo* docere debent *quaecunque mandavit Christus;* Christus autem non solum agenda quaedam, sed etiam revelata quaecunque credenda mandavit. *Praeterea evangelium* sine restrictione praedicare iubentur: atqui evangelium simpliciter et sine restrictione dictum totam doctrinam revelatam continet: ergo. *Denique* ad obiectum huius magisterii omnia pertinent, quaecunque Spiritus Sanctus promissus Apostolos ad rite hoc munus obeundum docturus erat: atqui Spiritus Sancti promissi erat Apostolos docere omnem veri-

tatem i. e. omnia quae ad revelationis depositum pertinent. (cf. Ioh. 16, 12. 13.; 14, 26.).

b) Idem *magisterium universale est spectato termino* **28.** sive ad omnes omnino homines dirigitur. Quod *primo* expressis verbis dicitur: *Docete omnes gentes — praedicate evangelium omni creaturae — eritis mihi testes usque ad ultimum terrae.* Idem *secundo* patet inde, quod ex ipsius Christi verbis missio, qua misit Apostolos, similis illi missioni est, qua Deus Pater ipsum Filium misit (Ioh. 20. 21.): iamvero Christus ad omnes homines redimendos et restaurandos missus est; ergo.

c) Item *illud magisterium spectata duratione quoque* **29.** *universale est sive perpetuum*, i. e. usque ad finem mundi in Apostolorum successoribus perseverabit. Etenim *primo* Christus expressis verbis promisit, se apostolis ut doctoribus vel praedicatoribus verbi revelati adfuturum esse *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Scilicet haec verba, ut sibi constent et sensum habeant, immediate quidem ad Apostolos, sed mediate in ipsis ad eorum successores quoque diriguntur. *Praeterea* Spiritus Sanctus cum magisterio apostolico permansurus esse in aeternum promittitur (cf. Ioh. 14, 16--17. 26.; 15, 26. 27.; 16, 7--13.); ergo hoc ipsum magisterium apostolicum non sane in apostolis, sed in eorum successoribus in aeternum i. e. usque ad finem mundi permanebit. In hac enim significatione terminus in aeternum a s. scriptura adhibetur, ut patet v. g. ex Luc. 1. 55.; Ioh. 6. 52. 55.; 8, 51.; 10, 28.; 11, 26.; 12, 34.; 1. Cor. 8, 13.; 2. Cor. 9, 9.; Heb. 5, 6.; 7. 17. 21. 24. 28. *Denique* idem patet ex extensione locali praedicationis apostolicae, scilicet quod omnibus gentibus usque ad ultimum terrae evangelium praedicandum sit. Etenim hic scopus per Apostolos obtentus non est, sed in fine mundi tantum obtinetur (cf. Matth. 24, 14. etc.); ergo magisterium apostolicum in Apostolorum successoribus usque ad finem mundi perseverabit.

d) Praeterea *illud magisterium authenticum est.* Nam **30.** *primo* Christus ipsum divina sua potestate instituit, ut legationem suam inter homines continuet: „*Data est mihi omnis*

potestas in coelo et in terra" (Matth. 28, 18.). „*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*" (Ioh. 20, 21.). „*Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit*" (Luc. 10. 16.). *Praeterea* idem inde apparet, quod Apostoli in distinctionem ab aliis testibus etiam oculatis speciali modo tamquam testes vitae et doctrinae Christi exhibentur (cf. Luc. 24. 18.: Act. 1, 8.); scilicet ut testes speciali auctoritate insigniti erant. *Tandem* Apostoli ipsi tum expressis verbis tum tota sua agendi ratione specialem auctoritatem docendi verbum Dei revelatum sibi continuo vindicarunt (cf. Rom. 10. 15.: 2. Tim. 1, 11.; 1. Cor. 3. 9.; 4. 1.; 2. Cor. 5, 20.; 10. 4. 5.; Rom. 15. 18; 1, 5.; 1. Tim. 1. 3.; 2. Tim. 13, 14.: 3, 14.; 1. Tim. 6. 13. 14.; Rom. 16. 17.). *Denique* obligatio subiectionis versus hoc magisterium summa sanctione munita est: „*Qui non crediderit, condemnabitur*" (Marc. 16, 16.).

31. c) *Denique idem magisterium infallibile est.* Quod *primo* connexum est cum suprema eiusdem auctoritate, cui absoluta subiectio mentis et fides firma debetur; haec enim fallibili magisterio praestari repugnat. *Secundo* idem patet ex diserta promissione Christi: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* His enim verbis Christus asseverat se Apostolis eorumque successoribus ut docentibus verbum revelatum continuo et sine interruptione providenter adfuturum esse: atqui si hoc magisterium in suo munere vel semel erraret, eo ipso Christus ipsa veritas incarnata ei sane non adesset; ergo ex vi disertae promissionis Christi magisterium apostolicum infallibilitatis praerogativa gaudet. *Denique* item Apostolis eorumque successoribus ut praedicatoribus verbi revelati a Christo *Spiritus veritatis, docens omnia, suggerens omnia, quaecunque Christus dixerit, docens omnem veritatem* in aeternum cum ipsis permansurus promittitur (cf. Ioh. II. cc.). Iamvero magisterium, quod ea ratione Spiritum Sanctum assistentem habet, necessario infallibile est: quod tum per se patet, tum ex ratione loquendi scripturae etiam magis manifestum est; etenim a scriptura Spiritus veritatis in oppositione ad spiritum erroris et mendacii dicitur

(1. Ioh. 4. 1. 6.), qui causa mendacii et erroris est (3. Reg. 22, 21. 23.): insuper cum Deus a scriptura Deus pacis (1. Cor. 14, 33.) et Deus consolationis (2. Cor. 1, 3.) dicatur, quia pacem et consolationem praebet. Spiritus veritatis dicitur, quia veritatem communicat.

2. *Cum institutione huius magisterii authentici connexum* 32.
est, traditioni veram rationem fontis revelationis convenire. — Rationes huius assertionis in ipsis verbis Christi continentur, quibus illud magisterium institutum esse modo demonstratum est:

a) Etenim *primo* Apostoli ex Christi mandato debent docere omnes gentes, praedicare evangelium omni creaturae, esse ipsi testes usque ad ultimum terrae, portare nomen eius coram gentibus (Act. 9, 15.). Atqui his verbis tantum abest, ut modus communicandi et conservandi verbi Dei revelati ad scriptionem ss. librorum restringatur, ut potius ex propria terminorum significatione imprimis viva vocis praedicatio tamquam primarium medium ad verbum revelatum communicandum assignata esse clare intelligatur. Ergo.

b) *Praeterea* ex disertis Christi verbis legatio Aposto- 33.
lorum et praedicatio verbi Dei revelati tamquam terminum habet *omnes gentes* vel *universam creaturam;* iamvero modus communicandi doctrinam revelatam omnibus et singulis hominibus accomodatus non scriptis libris, sed viva vocis praedicatione continetur: ergo.

c) *Denique* hac ratione Apostoli ipsi eorumque successores verba Christi intellexerunt et exsecuti sunt: ergo.

Itaque certum est, medium praecipuum a Christo electum et ordinatum ad doctrinam revelatam communicandam, servandam, propagandam nihil aliud esse, nisi vivam vocis praedicationem a magisterio authentico procedentem. Iamvero haec praedicatio rationem habet traditionis activae, ipsa vero doctrina sic communicata, conservata, propagata traditio passiva vel obiectiva est. Ergo manifestum est, traditioni competere veram et proprie dictam rationem fontis revelationis.

3. Ex scripturae testimoniis, quibus institu- 34.
tam oeconomiam perpetuam fore disertis verbis

declaratur. — Huc praeter alia imprimis quaedam Apostoli testimonia spectant, quibus demonstrationem ex scriptura petitam absolvere placet.

1) Eph. 4. 11. 14.: „*Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*". — His verbis Apostolus manifesto de modis agit, quibus ex providenti ordinatione divina fideles veritate revelata informandi sunt vel verbum Dei revelatum hominibus communicandum, conservandum, propagandum est. Iamvero *primo* ex modis indicatis aliqui saltem ad traditionem pertinent vel eam constituunt: *Dedit quosdam quidem Apostolos . . ., alios autem pastores et doctores. Praeterea* eundem transmissionis modum perpetuum fore ponit: „*Donec occurramus omnes in unitatem fidei*"; hac enim dictione saeculum futurum tamquam institutionis eiusdem terminus significari videtur; certe autem nullum terminum temporalem figit ideoque eam perpetuam fore significat. *Denique* eundem transmissionis modum infallibilem esse affirmat: etenim ideo a Christo ordinatus esse dicitur, „*ne circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*".

35. 2) Rom. 10. 13.: „*Omnis enim, quicunque nomen Domini invocaverit, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt: Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?*" 1. Cor. 1. 21.: „*Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*". Quo utroque testimonio sine ulla restrictione *praedicatio* exhibetur tamquam medium, quo homines fide in verbum revelatum inbuendi sint. Quare lex universalis, sta-

bilis, perpetua spectans verbum revelatum communicandum, propagandum enuntiatur. Atqui praedicatio vel traditionem activam constituit vel saltem complectitur. Ergo traditio perpetuam habet rationem fontis theologici.

Huc spectant insuper plura alia Scripturae testimonia, in quibus sermo est de perpetua evangelii praedicatione, ut Matth. 24, 14.; Luc. 24, 46.; Act. 10, 42. etc.; verbum *praedicare* namque primario et proprie oralem transmissionem significat.

Thesis 2. Item doctrina catholica de traditione ex universali persuasione christianae antiquitatis luculenter demonstratur.

Declaratio.

Demonstrationis ratio et divisio. — Quemadmodum scripturae, ita etiam traditionis luculenta prorsus et abundans exstat de doctrina catholica testificatio, quare etiam in praesenti thesi non adeo testimoniorum abundantia sectanda est, quam consuli debet, ut antiquitatis christianae fides secundum rectum ordinem et conspectum quendam generalem proponatur. Itaque imprimis ad duo capita tota demonstratio revocatur: in quorum *primo* antiquitatis fides refertur, ut expressis verbis vel testimoniis manifestatur, in *altero* vero, ut ex practico modo iudicandi de vera et falsa fide se prodit. Primum autem caput iterum in tria membra subdividitur: *primo* ostenditur, antiquitatem christianam agnovisse, a Christo institutum esse magisterium authenticum: *secundo* demonstratur secundum antiquitatis fidem non solum in scriptura, sed in traditione quoque veritatem revelatam contineri: *tertio* denique paucis demonstratur, antiquitatem christianam magisterium ecclesiasticum vel traditionem tamquam authenticum scripturae interpretem agnovisse. Ad quatuor igitur assertiones tota demonstratio commode revocatur. 1.

Demonstratio.

2. ***1. Antiquitas christiana, a Christo institutum esse magisterium authenticum, expressis verbis testatur.*** — Reipsa SS. Patres et scriptores ecclesiastici et maxime ii, qui ex professo de regula fidei egerunt, iam inde ab aevo apostolico inculcant, a Christo ad custodiendam et transmittendam totam veritatem revelatam magisterium authenticum institutum esse sub capite Romano Pontifice corpus episcoporum, prout hi Apostolis cum S. Petro capite non interrupta serie succedunt: atque hinc christianorum fidem, ut vera et illibata perseveret, doctrinae ab eodem magisterio ecclesiastico authentice propositae plane conformandam esse declarant.

3. 1) *Id ipsum iam clare significant ipsi Patres apostolici.* — Imprimis *Clemens R.* loco iam supra partim adducto perspicue testatur magisterium authenticum in episcopis tamquam Apostolorum successoribus iugiter perseverare: „Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo et Apostoli a Christo: et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crederent futuri erant. . . . Apostoli quoque nostri . . . constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent" (Ep. ad Cor. cc. 42. 44.). Similiter *Ignatius*: „Prius admonui vos, ut unanimes sitis in sententia Dei; etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris est sententia, sicut et episcopi per fines terrae constituti in Iesu Christi sententia sunt: unde oportet vos unanimes esse sententiae episcopi . . . Quemcunque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus sicut ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episco-

pum oporteat respicere, ut ipsum Dominum. Et ipse quidem Onesimus laudat vestrum in Deo ordinem, quod omnes secundum veritatem vivatis et quod nullus sit apud vos haeresi locus" (ad Eph. n. 3—6.: cf. ad Philadelph. n. 2. 3.: ad Trall. n. 7.: ad Smyrn. n. 8. ad Magnes. n. 6. 7.). Denique ad aevum apostolicum fere pertinet *Hegesippus* saeculi 2. scriptor. qui Eusebio teste in quinque commentariorum libris scribit, se Romae cum esset, plurimos episcopos adiisse et ab omnibus unam eandemque accepisse doctrinam. „Romae vero cum essem, inquit, successionis (pontificum romanorum) seriem composui usque ad Anicetum, cuius diaconus erat Eleutherius. Et Aniceto successit Soter, post hunc Eleutherius. In singulis autem successionibus episcoporum, et (horum sc. ministerio) per singulas urbes ea manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt" (*Eusebius*, H. E. l. 4. c. 22.).

2) *Eandem doctrinam de magisterio authentico divinitus instituto imprimis saeculo 2. Irenaeus et saeculo 3. Tertullianus ex professo contra haereticos vindicarunt.* Reipsa hi duo scriptores tam clare et luculenter de antiqua ecclesiae fide testantur, ut valde mirum sit, quod protestantes unquam hac de re dubitationem inniicere vel praetexere potuerint. 4.

a) Itaque *Irenaeus* Apostolis fere coaevus in quinque libris adversus haereses conscriptis Gnosticis pro sua haeresi ad secretam traditionem provocantibus magisterium authenticum a Christo institutum atque publicam ab eo manantem ecclesiae traditionem opponit. *Iam ab initio* fere operis declarat, magisterii authentici vel ecclesiae esse, fidem ab Apostolis acceptam custodire et disseminare: „Hanc praedicationem, cum acceperit, et hanc fidem, sicut antea diximus, ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, quasi unam animam et unum cor habens, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os" (L. 1. c. 10.). *Deinde* variis regionibus, quas ecclesia occupavit recensitis, pergit: „Sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et praedicatio veri-

tatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is, qui valde praevalet in sermone ex iis, qui praesunt ecclesiis, alia, quam haec sunt, dicet; nemo enim supra magistrum est, neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is, qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is, qui minus, minorat" (ibid.).

5. *Tum* inferius falsae, arcanae, esotericae Gnosticorum traditioni veram et publicam ecclesiae traditionem opponit, cuius organum sint episcopi, Apostolorum successores: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus munere suo probe fungentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas" (L. 3. c. 3.). In hac ipsa autem organi traditionis et magisterii authentici ratione eminere et principatum tenere Romanam sedem, Irenaeus expresso et celeberrimo testimonio docet: „Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum provenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam, vel per vanam gloriam, vel per coecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae

est ab Apostolis traditio" (Ib.). De hoc textu, qui egregium de supremo Romani Pontificis magisterio testimonium exhibet, conferatur *Bardenhewer*, Geschichte der altkirchlichen Litteratur. I. p. 517 ss.

Hac ecclesiae constitutione exhibita *iterum* declarat, per 6.
ecclesiam veritatem revelatam ad nos pervenire, neque igitur unquam extra ecclesiam eandem veritatem quaerendam esse. „Hac ordinatione et successione ea, quae est ab Apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate . . . Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos, quae autem sunt ecclesiae cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem" (Ibid.).

Denique multis aliis praetermissis. *Irenaeus* ecclesiam 7.
tamquam infallibilem veritatis custodem hunc in modum praeclare celebrat: „Hoc enim ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc, ut omnia membra percipientia vivificentur: et in ea disposita est communicatio Christi, id est Spiritus Sanctus, archa incorruptelae et confirmatio fidei nostrae et scala ascensionis ad Deum. In ecclesia enim posuit Deus Apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei: et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter, qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos, de fossis terrenis et de coeno putidam bibunt

aquam effugientes fidem ecclesiae, ne traducantur, reiicientes verò Spiritum, ut non erudiantur" (L. 3. c. 24.).

8. b) Cum Irenaeo penitus consentit *Tertullianus*, qui in opere de praescriptione haereticorum regulam fidei catholicae egregie exposuit et vindicavit. *Iam a principio* disputationis statuit, parum proficere disputationem ex scriptura cum haereticis institutam, cum haeretici scripturas vel mutilent vel corrumpant vel pervertant atque insuper eiusmodi disputatio contra rei veritatem in pari gradu catholicos et haereticos constituat: hinc igitur ad illud potius actionem cum haereticis revocandam esse, ubinam authenticum illud magisterium exstet, apud quod scriptura ipsa eiusque expositio legitima inveniatur: „Ergo non ad scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut par incertae. Nam etsi non ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, ibi erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum" (c. 19.).

9. *Deinde* vero clarius explicat, quibusnam sacramentum fidei custodiendum et tradendum commissum sit: „Christus Iesus Dominus noster . . . ipse pronuntiabat sive populo palam, sive discentibus seorsum. Ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem post resurrectionem, iussit ire et docere nationes, intinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum Sanctum. Statim igitur Apostoli assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Iudae, ex auctoritate prophetiae, quae est in Psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum, et ecclesiis institutis: dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt,

et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum; omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis. Quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti una traditio" (c. 20.). Itaque ecclesias, quae legitima episcoporum successione ab Apostolis originem ducunt atque cum invicem in unam universalem ecclesiam collectae sunt, illum esse custodem declarat, cui sacramentum fidei conservandum et communicandum commissum est.

Quod ipsum *inferius* iterum inculcat simul innuens, caput **10.** ecclesiarum, per quam omnes ad unitatem redigantur, Romanam esse ecclesiam: „Edant ergo (haeretici), origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. . . . Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae" (c. 32.). „Ista Romana quam felix ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni dominicae adaequatur; ubi Paulus Ioannis (Baptistae) exitu coronatur, ubi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum

igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur" (c. 36.).

11. 3) *Eadem est concors fides Patrum, qui deinceps saeculis 3. 4. 5. floruerunt.* — *Clemens A.* magisterium authenticum institutum esse non obscure agnoscit atque doctrinam ab ecclesia traditam esse regulam fidei aperte statuit, a qua, qui deviat, in haeresin incidat: „Necesse enim est labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autem eo devenerint, ut a recta via exciderint, merito etiam falluntur in pluribus singularibus, quia deest ipsis criterium veri et falsi, ut secure quod oportet, eligant. Si enim haberent, parerent scripturis divinis . . ., homo Dei esse et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum haereseon desiluit opiniones" (Strom. l. 7.). Similiter *Origenes*: „Cum multi sint, qui se putant sentire, quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant: servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione" (De princ. l. 1. n. 2.). Pariter *Cyprianus:* „Christus dicit ad Apostolos et per hos ad omnes praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: *qui audit vos, me audit, et qui me audit, audit eum, qui me misit*" (Ep. 69. ad Florentium Pupianum). Item *Athanasius* significat, ecclesiam verae fidei custodem esse: „Haud abs re fuerit, veterem traditionem doctrinamque ac fidem (de Spiritu Sancto) catholicae ecclesiae investigare, quam scilicet Dominus tradidit, apostoli praedicavere et patres servavere. In ea enim ecclesia fundata est, a qua si quis exciderit, is nec esse, nec amplius dici christianus ulla ratione poterit" (Ep. 1. ad Serap. n. 28.). Necnon *Epiphanius* similiter contra Aërium disputat: „Iam vero utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit et adhuc hodie superstes est? an qui ante nos testes exstiterunt quique ante nos eandem traditionem in ecclesia tenuerunt, quam et ipsi a parentibus suis acceperant

et ipsorum parentes a maioribus didicerant? quemadmodum ecclesia, quam a patribus suis accepit, rectam et sinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem observat" (Haer. 75. n. 7.). Denique *Vincentius Lirinensis* in commonitorio ex professo de regula catholicae fidei agens nihil antiquius habet, quam ut inculcet ecclesiasticae praedicationis auctoritatem, quae ipsum esse magisterium authenticum facile perspicitur.

12. ***2. Secundum antiquitatis christianae fidem non solum scriptura sacra, sed traditione quoque verbum Dei revelatum conservatur et transmittitur.*** — Haec assertio iam satis constat ex pluribus testimoniis supra allatis; sed propriis quibusdam sententiis SS. Patrum vindicanda est, iis scilicet, quibus ad traditionis normam fidem esse exigendam declarant, necnon traditionem cum eadem reverentia atque ipsam s. scripturam suscipiendam esse docent. Imprimis huc plura pertinent ex *S. Ignatii* epistolis, de quibus *Eusebius* merito ita notat: „Singularum civitatum ecclesias monebat imprimis, ut maxime caverent haereses tum primum erumpentes et invalescentes, hortatusque est, ut tenaciter inhaererent Apostolorum traditioni, quam testificans iam etiam scripto consignare securitatis causa necessarium duxit" (H. E. l. 3. c. 36.). Similiter de *Polycarpo* testatur *Irenaeus*: „Tantum Apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem . . . Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua et characterem fidei eius et praedicationem veritatis, qui volunt et curam habent suae salutis, possunt discere" (L. 3. c. 3.). Deinde ipse *Irenaeus* declarat: „Quid autem, si neque Apostoli scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem coeli et terrae. . . ."; deinde symbolo apostolico relato pergit: „Hanc fidem,

qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conservationem propter fidem, perquam sapientissimi sunt. et placent Deo, conversantes in omni iustitia et castitate et sapientia. Quibus, si aliquis annuntiaverit ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunque eorum portentiloquium est" (l. 3. c. 4.). Pariter ipse *Eusebius caes.*: „Ceterum ille (Moyses) quidem in tabulis inanimatis, hic (Christus) autem in vivis mentibus perfecta novi testamenti documenta descripsit. Eius vero discipuli, secundum magistri sui placitum auribus multorum doctrinam suam accomodantes, quaecunque quidem a perfecto suo magistro hominibus communem ceterorum conditionem veluti praetergressis praecepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt: quaecunque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas generent adhuc affectibus obnoxias curationeque indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi iure quodam non scripto servanda commendarunt" (Dem. evang. l. 1. c. 8.). Denique *S. Athanasius* fidem Trinitatis ex traditione vindicans sic haereticos perstringit: „Ecce nos demonstramus, istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres, quasi per manus ad manus traditam esse. Vos autem novi Iudaei et discipuli Caiphae, quos verborum vestrorum Patres ac maiores demonstrabitis, cum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare possitis" (De decret. Synod. Nicaen. n. 27.).

13. Eandem fidem magni theologi ecclesiae graecae saec. 5. florentes professi sunt. Ita *Basilius:* „Ex asservatis in ecclesia dogmatibus et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum; quorum utraque vim eandem habent ad pietatem, nec iis quisquam contradicet: nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quae sint ec-

clesiae instituta. Nam si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tamquam haud multum habentes momenti, aggrediamur reiicere, imprudentes evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus, imo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus" (De Spir. S. c. 27. n. 66.). Et inferius loco iam partim adducto: „Sane cum dicunt glorificationem cum Spiritu carere testimonio, nec in scripturis exstare, illud dicimus: si nihil aliud est receptum absque scripturis, ne hoc quidem recipiatur; sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiemus. Arbitror autem apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhaerere. *Laudo,* inquit *vos, quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi vobis traditiones tenetis* (1. Cor. 11, 2.). Et illud: *tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive epistulam* (2. Thess. 2, 15.)." (c. 29.). Similiter *Gregorius Nyssenus*: „Nullus mihi subcrepet, quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis indigeat confirmari et probari; sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a Patribus devenientem ad nos traditionem velut haereditatem quandam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam" (Adv. Eunomium l. 4.). Item *Epiphanius:* „Verum divina omnia verba non ad allegorias referenda, sed ut se habent accipienda sunt. Consideratione vero ac sensu opus habent, ut argumenti cuiusque vis ac potestas intelligatur. Sed traditione quoque opus est. Neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: *quemadmodum tradidi vobis.* (1. Cor. 11, 2.). Item alio loco: *Ita doceo et ita tradidi in ecclesiis* (1. Cor. 15, 3.). Item: *si meministis, nisi frustra credidistis* (1. Cor. 15, 2.)". (Haer. 61. n. 6.; cf. Haer. 75. n. 9.). Necnon *Chrysostomus* explicans verba S. Pauli: *Itaque fratres state* (2. Thess. 2, 15.) haec animadvertit: „Hinc est perspicuum, quod non omnia (Apostoli) tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem ecclesiae quoque traditionem censeamas esse fide dignam. Est traditio, nihil quaeras am-

plius" (Hom. 4. in 2. Thess. n. 14.). Et alibi explicans 2. Tim. 1. 15. declarat: „Non modo per litteras, sed etiam verbis discipulo, quae essent agenda dictavit: quod plurimis et aliis in locis ostendit, dicens: *sive per verbum, sive per epistolam,* quasi per nos missam. Hoc et hic multo magis fecit. Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, quae illi modo in memoriam revocans dicit: *formam habe sanorum verborum, quae a me audisti*" (Hom. 3. in 2. Tim.). Similiter *Cyrillus A.* anathematismum VIII. adv. Nestorii errores statutum defendens.

14. Concors sententia magnorum doctorum ecclesiae latinae est ut *Hieronymi* et *Augustini.* Et *Hieronymus* quidem testatur, episcopos africanos prius suum decretum de rebaptizandis haereticis propter solam traditionis auctoritatem merito rescidisse: „Illi episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo (Cypriano) statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? Ita et nobis maiores nostri, et illis sui tradidere maiores" (Dial. adv. Luciferianos n. 23.). Similiter in eadem causa iudicat *Augustinus:* „Quam consuetudinem (sc. non rebaptizandi haereticos) credo ex apostolica traditione venientem, (sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum neque in conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur): hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi coepisse corrigi" (De bapt. l. 2. c. 7. n. 12.). Et iterum: „Apostoli autem nihil quidem exinde praeceperunt, sed consuetudo illa (non rebaptizandi haereticos), quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quae universa tenet ecclesia et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur" (Ib. l. 5. c. 23. n. 31.): Et alibi iterum de baptismo parvulorum sic declarat: „Consuetudo matris ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio" (De genesi ad litt. l. 10. c. 23.). Tandem ad confirmandam efficaciam eiusdem bap-

tismi parvulorum generale hoc principium ponit: „Quod universa tenet ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur“ (De bapt. l. 4. c. 24.).

Denique notari potest hoc *Ps. Dionysii* de auctoritate 15.
traditionis testimonium: „Substantia hierarchiae nostrae sunt divinitus tradita oracula. Maxime vero ista oracula dicimus veneranda, quae a sacris nostris initiatoribus (Apostolis) divino Spiritu afflatis in scripturis sacris librisque theologicis tradita nobis sunt, uti et illa, quae ab iisdem viris sanctis . . . mediante verbo . . . sine scriptione institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti. Necessario igitur primi nostri sacri ordinis moderatores (apostoli) . . . sensibilibus figuris supercoelestia, et quod unitate collectum est, varia cum distinctione tum multitudine, necnon in humanis divina et in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, qua scriptis qua non scriptis institutionibus in sacratissimis oraculis nobis tradiderunt“ (De eccles. hierarch. c. 1. § 4. et 5.).

3. Antiquitas christiana scripturam sacram 16.
ad magisterium authenticum vel traditionem retulit tamquam ad authenticum suum interpretem. — Huc pertinent plura iam supra (n. 4. ss). adducta: sed alia exstant valde clara et expressa testimonia. Imprimis iterum *Irenaeus* clare doctrinam catholicam proponit. Sic v. g. monet: „Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem; apud quos est ea, quae est ab Apostolis successio, et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et fidem nostram custodiunt . . . et scripturas sine periculo exponunt“ (L. 4. c. 26.). Et inferius: „Omnis sermo ei constabit, si et scripturas diligenter legerit apud eos, qui in ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus“ (ib. 31). Et iterum paulo post: „Agnitio vera (γνῶσις ἀληθὴς) est Apostolorum doctrina et antiquus ecclesiae status in universo mundo et character corporis Christi secundum successiones episcoporum,

quibus illi (Apostoli) eam, quae in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione et secundum scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia" (Ib. c. 33.). Non minus clare eandem doctrinam proponit *Tertullianus*, ut iam patet ex testimonio supra adducto (Th. 2. n. 8.). Et alibi: „Quis nunc, inquit, medullas scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos adoptavit omnia utique edocendos et nobis magistros adornavit omnia utique docturos" (Scorpiace c. 12.).

17. Similiter *Clemens A.* docet, γνῶσιν i. e. profundiorem dogmatum et scripturae intelligentiam traditam esse „per successionem inde ab Apostolis", utpote quae sit „scriptae traditionis non scripta traditio" et ad regulam pertineat ecclesiasticam, secundum quam scripturae intelligendae sint (Strom. l. 6. c. 7. 15.). Et paulo inferius declarat, haereticos in explicandis scripturis „depravare regulam ecclesiae, cum habeant falsam clavem et non ingrediantur, sicut nos, per Domini traditionem, sed perfosso muro ecclesiae, veritatem transgrediantur" (l. 7. c. 17.). Necnon *Origenes* Clementis discipulus expressis verbis declarat, iuxta traditionem ecclesiasticam scripturam intelligendam esse: „Quoties (haeretici) canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: *ecce in domibus est verbum veritatis* (Matth. 24, 26.). Sed nos illis credere non debemus nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem ecclesiae Dei traditum est" (Comment. in Matth. 46.). Item de *S. Basilio* et *S. Gregorio Naz.* refert *Ruffinus*: „eos scripturae intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate hausisse eorum sane, quos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat" (H. E. l. 2. c. 9.). Deinde *Sophronius* in epistola synodica Origenistas ideo damnat, quod „extra apostolicam et paternam traditionem" novos scripturae sensus confinxerint.

Parem fidem doctores magni latini manifestant. Ita *S. Hila-* 18.
rius significat, haereticos rectam scripturae intelligentiam habere non posse: „Significat (Christus e navi docens), eos, qui extra ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi, qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adiacent, intelligere non possunt" (In Matth. 13. n. 1.). *Hieronymus* vero, acsi iam prae oculis haberet Reformatores, acerbe sugillat opinionem vel agendi modum, secundum quem scriptura sine manuductione cuiusque intelligentiae aperta sit. Etenim postquam notavit, eunuchum, de quo in actibus Apostolorum (c. 8.), interpretatione a Philippo accepta demum intellexisse scripturas, pergit: „Haec a me perstricta sunt breviter . . . ut intelligeres te in scripturis sanctis sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rethoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis . . . Ad minores artes veniam, et quae non tam λόγῳ, quam manu administrantur. Agricolae, coementarii, fabri, metallorum lignorumve caesores, lanarii quoque et fullones, et ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse, quod cupiunt. Quod medicorum est, ‚promittunt medici, tractant fabrilia fabri' (Horatius l. 1. ep. 1.); sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. ‚Scribimus indocti doctique poëmata passim.' (Ib.), Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant" (Ep. 53. n. 6. et 7.). Similiter *Augustinus*: „Si unaquaeque disciplina, quamvis vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem et magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere et incognitos velle damnare?" (De utilitate credendi n. 35. cf. ib. cc. 6. 7. 14. 17. et de moribus ecclesiae catholicae c. 1.). Expressius vero adhuc alibi: „Neque natae sunt haereses . . . nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.

Itaque carissimi valde caute haec audire debemus, ad quae capienda parvuli sumus, et certe pio cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus; quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus. Etiam a me, carissimi, longe sit vana praesumptio, si volo sanus in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis" (In Ioh. tract. 18. n. 1.).

19. Tandem catholicam doctrinam perspicue proponit eamque tamquam communem antiquorum Patrum exhibet *Vincentius Lirinensis:* „Saepe magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego sive alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Deo adiuvante deberet: primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae traditione. Hic forsitan requirat aliquis, cum sit perfectus scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus sit, ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sanctam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Protinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Coelestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. In ipsa autem catholica ecclesia magnopere curandum

est, ut id teneatur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est" (Commonit. c. 2.).

4. Confirmatur demonstratio hucusque instituta ex antiqua ecclesiae praxi. — Nimirum antiqua ecclesia etiam practico suo modo agendi in controversiis fidei decidendis vel componendis doctrinam catholicam de traditione luculenter manifestavit. 20.

1) *Et primo quidem generatim traditionem tamquam normam usurpavit, secundum quam fides exigenda est.* — Imprimis hac norma ipsi Romani Pontifices in suis decretis utuntur: Ita *Stephanus I.* in decreto contra Rebaptizantes: „Si quis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam . . . Quod accepimus ab apostolis, hoc sequimur". Similiter *Siricius* in decreto de baptismo haereticorum: „Prima itaque paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet et canones contradicant, et post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis aliisque haereticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens occidensque custodit; a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari" (Ep. 1. ad Himerium Tarraconensem c. 1.). Eandem fidei regulam prae oculis habuerunt et contra pelagianos errores adhibuerunt *Coelestinus I.* scribens: „Desinat novitas incessere vetustatem" (Ep. 21. n. 2.) et *Xystus III.* declarans: „Nihil liceat novitati, quia nihil adiici convenit vetustati" (Ep. 6. n. 7.). Denique formula *Hormisdae* Pontificis episcopis Orientis praescripta sic incipit: „Prima salus est, regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare".

21. Item concilia diversa eandem normam ad fidei quaestiones decernendas adhibuerunt. Sic *Concilium Antiochenum* (a. 270 contra errorem Pauli Samosateni decrevit: „omnes ecclesiae catholicae nobiscum consentiunt . . . Idem Deus et homo Iesus Christus ab omnibus in ecclesia, quae sub coelo est, creditus est Deus" (Ap. Mansi. conc. coll. p. 1033.). *Concilium Nicaenum* symbolum a se editum ita munivit: „Sic credit ecclesia catholica" (cf. *Athanasius*, de synod. n. 5.). Item *concilium chalcedonense* in definitione unitatis personalis Christi ad SS. Patrum doctrinam et traditionem provocat (cf. Denzinger, enchirid. n. 134.). *Concilium generale 5.* suas de tribus capitulis definitiones sic concludit: „His igitur ita confessis a nobis, quae et accepimus de divina scriptura et sanctorum Patrum doctrina. et definitis de una eademque fide a praedictis sanctis quatuor conciliis etc." Patres *Concilii Lateranensis* a. 649 sub Martino I. habiti ad doctrinam SS. Patrum provocant et canones, quos postea approbavit Agatho. plerosque sic incipiunt: „Si quis secundum ss. Patres . . ." Item Patres Concilii g. 6. epistolam dogmaticam Agathonis et Romanae Synodi 125 episcoporum ad imperatores directam susceperunt clamantes per Agathonem Petrum locutum esse; iamvero in hac epistola haec ratio fidei professae redditur: „Quia hoc nos apostolica et evangelica traditio. sanctorumque Patrum magisterium, quos sancta apostolica atque catholica ecclesia et venerabiles synodi suscipiunt. instituisse monstratur". Idem concilium in definitione lata iterum ad traditionem provocat (cf. D. n. 236.). *Concilium g. 7.* sic definitionem de sacris imaginibus exorditur: „Regiae quasi continuati semitae sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium et catholicae traditionem ecclesiae (nam Spiritus hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat), definimus . . ." Item inferius iteratis vicibus ad traditionem provocat (cf. D. n. 245.). Necnon contrasentientibus expresse anathematismu intimat: „Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam reiicit. anathema" (D. n. 249.). Similiter *Concilium Francofordiense* ecclesiasticam loquendi consuetudinem

tamquam fidei normam habendam esse declarat (cf. D. n. 255.). Tandem clare traditionis auctoritas asseritur in *concilio g.* 7. can. 1.: „Per aequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus . . . Igitur regulas, quae sanctae, catholicae et apostolicae ecclesiae tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro ecclesiae traditae sunt, servare ac custodire tenemur": et clarius adhuc in art. 7: „Oriens et occidens et aquilo et meridies Spiritus S. inspiratione consentimus in unum . . . Omnia recipientes, quaecunque s. catholica ecclesia antiquitus scripta et non scripta reliquit". Conferatur hic de modo agendi concilii ephesini Vincentius Lir. Commonit. c. 31.

22. 2) *Praeterea antiqua ecclesia practice etiam scripturam ad magisterium authenticum vel traditionem tamquam ad authenticum interpretem retulit.* — Videlicet ecclesia tum practice potestatem interpretandi scripturas sibi vindicavit et exercuit, tum in ipso hoc exercitio ad traditionem tamquam ad normam provocavit. Huc spectat *concilii Milevitani II.* canon 6.: „Item placuit, quod ait S. Ioannes Apostolus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia ita vere est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus et adiungit: *si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et iustus est, qui dimittat nobis peccata, et emendet nos ab omni iniquitate* . . ." Item eiusdem concilii cc. 3. 4. 5. 7. 8. huc pertinent (D. n. 66. ss.). Deinde etiam *Concilium Ephesinum* determinatam intelligentiam testimoniorum scripturae sub anathematis poena praescribit.: „Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quae in Apostolicis scriptis continentur et evangelicis, dividit, vel quae de Christo dicuntur a sanctis, vel ab ipso (de seipso) et aliquas quidem ex his velut homini, qui praeter

Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tamquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputaverit, anathema sit" (can. 4.). Pariter Romani Pontifices *Gelasius* et *Hormisdas* eandem potestatem sibi vindicant et exercent (D. n. 140. 141.). Denique aliis omissis *Concilium Arausicanum II.* can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 16. 21. etc. (D. 144. ss.), necnon *Concilium gen. V.* can. 12. (D. 183.) idem praestiterunt.

Scholion.

23. ***1. De varia traditionis appellatione apud SS. Patres.*** - Ut ex demonstratione instituta constat, SS. Patres praeter nomen traditionis plura alia adhibent, quibus eandem rem significant. Quod ipsum expresse notandum et considerandum est, quia ad faciliorem et veriorem doctrinae SS. Patrum intelligentiam confert. Itaque traditio vocatur etiam: veritatis praeconatio, praedicatio ecclesiae, praeconium ecclesiae (cf. v. g. *Irenaeus* l. 3. c. 3: l. 3. c. 24: l. 5. c. 20: l. 5. praef.); deinde regula veritatis, regula fidei, regula ecclesiastica, regula ecclesiae, regula apostolicae veritatis (cf. v. g. *Irenaeus.* l. 1. c. 9.; l. 3. c. 2.; *Tertullianus.* de veland. virg. c. 1.: cont. Prax. c. 2. 3.: de praescript. c. 13. 14. 37.; *Clemens A.* Strom. l. 6. et 7.); tum ecclesiastica sapientia, intellectus, secundum quem sentiendum est, ecclesiasticus scopus, regia via et iter veritatis, regula pietatis (cf. v. g. *Clemens Al.*, strom. l. 7.: *Athanasius*, or. 2. cont. Arian. n. 34.: or. 3. n. 58.: *Epiphanius*, haer. 59. n. 12.; *Augustinus*, de genes. ad litt. l. c. 21. n. 41.); item sensus ecclesiasticus, fidei conscientia, conscientia communis fidei, canonicus sensus, intellectus catholicus, ecclesiastica intelligentia, ecclesiasticus et catholicus sensus (cf. v. g. *Eusebius.* H. E. l. 4. c. 28.: *Hilarius*, de Trinit. l. 8. c. 1.: de synod. n. 65: *Augustinus*, serm. 294. c. 20.: cont. ep. Parmeniani l. 2. c. 10.: cont. Faust. l. 4. c. 2.: *Vinc. Lir.* commonit. c. 2. c. 28.). Animadvertendum autem est, haec nomina diversa partim subiective, partim obiective, partim utroque modo sumi; subiective sumpta directe designant traditionem subiectivam vel activam.

indirecte passivam vel obiectivam; obiective vero sumpta directe designant traditionem obiectivam vel passivam, indirecte traditionem activam vel subiectivam.

24. ***2. Obiectiones protestantium ex scriptura et traditione petitae expediuntur.*** — Protestantes doctrinam catholicam expugnare conati sunt tum ex scriptura, tum ex testificatione christianae antiquitatis, tum ex ratione. Iam dilatis obiectionibus ex ratione petitis hoc loco priores illae ex scriptura et traditione petitae considerandae sunt:

1) *In ipsa scriptura verbum Dei scriptum sufficere declaratur,* ut patet v. g. ex his et similibus testimoniis: „*Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*“ (Ioh. 20. 30.). „*Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus*“ (2. Tim. 3, 16.). Ergo, cum scripturae soli hi effectus tribuantur ideoque ea sufficere saltem implicite declaretur, traditio prorsus superflua neque igitur admittenda est. — *R.*

a) Generatim notandum est, *primo* fas non esse, verba, quae ex sese affirmantia solum sunt, accipere tamquam excludentia; ergo quamvis in testimoniis allatis effectus illi scripturae adscribantur, attamen non ipsi soli tribuuntur. *Praeterea,* etsi scriptura sufficeret, non tamen ideo iam reiicienda esset traditio, quia Deus non solum absolute necessaria, sed utilia quoque largiri solet.

25. b) Quod in specie attinet testimonium S. Ioannis, haec animadvertenda sunt: *Primo* hoc testimonium huc proprie non spectat; etenim Ioannes ibi non adeo de doctrina credenda, quam de miraculis, quibus ad credendum inducimur, agere intelligitur. *Secundo* si vera esset ratio argumentandi adversariorum, consequeretur, solum evangelium Ioannis esse canonem scripturae sufficientissimum ideoque omnem aliam scripturam pariter ac traditionem reiiciendam esse.

c) Quod attinet testimonium S. Pauli obiectum, haec dicenda sunt. *Primo* si staret argumentatio adversariorum, consequeretur, sacram scripturam eam, quam ab infantia

Timotheus noverat, i. e. scripturam V. L. solam esse sufficientissimum et universalem fidei fontem; quod ex ipsorum protestantium fide absurdum est. *Secundo* cum S. Paulus non solum de tota collectione librorum sacrorum, sed de singulis distributive loquatur, ut patet ex subiecto sententiae: omnis scriptura πᾶσα γραφή; argumentatione adversariorum concluderetur, etiam unumquemque V. L. librum fontem fidei esse sufficientem; quod etiam magis absurdum est. Unde manifestum est, argumentationem oppositam non solum inefficacem, sed absurdam esse.

26. 2) *Ut ipsa scriptura docet, eidem nec detrahendum nec addendum quidquam est;* ut patet v. g. ex Gal. 1, 8.: „*Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*“; necnon ex Apocal. 22, 18.: „*Contestor enim omni audienti verba prophetiae libri huius: si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*“. Ergo traditiones respuendae sunt. — *R.* facile: Prohibentur additiones humanae, non divinae; ergo nihil contra traditionem consequitur. Sicuti enim Deus Apocalypsi addere potuit aliud verbum scriptum, evangelium Ioannis, ita etiam sane addere potuit aliud verbum traditum. *Insuper* S. Pauli testimonium prorsus praeter rem adducitur, quia ipse magis de evangelio a se ore praedicato quam scripto agere perspicitur. *Denique* facile apparet, testimoniis obiectis nequaquam excludi magisterium ecclesiasticum tamquam authenticum scripturae interpretem.

27. 3) *In scriptura diserte traditiones reiiciuntur et reprobantur*, ut ex pluribus testimoniis constat: „*Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*“ (Matth. 15, 3.). „*Et proficiebam in Iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator exsistens paternarum mearum traditionum*“ (Gal. 1, 14. ss.). „*Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*“ (1. Pet. 1, 18.). *R.* breviter: Ut ex textu et contextu evidens est, non reprobantur traditiones divinae, sed humanae; neque hu-

manae omnes, sed eae solum, quae vel vanae vel superstitiosae vel impiae sunt.

4) *Secundum scripturam solus Deus fideles intus docere* **28.** *dicitur atque omne magisterium externum excludi videtur;* ergo doctrina catholica, saltem quatenus magisterium authenticum statuit, scripturae adversatur. Antecedens ex duplici saltem testimonio constat, Ieremiae scilicet et Ioannis: „*Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt . . . Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit vir ultra proximum suum et vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus*" (Ierem. 31, 31—34.). „*Vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam . . . vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat . . . Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium. Et sicut docuit vos manete in eo*" (1. Ioh. 2, 20—27.). — *R. n.* prorsus, his testimoniis magisterium externum excludi, cuius institutio supra ex scriptura evidenter demonstrata est: quod patet ipsis testimoniis obiectis paulo accuratius inspectis.

a) Et *Ieremias* quidem hic comparat id, quod in antiquo **29.** foedere praevalens erat, legem scilicet temporaneam et externam in tabulis lapideis scriptam, cum eo, quod in novo foedere praevalet, sc. cum lege gratiae interna et cordibus inscripta. Iamvero haec lex gratiae praedicationem apostolicam non excludit, sed potius includit. Quare etiam verba: „*non docebit vir ultra proximum suum*" comparate ad antiquum foedus intelligenda sunt ideoque enuntiant in novo foedere in-

7061

ternam per gratiam illustrationem prae externa instructione praevalere; quod urget Apostolus dicens: „*Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*“ (1 Cor. 3. 7.). *Insuper* magisterium externum in N. L. non est mere humanum, sed divino-humanum, vel Christus Deus-homo per legatos suos docet: „*Quid est Apollo, quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis . . . Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis*“ (1 Cor. 3, 4. 5. 9.). *Ceterum,* sicuti aliae prophetiae, ita et haec sensu minus pleno ecclesiam in via constitutam, sensu vero perfecto et plenissimo ecclesiam consummatam in visione beatifica respicere videtur. Apposite *Augustinus*: „Nunc certe, iam tempus est testamenti novi, cuius per prophetam facta est promissio per haec verba, quae ex illo propheta commemoravimus. Cur ergo adhuc dicit unusquisque civi suo et fratri suo: cognosce Dominum . . . Cum ergo nunc ista praedicatio usquequoque crebrescat, quomodo tempus est novi testamenti . . . nisi quia eiusdem testamenti novi aeternam mercedem, id est, ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo coniunxit?“ (De spirit. et litt. n. 37. ss.)

30. b) Neque *S. Ioannes* testimonio allato ullo modo magisterium authenticum excludit, verum potius supponit et includit. Etenim clare exhibet, duplicem esse fidelium instructionem, unam per unctionem internam gratiae, alteram per praedicationem externam legatorum Christi, inter quos est ipse Ioannes evangelium praedicans et ipsam hanc epistolam scribens. Sane alteram hanc instructionem exprimit verbis: „*vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat;*“ necnon iis, quae in exordio eiusdem huius epistolae habet: „*Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris . . . testamur et annuntiamus vobis*“ (1. 1.–5.). Scilicet gratia interna fideles illustrantur, ut omnia ea intelligant, quae per legitimum magisterium et praedicationem externam acceperunt. Quando igitur Iohannes declarat, fideles non necesse habere, ut aliquis eos doceat, non excludit magisterium illud legitimum, quo eos instructos esse supponit; sed excludit et reprobat doctores haereticos, qui nova et apostolicae praedicationi opposita do-

cent: „*Haec scripsi vobis de his, qui vos seducunt*“. Itaque tantum abest, ut magisterium authenticum excludatur, ut potius magisterium ipsorum protestantium prorsus reprobetur. Simul vero Evangelista, cum adeo unctionem internam urgeat, significare videtur, magisterium externum sine hoc interno magisterio inefficax manere neque finem suum attingere posse. Apposite *S. Augustinus*: „Unctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixisti, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Ut quid igitur talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid aedificabas? Iam hic videte magnum sacramentum, fratres! Sonus verborum nostrorum aures percutit: magister intus est. Nolite putare, quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae, si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster“ (Tract. 3. in 1. ep. Ioan. 2, 27. n. 13.).

5) *SS. Patres locutionibus tum affirmantibus tum vel excludentibus scripturae perfectionem et sufficientiam praedicant;* ergo nullus locus restat alteri fonti theologico. Antecedens multis testimoniis constat. Etenim *primo* positive vel affirmative dicunt scripturas *perfectas (Irenaeus* adv. haer. l. 2. c. 28), *plenas* (*Tertullianus* adv. Hermogenem c. 22.), *sufficientes per se ad veritatis indicationem (Athanasius,* or. c. gent.), *in iis omnia inveniri,* quae fidem, spem et caritatem spectant *(Augustinus,* de doctrina christ. l. 2. c. 9. n. 14.), *in iis omnia contineri,* quae Apostoli praedicaverunt *(Cyprianus,* ep. 74. ad Pompei.), *in iis omnia,* quaecunque necessaria sunt, *clara et manifesta esse (Chrysostomus,* hom. 3. in 2. Thess. n. 4.). *Secundo* negative vel locutionibus excludentibus idem docent: „Non recipio, quod extra scripturam de tuo infers.“ (*Tertullianus,* de carne Christi). „Quod de scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur“ (*Hieronymus* in Matth. c. 23.). „Manifestus a fide lapsus est et superbiae crimen, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet, aut aliquid ex eis, quae scripturis mandata non sunt, introducat“ (*Basilius,* de fide c. 1.). „Necesse est de divinis fidei mysteriis nec sine sacris scripturis temere quidquam tradere; . . . neque mihi **31.**

dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annuntiatorum ex ss. litteris accipias" (Catech. 4. c. 17.). „Sanctis scripturis non loquentibus, quis loquetur?" (Auctor libri de vocatione gentium l. 2. c. 3.). — *R.* Frustra adversarii haec aliave testimonia congerunt; nam nullus SS. Patrum est, qui scripturae plenitudinem, perfectionem, sufficientiam celebrans eam sensu protestantico intellexerit. Quod facile patet, si testimonia obiecta accurate tum in se tum in contextu considerentur. Itaque:

32. a) *Quod attinet locutiones positivas*: *primo* aliae intelligendae sunt relative non absolute, i. e. scripturae plenitudo et sufficientia quoad certum et peculiare dogma praedicatur: ita Irenaeus loco obiecto de unitate Dei agit atque ad eam demonstrandam scripturam sufficere declarat; pariter Tertullianus l. c. scripturam et in specie prima genesis capita ad creationis dogma stabiliendum sufficere docet. *Secundo* aliis locutionibus scripturae plenitudinem et sufficientiam celebrant, quatenus in ea symbolum apostolorum vel praecipui articuli fidei, quae in explicita fide et professione omnium christianorum sunt, explicite et pleraque alia implicite saltem continentur; qua ratione intelligendi sunt v. g. Augustinus et Chrysostomus locis citatis. *Denique tertio* scriptura dici potest et v. g. ab Augustino dicitur sufficiens, eo sensu, quod ipsa de traditionis auctoritate testatur eamque sic infert et quasi includit: „Quamvis huius rei certe de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae iam placuit ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas" (C. Crescon. l. 1. c. 33.).

33. b) *Quando SS. Patres exclusivis locutionibus s. scripturae sufficientiam et plenitudinem praedicant*, nullo modo traditionem divinam vel magisterium authenticum excludunt. Verum potius *primo* prohibent, ne quid habeatur ut revelatum, quod homines privati sine auctoritate proferebant. *Secundo* vetant, ne contra scripturam humana inventa et falsa philosophumena admittantur. *Tertio* cavent, ne quid ex falsis et corruptis fontibus proferatur. *Quarto* excludunt

traditiones non solum humanas, sed impias, quales v. g. gnostici iactabant. *Denique* si quando SS. Patres in controversiis cum haereticis traditionem vel auctoritatem ecclesiasticam expressis verbis excludere videantur, id polemice non dogmatice faciunt, vel eam seponunt non ac si fons et regula fidei secundum rei veritatem non esset, sed quia ex ea haeretici convinci non poterant, utpote qui eandem negabant. Hoc sensu *praecisivo* non *exclusivo* Augustinus v. g. cum Donatistis necnon Maximino ex sola scriptura sepositis omnibus aliis argumentis vel fontibus certamen inire et decidere voluit (De unit. eccl. c. Donatistas c. 3. n. 5.; cont. Maximin. Arian. l. 2. c. 14.).

c) Quibus notatis facile intelliguntur testimonia expresse **34.** obiecta. Scilicet *Tertullianus* non traditionem excludit, sed Marcionis inventa. *Hieronymus* vero „apocryphorum somnia“ repellit. *Basilius* deinde loco obiecto agit de iis fidei capitibus, quae in explicita omnium christianorum professione continentur; insuper autem paulo inferius declarat, se ea solum documenta non scripta excludere velle, quae continent „vocem ac sententiam a Domini doctrina alienam“. *Cyrilli* testimonia intelliguntur, si tria haec animadvertantur: *Primo* asserit solum, nihil in symbolo apostolico positum esse, quod in scripturis non contineatur; id vero omnes catholici fatentur: *secundo* verbis: „neque mihi dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annuntiatorum ex sacris litteris accipias“ solum significat et exaltat firmitatem demonstrationis afferendae; *tertio* hoc ipso in loco traditionis auctoritatem urget: „Videte fratres, et tenete traditiones, quas nunc accipitis, et inscribite eas in latitudine cordis vestri. Religiose observate . . . ne quis haereticus eorum, quae vobis tradita sunt, pervertat quidpiam . . . contestor, ut hanc vobis traditam fidem immaculatam custodiatis usque ad apparitionem Domini nostri Iesu Christi“ (Catech. 5. n. 12. et 13.). *Denique* Cyrillus hoc loco et alibi nihil excludit a probatione fidei nisi „argumenta inventionis humanae“.

Itaque certum est: SS. Patres traditioni nequaquam ra- **35.** tionem fontis theologici denegant neque ullo modo magiste-

rium authenticum infitiantur neque etiam contendunt, omnem prorsus veritatem revelatam in scriptura pro omnibus clare contineri: imo vero oppositum clare docent, ut supra demonstratum est.

Thesis 3. Doctrina catholica de traditione variis rationibus theologicis atque ex internis opinationis protestantium repugnantiis demonstratur.

Declaratio.

1. ***Ratio demonstrationis.*** — Cum in praecedentibus thesibus iam luculenter demonstrata sit veritas doctrinae catholicae, in praesenti ad meliorem rei perspicientiam etiam convenientia eiusdem ac congruitas cum aliis fidei capitibus vindicanda est. Maxime autem haec doctrinae catholicae convenientia elucebit consideratis gravissimis opinationis protestanticae incommodis necnon internis contradictionibus. Ex multis vero rationibus et argumentis, quae adduci possunt et magnam partem a controversistis catholicis expositae sunt, potiores quasdam eligere et proponere satis est.

Demonstratio.

2. ***1. Probatur argumento praescriptionis vel analogia quadam.*** — Modus custodiendi et propagandi doctrinam revelatam, quem protestantes confinxerunt, dissonus est a providentia, quam Deus hac in re semper servavit, dum modus a catholicis assertus eidem providentiae perfecte respondet; quod facile patet percurrenti totum tempus inde ab ortu generis humani usque ad mortem Apostolorum.

1) Videlicet *in statu legis naturae* vel inde ab Adamo usque ad legislationem Sinaïticam sola orali traditione doctrina revelata conservata et propagata est. Etenim non solum sine omni fundamento historico ideoque inepte assereretur, ea aetate scripturas inspiratas exstitisse, verum etiam ipsa scriptura postea conscripta satis clare testatur, in finem con-

servandae et propagandae primitivae revelationis institutum fuisse ministerium ordinarium per successionem Patriarcharum atque extraordinarium per concessionem spiritus prophetici. Sic de Henoch dicitur eum prophetasse de iudicio, quod Deus aliquando in impios exerciturus esset. De Noë vero S. Petrus dicit: „*Octavum Noë iustitiae praeconem custodivit* (Deus) *diluvium mundo impiorum inducens*“ (2. ep. 2, 5.): unde omnes Patriarchae inde ab Enos praecones religionis divinae fuisse videntur. Deinde de Abraham ipse Deus dicit: „*Scio quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini et faciant iudicium et iustitiam*“ (Gen. 18, 19.). Imo etiam extra gentem electam eundem modum traditionis exstitisse scriptura refert. In libro enim Iob Baldad Suhites hortatur: „*Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam; . . . et ipsi docebunt te, loquentur tibi et de corde suo proferent eloquia*“ (Iob 8, 8. 10.).

2) *Tempore legis scriptae* quoque doctrina revelata tra- 3.
ditione conservabatur et propagabatur. Hoc enim erat munus tum sacerdotii a Deo instituti, ut declaratur Deuter. 17, 8. ss. et Mal. 2, 7: „*Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est*“, tum etiam prophetarum, utpote qui nequaquam omnes neque primario prophetias suas scriptis mandaverunt. *Insuper* doctrina de immortalitate animae et futura retributione aeterna in libris Moysis clare et expresse non continetur ideoque etiam apud populum electum, quia eiusdem doctrinae cognitio ad salutem necessaria est, supposita voluntate Dei salvifica universali traditione conservata esse dicenda est. *Denique* ex eadem ratione voluntatis salvificae universalis eadem traditio apud alias gentes, apud quas sacrae scripturae non exstabant, viguisse dici debet. Ex iis enim, ut Augustinus recte notat (de peccat. orig. c. 27.; de praedest. SS. c. 9.; de civit. Dei 18, 47.), multi ad ecclesiam Dei pertinebant ideoque illas veritates ignorare non poterant.

3) *Sub lege denique nova* tempore apostolico diu idem 4.
modus propagandi doctrinam revelatam viguit. Etenim demum

pluribus annis inde a fundatione ecclesiae iam elapsis primus liber N. L., evangelium scilicet S. Matthaei, conscriptus est, ita ut ecclesia per longius tempus sine omni evangelio exstiterit et floruerit. Eo igitur tempore in conservanda et propaganda doctrina revelata N. L. manifesto viguit traditio et quidem ea sola viguit.

Quae cum ita sint, mirum est et incredibile, quod Deus, quam primum libri N. L. conscripti erant, hunc suae providentiae modum subito mutaverit; huius enim rei nulla ratio apparet nec unquam ulla reddi potest. Protestantes igitur hoc asserentes sine ullo fundamento ideoque inepte procedunt.

5. ***2. Ex origine et interna indole librorum N. T.*** — Quod argumentum iam supra indigitatum est, hoc vero loco paulo accuratius exponitur. Videlicet origini illorum librorum causam vel occasionem dederunt peculiaria quaedam adiuncta vel speciales quaedam necessitates, ut v. g. dubia vel quaestiones a singulari persona vel particulari ecclesia propositae, dissensiones inter fideles particularis ecclesia eortae, errores et haereses alicubi serpentes aliaque similia. Huic vero origini et scopo indoles eorundem librorum plane respondet: etenim ad singulares personas vel particulares ecclesias sunt directae, familiares salutationes continent, specialibus necessitatibus provident, concreta facta et determinatas quaestiones respiciunt; nullo autem modo singuli totum corpus doctrinae revelatae proponunt, imo neque data opera nec ordine didactico summam fidei proponunt, qualem v. g. symbola et catechismi continent; neque, ut in libris catecheticis vel didacticis fieri solet, pro diversa gravitate et dignitate diversas doctrinas tractant, sed pro occasione et necessitate data, ita ut v. g. divinitas Spiritus Sancti aliaque, quae fundamentale Trinitatis mysterium spectant, magis breviter et obiter, alia vero minoris momenti, ut virginitatis praestantia (1. Cor. 7.) fuse et ex professo tractentur; tandem nullibi ipsa scriptura vel solum innuit, in ea totam doctrinam revelatam ex professo proponi, imo vero ex tota scribendi ratione apparet, a libris sacris praedicationem apostolicam supponi iam factam esse necnon eandem etiam permansuram esse in futuro tempore. Denique his addi potest, ex permis-

sione divina quaedam scripta apostolica periisse (cf. 1. Cor. 5, 9.; Col. 4, 16.).

Iamvero cum haec sit origo et indoles s. scripturae, 6.
apertum est, ss. scriptoribus minime propositum fuisse, collatis inter se consiliis totam doctrinam revelatam scripto comprehendere, unicuique scilicet certa parte distributa. Hinc vero ulterius manifestum est, ss. scriptores libros suos nullo modo fidelibus tamquam unicum fidei fontem tradere voluisse. Si igitur nihilominus scriptura totam doctrinam revelatam ita contineret, ut unicus fons revelationis esset, hoc spectata intentione ss. scriptorum sc. apostolorum casu et vel ipsis ignorantibus contigisset. Iamvero incredibile est, Apostolos primos fidei praecones et ss. scriptores inspiratos ignorasse, quanam ratione doctrina revelata conservanda in futurum et propaganda esset.

Excipiunt protestantes, spectandum esse hac in re 7.
non ipsorum scriptorum sacrorum, sed ipsius Spiritus Sancti principalis auctoris consilium, qui eosdem inspiravit iisque tamquam instrumentis usus est ad totam doctrinam revelatam conscribendam. Etsi igitur spectatis auctoribus secundariis vel instrumentalibus per accidens factum sit, ut totam doctrinam revelatam conscriberent, id ipsum tamen spectato auctore principali praeconcepto consilio et sapientissima ordinatione factum est. Unde tota vis argumenti facti corruere videtur. — *R.* Neque hac consideratione illud ipsum, quod in se improbabile et incredibile est, probabile et credibile redditur; etenim improbabile et incredibile est et manet, Apostolos, praecones fidei primos et columnas ecclesiae modum ignorasse, quo doctrina revelata in posterum conservanda et tradenda esset. Ceterum haec protestantium hypothesis alia animadversione prorsus excluditur. Nimirum non solum Spiritus Sanctus in scriptura consilium suum totam in ea doctrinam revelatam consignandi nunquam manifestat, verum etiam in omnibus fere novi testamenti scriptis fideles ad praedicationem apostolicam vel traditionem oralem remittit tamquam primarium doctrinae fidei fontem et normam, cuius ope doctrina scripta complenda et exigenda sit (cf. Rom. 16, 17:

1. Cor. 7, 17.; 11, 2. 23. 34.; Gal. 1, 8.; Phil. 4, 9.; Col. 11., 6. 7.: 1. Thess. 4, 2.: 2 Thess. 11, 14.: 2. Tim. 2, 2.). Profecto autem, si divinae sapientiae propositum fuisset primam illam in conservanda et propaganda doctrina revelata observatam oeconomiam abrogandi, non eo ipso tempore, quo abroganda esset, eandem perpetuo et instanter commendasset et inculcasset.

8. ***3. Ex contradictionibus, quae systemati Protestantium inhaerent.*** — Et *primo* quidem ipsa doctrina de principio formali fidei perspicue pugnantia continet. Nimirum secundum hoc principium protestantibus docendum est, atque reipsa docent: *primo* adaequatum fidei obiectum scriptura comprehendi, ita ut nihil sit credendum, quod scriptura non proponat; *secundo* libros, quos canone suo continent, eosque solos esse libros divinitus inspiratos: *tertio* singulos fideles authenticos scripturae interpretes esse. Atqui nulla harum doctrinarum in scriptura continetur. Ergo doctrina Protestantium de principio formali fidei apertam contradictionem continet.

Praeterea non solum quod principium formale fidei, sed etiam quod alia doctrinae capita attinet, plura admittunt, quae in scripturis non continentur. Sic v. g. et ipsi tenent, haereticorum baptismum validum esse, parvulos baptizandos esse, non sabbatum, sed diem dominicam celebrandam esse, in certis conditionibus vel adiunctis insiurandum licitum esse. Ergo iterum sibi contradicunt.

9. ***4. Ex universalitate et unitate fidei.*** — Sicut evangelium Christi in se unum omnibus gentibus et hominibus destinatum est, ut apparet ex verbis Christi: *Docete omnes gentes* (Matth. 28, 19.; et: *Praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. 16, 15.); ita fides christiana universalis et una sit oportet: „*Unus Dominus, una fides, unum baptisma*“ (Eph. 4, 5.); quare Apostolus sicut hortatur ad fidei unitatem, ita ab eadem dissidentes damnat: „*Unanimes id ipsum sentientes*“ (Phil. 2, 2.); „*id ipsum invicem sentientes*“ (Rom. 12, 16.); „*sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*“ (Gal. 1, 7.). Hinc igitur Deus providere debuit atque sane

providit, ut doctrina revelata ea ratione hominibus proponeretur, qua omnes eam tuto et sine errore fide amplecti possent. Atqui modus proponendi doctrinam revelatam a protestantibus assignatus in se ineptus est ad finem illum consequendum, modus autem, quem ecclesia catholica adhibitum et adhibendum esse profitetur, unice accommodatus est. Ergo. Minor facile probatur: Etenim doctrina protestantium, secundum quam scriptura est unicum medium doctrinam revelatam conservandi et propagandi ideoque unicus fidei fons, triplici ratione explicari potest et explicata est:

Primo dici potest, Spiritum Sanctum mediante scriptura **10.** mentem illuminare ideoque hominem in scriptura de eius sensu instruere: quem modum amplexus est ipse Lutherus.

Secundo dici potest, scripturam unicum fidei fontem ita esse, ut homines superno Spiritus Sancti lumine, quod omnibus subministratur, instructi ad eam accedentes eandem infallibiliter recte intelligant: atque hunc modum enthusiastae elegerunt.

Tertio dici potest, rationem naturalem et privatam uniuscuiusque sufficere ad scripturam intelligendam eiusque esse authenticam interpretem; quod rationalistae contendunt. Atqui quaevis harum explicationum manifesto falsa et absurda est ideoque nihil restat, nisi ut magisterium ecclesiasticum tamquam praeco revelationis et authenticus scripturae interpres admittatur; quae est ipsa doctrina catholica. Sane quidem:

1) *Absonum est, rationem naturalem et privatam unius-* **11.** *cuiusque ad scripturam intelligendam sufficere eiusque esse authenticam interpretem, ideoque ex scriptura omnem doctrinam revelatam tuto et infallibiliter cognosci posse.* — Et *primo* quidem iam inde apparet, hunc modum cognoscendae doctrinae revelatae absone asseri, quia per plura saecula typographia nondum reperta, plerisque hominibus exempla scripturae nulla praesto erant. — *Praeterea* plerique homines litteris non instructi s. scripturam legere non potuerunt. — Qui vero *tertio* litteris instructi sunt, saepe quiete et otio carent neque scripturam, ut oportet ad totam inde doctrinam evangelicam hauriendam, legere et scrutari possunt. — Insuper *quarto*, ut

aliquis ex scriptura doctrinam revelatam sibi hauriat, prius constare debet de authentia, genuinitate, inspiratione vel divinitate illorum librorum, de conformitate versionum cum originali, de quibus omnibus naturali ratione nonnisi operosa inquisitione scientifica constare potest, quam paucissimi instituere possunt. Ceteri igitur his fidere debent, qua ratione magisterio divinitus instituto humanum substituitur. — Accedit *quinto*, quod scriptura, ipsa teste (2. Pet. 2, 12.) magnam partem est obscura et indoctis praesertim impervia, quidquid protestantes iactant. Quae obscuritas partim provenit ex sublimitate veritatum propositarum; partim ex scopo et indole librorum, quia scilicet, ut supra dictum est, nequaquam ad instar librorum catecheticorum sunt, sed instructionem catecheticam supponunt; partim et maxime quidem inde est, quod scriptura rationem libri antiqui i. e. iam pridem ante saecula scripti et in lingua peregrina iam dudum emortua exarati habet. Quoad eiusmodi enim libros facile fit, ut propter diversitatem regionum et aetatum necnon culturae morum, legum, institutorum mutationem etiam diverso existente et mutato usu loquendi iam plura in iis difficulter prorsus vel omnino non intelligantur. Neque haec difficultas intelligendi recte scripturam per hermeneuticam et archaeologiam penitus tollitur, sed solum minuitur. Ceterum scripturam in multis non claram sed obscuram esse, sola experientia evincit, cum ipsi exegetae etiam doctissimi et omnibus interpretationis praesidiis muniti de multis ancipites haereant et dissentiant. Unde iterum apparet, neque in auctoritate doctorum fundamentum vel medium exstare, quo homines omnes ad certitudinem ante fidem requisitam pervenire valeant. — Denique *sexto* haec opinio, ut a multis proposita est, ad purum putumque rationalismum ducit vel potius eum aperte continet. Profecto enim, si ratio naturalis et privata cuiuscunque unica et authentica scripturae interpres esse statuitur, consequenter affirmandum est, id solum verum censendum esse, quod ratio ut tale etiam in scripturis intellexerit. Ratio igitur omnis assensus etiam fidei suprema et unica norma est; quare ex fide removendum est, quidquid rationem naturalem excedit vel superrationale et supernaturale est. Scrip-

tura autem ipsa iam normae vim non habet, sed eatenus tantum valet, quatenus in eadem semetipsam invenit ratio. Hinc in ista opinione scripturae auctoritas apparenter quidem extollitur, reipsa autem funditus evertitur. Quae cum ita sint, manifestum est, in eadem opinione non solum universalitatem et unitatem fidei, sed ipsam fidem supernaturalem quamcumque prorsus perire.

12. 2) *Falsa et absona est etiam opinio enthusiastarum.* — Et *primo* quidem prorsus fictitia est, cum quovis fundamento obiectivo vel ex scriptura vel ex traditione petito careat. Etsi enim Deus gratiam illustrationis largiatur, qua homo supernaturaliter credere possit; illustratio tamen ad mentem enthusiastarum, quae sit immediata revelatio et charisma ordinarium excludens magisterium authenticum et supplens externam fidei obiectivae propositionem, praeter et contra omnem experientiam est. — *Secundo* in hac opinatione ipsa scriptura superflua esse videtur; si enim Spiritus Sanctus immediate mentem uniuscuiusque illustrat eique antecedenter ad scripturae lectionem et publicae revelationis perceptionem doctrinam revelatam communicat, iam nullo prorsus adminiculo externo vel instructione ab extrinsecus proveniente opus est; quare ipse Lutherus enthusiastis obiecit, eos ipsam scripturam parvi pendere. — *Tertio* eadem opinio, ut manifestum est, subiectivismum statuit et christianismum obiectivum plane destruit; cum enim diversi homines diversissimas et oppositas doctrinas in scriptura invenire sibi videantur, consequens est, supposita hac opinione, christianae religioni valorem obiectivum non convenire sed forte veritatem quandam relativam vel subiectivam, quae tamen reipsa veritas non est. — *Quarto* denique eadem opinio rationalismo viam sternit. Cum enim illa illuminatio Spiritus Sancti propter multiplicem diversitatem et oppositionem doctrinarum a diversis hominibus ex scriptura petitarum fictitia esse clare perspiciatur, enthusiastae tandem in scriptura intelligenda et interpretanda nullam aliam normam sequuntur, nisi ipsam rationem naturalem et privatam quisque suam; unde iterum ratio naturalis et privata suprema interpres scripturae et revelationis esse sumitur atque purus

rationalismus instauratur. Ergo etiam hac opinione non solum fidei universalitas et unitas, sed etiam ipsa fides destruitur.

13. 3) *Lutheri quoque ipsius explicatio falsa et absona est.* — Videlicet hic haeresiarcha mysticam Spiritus Sancti cum scriptura unionem statuit, qua fiat, ut scriptura potius quam ecclesia sponsa Christi habenda sit; hac vero unione fieri contendit, ut, quicunque scripturam legit vel audit, ei ipsa veritas divina loquatur; hinc autem scripturam propriissimo quodam sensu vivum Dei verbum esse declarat. Porro eodem Luthero auctore scriptura sic spectata duplicem actionem exercet: agit in mentem et efficit, ut ab ea intelligatur; agit in cor vel in mentem et voluntatem simul atque efficit, ut homo renovetur et regeneretur. — Iamvero facile patet, hanc opinionem iisdem fere incommodis et repugnantiis laborare ac sententiam enthusiastarum. Et *primo* quidem aeque fictitia est et quovis fundamento obiectivo destituitur. Etenim praeterquam quod assertio illa duplicis actionis scripturae obscura sit, nihil de ea vel de illa mystica scripturae cum Spiritu Sancto unione neque in scriptura neque in traditione innuitur; insuper in hac quoque opinione immediata revelatio tamquam charisma universale et ordinarium arbitrarie asseritur. — *Secundo* item merum subiectivismum inducit. Cum enim scriptura cum Spiritu Sancto mystice unita in unumquemque legentem et audientem agat, unusquisque sua sensa in scriptura interpretanda sequatur necesse est. Hinc autem diversissimae sententiae et in fundamentalibus dogmatibus oppositae ortae sunt et merito aequale sibi ius vindicare possunt; hinc ipsi haeresiarchae saeculi 16. nunquam fere in scriptura explicanda consenserunt et continuo opiniones mutaverunt. Mirum vero est, imo absonum et contradictorium, quod auctores huius opinionis contendere potuerunt, suas scripturae explicationes esse unice veras; et maxime quidem mirum et absonum et contradictorium est, quod symbola vel formulas concordiae statuerunt, eisque fideles subiicere voluerunt. — *Tertio* item haec Lutheri opinio ad rationalismum ducit. Etenim sub hoc respectu in eadem conditione est error Lutheri ac falsa enthusiastarum opinio. Valet igitur etiam hic ratio supra adducta.

Insuper aliae contra utramque opinionem rationes urgeri 14.
possunt. *Imprimis* reiecta auctoritate ecclesiae et traditionis auctoritas scripturae quoque reiicienda est, quia haec non meliori fundamento nititur, quam illa, imo vero cognitio huius a cognitione illius pendet. Remota vero scripturae quoque auctoritate nullus fons cognitionis supernaturalis superest ideoque sola ratio restat tamquam fons cognitionis religiosae, quae est ipsa rationalismi doctrina. *Praeterea* libertas conscientiae et examinis a Luthero asserta („quisque iudex liberrimus sit omnium, qui docent eum, intus a solo Deo doctus") aequo iure ad omnia se extendit; ergo etiam ad ipsam scripturam. Hac autem ratione scriptura rationi humanae subiicitur et haec illius interpres authentica et norma suprema cognitionis religiosae esse statuitur, quod iterum fundamentale rationalismi principium est. Quare manifestum est etiam Lutheri opinione non solum universalitatem et unitatem fidei, sed ipsa fidei fundamenta destrui.

4) *Doctrina catholica tum indoli religionis christianae* 15.
tum naturae humanae apprime consentanea est. — Quae assertio re vel obiter solum inspecta prorsus manifesta est. Etenim *primo* in qualibet societate humana auctoritas quaedam suprema exsistit, a qua omnia eiusdem membra regantur; ergo etiam in multitudine Christi fidelium, utpote quae debet esse societas ordinata, exsistat oportet quaedam auctoritas, quae omnia et singula membra ad finem dirigat eisque credenda et agenda proponat. — *Secundo,* nulla est societas, quae solo codice legum scripto ita regatur, ut singulis quibusque membris eiusdem codicis interpretatio aeque commissa sit; sed ubique exstat aliqua norma viva vel iudex authenticus, qui cum auctoritate leges interpretetur et applicet. Ergo neque Christi fidelium coetus in fide et moribus sola scriptura singulorum quorumlibet interpretationi commissa regitur, sed iudex quidam vivus et authenticus exsistere debet, qui legitime et infallibiliter ipsam scripturam interpretetur. — *Tertio* quaelibet societas bene constituta magna ex parte legibus non scriptis regi solet; ergo convenienter hoc idem in ecclesia valere debet, et eo quidem magis, quod in ea lex gratiae viget, quae potius quam in tabulis lapideis in cordibus hominum inscribitur. — *Quarto*

doctrina catholica perfecte unitati fidei consulitur. Cum enim magisterium authenticum sit supremus et infallibilis iudex credendorum vel ipsius doctrinae revelatae scriptae et traditae authenticus interpres, necesse est, ut singuli fideles magisterio authentico subiecti omni dissensione quoad dogmata proposita sublata in unam eandemque fidem conveniant. — *Quinto* denique in doctrina catholica etiam universalitati fidei consulitur, i. e. omnes satis facile ad fidem pervenire posse intelliguntur. Etenim opus non est, ut singuli quique homines, antequam credere possint, longas instituant inquisitiones historicas et criticas et philosophicas in authentiam, genuinitatem, originem divinam, doctrinam et sensum scripturae: quae inquisitiones difficiles sunt atque plerisque impossibiles: sed facilis et plana via exstat, qua ad scopum intentum pertingant. Nimirum cognitio divinae originis et auctoritatis ecclesiae facilis et omnibus obvia est per sigilla divina, quibus inde a sua origine continuo per omnem aetatem insignita est et splendet. Cognita autem ecclesiae auctoritate in promptu etiam cognitio eorum est, quae fide divina et christiana credi debeant; utpote quae ab ecclesia clare et sine ambagibus infallibili auctoritate omnibus proponuntur. Qua ratione omni dubitatione et haesitatione sublata catholici etiam rudes et inculti secure doctrinae revelatae fide divina adhaerent. Hoc igitur modo possibilitati, rationabilitati, universalitati fidei optime et sapientissime consultum est.

Excipiat forte aliquis etiam in hac catholica explicatione denique ultimatim rationem humanam tamquam normam fidei statui, cum ante fidem susceptam rationis esse dicatur, iudicium ferre de divina ecclesiae auctoritate. — *R. n.* prorsus. Aliud est cognoscere divinam ecclesiae auctoritatem, aliud ex scriptura doctrinam credendorum construere. In illa cognitione ratio auctoritatem divinam agnoscit eique se subiicit relate ad dogmata credenda: in hac autem ratio autonoma est atque ipsa sibi, quae credenda sint, discernit et proponit.

16. ***5. Confirmatur ex historia.*** — Quae in argumento praecedenti exposita sunt egregie confirmantur ex historia tum ecclesiae catholicae tum protestantismi. In illa

enim universalitas et unitas eiusdem fidei tam egregie splendent, ut cuiusque oculos percellant, qui vel obiter rem consideret; fidei vero protestanticae tum nulla unquam fuit nec universalitas nec unitas tum hac aetate plena dissolutio et ruina iam instat. Etenim *Lutherus* ipse quidem initio suae ab ecclesia defectionis immediatam Spiritus Sancti illustrationem vel revelationem cuiusque hominis privati rationi impertitam tamquam principium et radicem fidei ponit: „quisque iudex liberrimus sit omnium, qui docent eum, intus a solo Deo doctus"; postea vero, cum ex hoc principio protestantismus in diversas partes scinderetur, atque innumerae sectae pullularent, munus ecclesiasticum a Deo institutum, cuius unicus fons sit Christus, urgens sibi idem vindicavit. Unde ipsi protestantes duplicem Lutherum distinguunt: unum ante annum 1525. alterum vero post eundem annum. Similiter alii ingenti contradictione abiecto vero magisterio authentico a Christo instituto magisterium humanum substituerunt. Ceteri vero magis sibi constantes et principio fundamentali defectionis protestanticae inhaerentes omne magisterium constanter recusarunt, simul autem, quod inde necessario consequitur, aperte concesserunt, unitatem vel universalitatem fidei nec necessariam nec possibilem esse, quae quidem concessio ex illo principio fundamentali sine dubio legitime consequitur, sed simul cum Dei revelatoris sapientia, sanctitate, auctoritate et cum ipsa scriptura evidenter pugnat. Iam hac nostra aetate protestantes omnes principium illud fundamentale liberi examinis obstinate retinent, simul vero plerique concedunt quoque, cum eo unitatem et universalitatem fidei componi non posse; atque in his duobus capitibus doctrinae penitus subversivis consentientes in ceteris omnibus dissentiunt atque in innumeras fere factiones dividuntur, quin tamen singula eiusdem factionis membra ullo modo in omnibus consentiant. Praecipuae vero factiones sic recenseri possunt.

17. Multi solum sensum quendam religiosum et fiduciam in Christum postulant, fidem vero vel dogmata certa et determinata non curant; quae est factio *Pietistarum*. Ad hos fere accedunt illi, qui generalem quandam fidem in Christum pro-

fitentur atque scripturam tamquam publicum religionis christianae librum considerant: in ceteris autem plenam omnibus libertatem vindicant: qui sunt *Unionistae universales.* Alii unitatem fidei vel consensum postulant circa doctrinas fundamentales, in ceteris dissensum permittunt; neque tamen unquam concordes consenserunt, quaenam doctrinae determinatae tamquam fundamentales habendae sint: atque hi vocantur *Unionistae positivi.* Iterum alii plenae fidei dissolutioni per fundamentale protestantium principium inductae mederi volentes magisterio authentico divinitus instituto auctoritatem reformatorum vel librorum symbolicorum substituerunt: quae est pars *Lutheranorum orthodoxorum antiquae professionis.* Alii deinceps auctoritatem ecclesiae divinitus institutae admittunt, sed ecclesiam intelligunt in abstracto exsistentem vel idealem, quae nullibi in concreto ut visibilis exsistat vel ecclesiam exspectant, quae adhuc fundanda est nova Spiritus Sancti effusione: atque hi *Neolutherani* vel *Pseudomystici* vocantur. Denique alii multi principio fundamentali liberi examinis in re religionis multum insistunt atque idem secundum plenam suam vim urgent et applicant: hinc autem ipsam scripturam tamquam normam fidei accipere recusant contendentes id solum in rebus fidei admittendum esse, quod unusquisque propria sua et privata ratione de scripturis et in iisdem invenerit. Hi sunt *Rationalistae*, qui se solos veros et genuinos protestantes esse proclamant. Quae factio inter protestantes continuo magis magisque progreditur atque protestantismum, ut est confessio christiana, paulatim penitus dissolvit.

Corollarium.

18. ***1. Exsistunt traditiones obiectivae tum merae orales sive constitutivae tum inhaesivae tum declarativae.*** — Hucusque duo imprimis ex professo demonstrata sunt: primo, exsistere aliquod magisterium vivum authenticum, cui Christus conservationem, propagationem, explicationem verbi revelati commisit; secundo verbum Dei revelatum

non solum per scripturam, sed etiam orali traditione conservari et propagari. Atque sic, quod caput est totius inter catholicos et protestantes controversiae, modus scilicet, quo verbum Dei revelatum conservatur et propagatur, explicatus et definitus est. Simul tamen alia quaedam satis demonstrata relinquuntur, quae spectant non modum conservationis et propagationis, sed ipsas doctrinas conservatas et propagatas et mutuam habitudinem, quam sub hoc respectu traditio et scriptura ad invicem habent. Verum claritatis causa expedit, ut haec inter scripturam et traditionem spectata doctrinae obiectivae amplitudine exsistens habitudo expressius et uno conspectu prae oculis ponatur:

1) *Exsistunt traditiones obiectivae mere orales sive constitutivae.* — Traditio obiectiva mere oralis sive constitutiva doctrinam revelatam dicit, quae in scriptura nullo modo continetur sed sola traditione activa conservata et propagata est. Iamvero certum prorsus est, plures eiusmodi doctrinas exstare. Ergo. Minor probatur:

a) Imprimis huc spectant *plura Apostolorum testimonia* **19.** iam supra (th. 1.) allata, quibus significant, se non omnia, quae ore praedicarunt, scriptis consignare. Sic v. g. *primo* commendant generali modo doctrinam iam viva voce propositam et simul innuunt, sibi propositum non esse, ut totam doctrinam traditam scribendo recolant, sed solum, ut quaedam supperaddant, vel ut speciale quoddam caput totius illius doctrinae recolant et inculcent (1. Cor. 11, 1. ss.; 2. Thess. 3, 6. ss.; 1. Cor. 15, 1—3. ss.; Phil. 3, 17. ss.; Col. 2, 6. 7. ss.; 1. Thess. 4, 1. ss.; 2. Thess. 3, 6. ss.). *Deinde* quandoque fideles ad ea plenius intelligenda et supplenda, quae in epistolis scriptis compendio solum proponunt, ad oralem praedicationem, quae praecesserat, remittunt (1. Cor. 14, 33.; Phil. 4, 8. 9.; 2. Tim. 1, 13. 14.; 2, 8.). Ergo quando Apostolus has epistolas scribebat, traditiones quaedam obiectivae mere orales vel constitutivae exstabant. — *Neque vero dici potest, eiusmodi traditiones mere orales omnes in libris sacrae scripturae deinceps scriptis consignatas esse.* Etenim *primo* fideles ad traditionem remittunt cum ea in-

stantia et sollicitudine, quae cum instanti traditionis abolitione vel suppletione per scripturam componi non potest (cf. Rom. 16, 17; 1. Cor. 11, 2.; Gal. 1, 8; 1. Cor. 15, 1.; Coll. 2, 6. 7; Gal. 1, 8.; Coll. 2, 6. 7.: 1. Tim. 1. 13. ss.: 1. Ioan. 2, 24.). *Praeterea* nonnunquam diserte significant vel innuunt, quaedam doctrinae capita minus apte scriptione quam orali praedicatione doceri: sic v. g. scribunt, se viva voce ea, quae scripto consignaverant, postea suppleturos esse (1. Cor. 11, 34.: 1. Thess. 3, 10.; Phil. 3, 17.: 2. Thess. 3. 7.; Phil. 4, 9.). Tandem *tertio*, cum iam plerique libri s. scripturae scripti erant, nihilominus Apostoli eorumque successores fideles remittunt ad traditiones tamquam completivas doctrinae per scripturam acceptae (2. Tim. 1, 13.; 2, 2.: 1. Ioan. 2, 24.: 2. Ioan. 12.: 3. Ioan. 14.); atque hoc ipsum vel in fine evangelii sui, quo canon scripturae conclusus est, S. Joannes facere videtur (Ioh. 20, 30. 31.; 21, 25.).

20. b) Ex traditione idem constat. Huc spectant plura testimonia PP. iam supra (th. 2. praes. a. n. 11.) adducta. Quibus addi possunt quaedam alia, quibus affirmant, quaedam capita fidei in scriptura non contenta per apostolicam traditionem ad nos pervenisse. Ita v. g. *Origenes* de baptismo parvulorum: „Ecclesia ab apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare“ (In ep. ad Rom. c. 5. n. 9.). Similiter *Epiphanius* (Haer. 75, 9.) et *Chrysostomus* (Hom. 3 in ep. ad Philip. n. 4.) asserunt, ex sola traditione haberi, quod ecclesia commemorationem defunctorum faciat: atque prior eodem loco addit: „Deum partim scripto, partim sine scripto docuisse, et ecclesiam habere decreta quaedam prorsus indissolubilia.“ Huc spectat etiam aliquod testimonium *Tertulliani*, quamvis pleraque eorum, quae enumerat, indolem dogmatum vel veritatum revelatarum non habeant: „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis (martyrum) annua die facimus: die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri (eucharistici) aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et omnem exitum, ad vestitum

ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia. quaecunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostulas, scripturam nullam invenies: Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix" (De corona c. 3.).

c) Denique idem patet ex argumento, quod supra (Thes. 2. n. 30) ex internis opinationis Protestantium contradictionibus ductum est.

21. 2. *Exsistunt etiam traditiones inhaesivae.* — Nomine traditionum inhaesivarum, ut supra (th. 1. n. 8.) dictum est, eae traditiones obiectivae intelliguntur, quae eandem doctrinam exhibent, quae etiam clare et expresse in s. scriptura continetur. Itaque de traditionibus hic agitur, quae non obiecto vel materia, sed solo modo transmissionis a scriptura distinguuntur. Quare cum traditio dicat fontem a scriptura praecise modo transmissionis doctrinae revelatae distinctum, ad demonstrandam assertionem positam ostendendum est, traditiones exstare, quae quidem a doctrina scripturae obiective indistinctae sint, nihilominus tamen non ex scriptura sed ex viva praedicatione ecclesiastica ortum sumpserint; vel aliis verbis ostendendum est, doctrinam fidei, non solum, quatenus scripturis consignata est, sed etiam quatenus praedicata est ab apostolis, conservatam et usque ad nos transmissam esse. Porro eiusmodi traditiones inhaesivas exsistere eatenus, quatenus doctrina fidei in scripturis consignata quoad praecipua sua capita saltem etiam ex viva praedicatione apostolica per continuam traditionem usque ad praesentem ecclesiam pervenerit, sententia catholica est: per praecipua autem fidei capita intelliguntur tum quae omnibus creditu necessaria sunt, ut articuli symboli apostolici, tum quae ad vitam christianam ducendam necessario requiruntur, ut gratia, sacramenta, sacrificium missae, tum quae in fide communi publica ecclesiae sunt. Quo sensu intellecta assertio posita iam probanda est.

22. a) Prima ratio quasi a priori est. Videlicet praecipua fidei capita in scripturis consignata sine dubio semper in

publica praedicatione et professione ecclesiae fuerunt; iamvero fidei dogma, quod semper in publica ecclesiae fide fuit, a praedicatione apostolica quasi per manus traditum ad nos pervenisse intelligitur; ergo praecipua fidei capita in scripturis consignata etiam traditione transmissa ad nos pervenerunt.

23. b) Idem ex scriptura patet. Huc enim spectant manifesto argumenta supra (1. th.) iam adducta. *Primo* magisterium authenticum et infallibile a Christo ad conservandam et propagandam doctrinam revelatam institutum, ut ibi ostensum est, ex eiusdem Christi mandato viva vocis praedicatione exercendum est. Porro item ex Christi ordinatione hoc magisterium perenniter usque ad finem mundi duraturum est ideoque ab Apostolis in eorum successores et ab his in alios successores necessario transivit et nunquam interrupta serie continuo transibit. Ergo, quia, ut dictum est, hoc magisterium viva vocis praedicatione vel etiam aliis subsidiis a scriptura distinctis, ut catechismis atque similibus exercetur, necessario consequitur, doctrinam fidei, quoad praecipua saltem sua capita ab apostolis eorumque successoribus viva vocis praedicatione vel aliis mediis a scriptura distinctis, traditione igitur conservatam et propagatam esse et in posterum usque ad finem mundi conservandam et propagandam esse. Quare manifestum est, traditiones obiectivas inhaesivas exstare. — *Secundo* simili ratione cetera argumenta in thesi ex scriptura producta facile huc accommodantur.

24. c) Item traditio luculentam testificationem hac in re exhibet. Etenim SS. Patres saepe testantur summam praecipuarum saltem fidei veritatum non solum per scripturam sed etiam traditione inde ab apostolica praedicatione procedente transmissam esse atque continuo ad ecclesiam succedentem transmissum iri. Huc spectant plura testimonia supra (th. 2. n. 11. ss.) iam adducta; quibus alia quaedam addi possunt. Sic v. g. *Irenaeus* clare significat, gnosticorum somnia tum scripturis tum independenter ab iis traditione quoque refutari; censet igitur veritates gnosticorum deliriis oppositas tum scripturis tum traditione contineri: „Cum ex scripturis argu-

untur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sunt dictae, et quia non possit inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Non enim per litteras traditam eam, sed per vivam vocem . . . Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis exsistentes sapientiores sinceram invenisse veritatem. Evenit itaque neque scripturis iam neque traditioni assentiri eos" (Adv. haer. l. 3. c. 2.). Et alibi iterum easdem veritates contra Gnosticos demonstrans clare inter utrumque revelationis fontem, traditionem et scripturam, distinguit, atque illam ab apostolis provenire significat: „Traditione igitur, quae est ab Apostolis, sic se habente in ecclesia, revertamur ad eam, quae est ex scripturis, ostensionem" (Ib. c. 5.) Hanc porro traditionem inhaesivam per supernaturalem Spiritus Sancti operationem in ecclesia perenniter perseveraturam esse perspicue declarat: „Praedicationem ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem . . . ostendimus . . per eam, quae secundum salutem est, solitam operationem, quae est in fide nostra, quam perceptam ab ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei quasi in vase bono (i. e. in ecclesia) quasi eximium quoddam depositum invenescens et iuvenescere faciens ipsum vas, in quo est. Hoc enim ecclesiae creditum est Dei munus" (l. 3. c. 24. n. 1.).

Similiter *Tertullianus* clarissime significat, summam vel 25.
regulam fidei (i. e. symbolum antea ab ipso recitatum) tum in scriptura tum in traditione contineri, atque hanc ab apostolica praedicatione originem ducere declarat: „Quid autem praedicaverint (Apostoli) i. e. quid illis Christus revelaverit, et hinc praescribam non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva quod aiunt voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis

ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit, reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapit contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei. Superest ergo, ut demonstremus, an haec nostra doctrina, cuius regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis" (De praescript. haer. c. 21.). Et inferius concludit: „Si haec ita se habent, ut veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere" (Ib. c. 37.).

26. Huc etiam spectant ea SS. Patrum testimonia, quibus dogmata in scriptura contenta et ex ea iam probata ex traditione ab initio manante probant. Hac enim ratione traditionem accipiunt tamquam fontem distinctum et independentem a scripturis relate ad ipsas illas veritates, quae etiam in scripturis continentur. Sic *Athanasius* divinitatem Spiritus Sancti demonstraturus exorditur: „Videamus illam ab initio traditionem et fidem catholicae ecclesiae: in hac enim ecclesia fundatur" (Ep. 9. ad Serapionem de Spiritu Sancto n. 28.). Et *Augustinus* pluribus Patribus tamquam testibus doctrinae de peccato originali adductis notat: „Haec ideo commemoravi . . . ut appareat ab initio usque ad tempus praesens, quo ista novitas exorta est, hoc de originali peccato apud ecclesiae fidem summa constantia custoditum esse" (De peccator. meritis et remissione l. 3. c. 7.).

27. 3) *Exstant etiam traditiones declarativae.* — Nomine traditionum declarativarum eae intelliguntur, quae eandem doctrinam, quae in scriptura magis implicite vel obscure continetur, expressius et clarius proponunt, atque hac ratione ad ipsam scripturam intelligendam et interpretandam inserviunt.

Assertio igitur eiusmodi traditionum tamquam obiectum habet non magisterium ecclesiasticum tamquam authenticum scripturae interpretem, sed potius doctrinas fidei independenter a scriptura traditas, quibus vel ipsum magisterium authenticum ad scripturam interpretandam uti potest. Iamvero eiusmodi traditiones reipsa exstare, ex pluribus rationibus patet.

28. a) Et *primo* quidem, id ex ipsa scriptura patet. Nam Apostoli non raro in suis epistolis fideles ad doctrinam antecedenter iam apostolica praedicatione eis traditam remittunt, utpote qua doctrina scripta compleatur, illustretur, explicetur: „*Sicut accepistis . . . sicut didicistis*“ (Col. 2, 6. 7.). „*Sicut in omnibus ecclesiis doceo*“ (1. Cor. 7, 7.). „*Sicut tradidi vobis*“ (1. Cor. 11, 2. 13.). „*Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam*“ (1. Ioh. 2, 21.). „*Quod audistis ab initio, in vobis permaneat*“ (ibid. 24.). „*Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem, ut memores sitis eorum, quae praedixi verborum a sanctis prophetis et apostolorum vestrorum, praeceptorum Domini et Salvatoris*“ (2. Pet. 3, 1. 2.).

29. *Secundo* idem elucet ex ratione agendi magisterii authentici, utpote quod non raro traditione divina tamquam medio utitur ad verum scripturae sensum eruendum et determinandum. Neque etiam aliunde, quam ex traditione intelligentia loci obscuri scripturae manare posse intelligitur, quia nullae illustrationes vel revelationes immediatae a Deo in hunc finem conceduntur. Porro magisterium authenticum reipsa ex traditione petivisse intelligentiam locorum scripturae obscurorum certum est. Huc spectant plura exempla antiquorum conciliorum et Romanorum Pontificum supra iam relata (Th. 2. n. 20. ss.). Alia plura exhibet omissis aliis conciliis *Concilium Tridentinum*. Sic v. g. in sessione 14. agens de sacramento extremae unctionis atque asserens institutionem huius sacramenti a Iacobo Apostolo 5, 14. 15. relatam et promulgatam esse, hanc suam interpretationem ex traditione derivat: „Quibus verbis, ut ex apostolica traditione

per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam ministrum et effectum huius sacramenti" (c. 1.).

30. *Tertio* item veritas assertionis patet ex testificatione christianae antiquitatis. Quod luculenter iam patet ex testimoniis supra (th. 2. n. 6 ss.) adductis. Quare sufficit hoc loco aliud *Origenis* testimonium referre. Nimirum immediate ante verba ibi adducta declarat: „se iis, qui persuasum habent, sacros libros non esse hominum commentarios, sed Sancti Spiritus afflatu, voluntate Dei parentis universorum per Iesum Christum scriptos esse et ad nos pervenisse, qua via in eorum lectione insistendum nobis sit, se indicare conaturum esse, servata coelestis secundum successionem Apostolorum Iesu Christi ecclesiae regula" (De princip. l. 4. n. 8.).

31. ***2. Multiplex habitudo vel etiam prioritas traditionis ad scripturam recte asseritur.*** — Plura iam in decursu huius tractationis exposita vel notata sunt, quae ordinem vel habitudinem inter traditionem et scripturam attinent. Iamvero ea omnia hoc loco componere et adiectis quibusdam explicationibus uno conspectu exhibere claritatis causa expedit. Porro in hac inter traditionem et scripturam comparatione traditio sumitur tum obiective pro doctrina revelata, quae et quatenus independenter a scriptura primitus communicata et conservata et propagata est, tum subiective vel active pro mediis huius communicationis et transmissionis; scriptura autem sumitur tum materialiter pro libris omnibus verbum Dei scriptum continentibus tum formaliter pro doctrina in his libris contenta.

32. 1) *Spectata origine traditio ad scripturam se habet sicut prius ad posterius.* — Cum origine prius illud sit, quod ante alterum in exsistentiam venit, sensus et veritas propositionis manifesti sunt. Etenim *primo* in statu legis naturae revelatio quidem exstabat et ope solius traditionis custodita et transmissa est; nulla autem scriptura divinitus inspirata exsistebat. *Deinde* etiam in nova lege revelatio christiana, etsi non integra, quoad praecipua saltem capita promulgata et transmissa est, antequam ullus novi testamenti liber conscriberetur. Ergo.

Neque tamen dici potest sive totam doctrinam revelatam 33.
traditione transmissam esse, antequam ulla eius pars scriptura consignaretur, sive quamque doctrinae revelatae partem prius ore traditam et deinde scriptam esse. Etenim primum excluditur, quia revelatio demum in apostolis conclusa est, quando iam exstabant scripturae tum veteris tum novi testamenti; alterum autem admitti nequit, quia v. g. S. Ioannes, quae spiritu prophetico vidit, statim in libro scribere et septem ecclesiis in Asia mittere iussus est (Apocal. 22. 7. 10. 19.).

2) *Spectata notificatione traditio ad scripturam se habet* 34.
ut principium testificans ad rem testatam. — Scriptura hic spectatur materialiter pro complexu librorum sacrorum; quare tria de ea in quaestionem veniunt: scripturae genuinitas, integritas, divina inspiratio. Porro scriptura sub hoc triplici respectu nonnisi per traditionem a nobis cognoscitur. Etenim traditio aut est mere historica, quando scilicet mediis mere humanis transmittitur, aut est christiana et divina, quando organo divinitus instituto innititur et ab eo transmittitur medio praedicationis apostolicae. Iamvero:

a) Saltem traditione historica opus est, ut de genuinitate, 35.
integritate, divina inspiratione librorum sacrorum constare possit. Ratio aperta est *primo* quoad genuinitatem et integritatem: nam de nullius libri praeterito tempore conscripti genuinitate et integritate alia via naturaliter constare potest, quam per testimonia humana sibi invicem succedentia: eiusmodi autem testimoniis traditio historica constituitur; ergo. Idem constat *secundo* quoad inspirationem; etenim de inspiratione alicuius libri ad sacram scripturam pertinentis aut ex ipsa scriptura aut ex testimoniis historicis vel traditione constare potest: atqui sacra scriptura nequaquam docet, quinam omnes et soli libri inspirati sint; ergo traditione saltem historica opus est ad hanc cognitionem acquirendam.

b) Opus etiam est traditione divina, ut genuinitas, inte- 36.
gritas et inspiratio scripturae, ut oportet, cognosci possint. Etsi enim omnium et singulorum librorum genuinitas et integritas et inspiratio argumentis mere historicis et criticis

demonstrari forte possit; eiusmodi tamen cognitio per longas et difficiles inquisitiones scientificas accommodata non esset ad indolem, conditiones, necessitates plerorumque hominum, ut iam supra (th. 3. n. 16.) expositum est. Ergo, cum cognitio illa scripturae, ut ibidem dictum est, non per illustrationem divinam immediatam omnibus et singulis communicetur, restat, ut per magisterium authenticum vel traditionem divinam singulis impertiatur.

37. 3) *Traditio ad scripturam tamquam norma interpretationis refertur.* — Assertio intelligitur de traditione tum active spectata sive de magisterio authentico tum de traditione obiective spectata. De traditione active sumpta iam constat ex thesi 2. n. 16 ss.; insuper vero ex ipsa ratione essentiali magisterii authentici intelligitur. Etenim magisterio authentico commissum est a Christo et essentialiter ad ipsum spectat, ut doctrinam revelatam vel totum fidei depositum conservet, propaget, explicet (cf. Th. 1. n. 25. ss.): atqui ad depositum fidei sive ad doctrinam revelatam essentialiter spectat scriptura; ergo magisterio authentico propositio et expositio scripturae incumbit. De traditione obiective sumpta assertio iam supra (coroll. 1. n. 27.) demonstrata est.

Notandum vero est, hac scripturae ad traditionem relatione nequaquam excludi, quod independenter a traditione plura in scriptura prorsus aperta et obvia sint et aliorum plurium sensus subsidiis hermeneuticis naturalibus certo erui et determinari possit. Neque igitur scientifica scripturae interpretatio assertione statuta removetur. Etenim *primo* magisterium authenticum circa multos locos neque sollemni definitione neque ordinaria et communi praedicatione versatum est; quare integrum est exegetae catholico uti omnibus subsidiis scientiae hermeneuticae ad sensum illorum locorum eruendum et stabiliendum. Quod vero *secundo* locos iam authentice explicatos attinet, exegetae restat et incumbit, ut veritatem huius explicationis etiam adhibitis subsidiis hermeneuticis, quantum fieri potest, scientifice demonstret et defendat. *Ceterum,* cum verae exegesis scientificae alius scopus non sit, quam verum scripturae sensum investigare et determinare, evidenter patet,

eandem in hoc scopo assequendo authentica interpretatione, utpote quae infallibiliter vera est, non impediri, sed potius iuvari et promoveri.

4) *Spectata amplitudine doctrinae contentae traditio* **38.** *scripturam secundum quid excedit et secundum aliud ab eadem exceditur.* — Et *primo* quidem traditio scripturam secundum quid excedit. Etenim ut supra (n. 21.) ostensum est, traditio una sui parte cum scriptura obiective identica est, quia tum in scriptura tum in traditione praecipua fidei capita continentur; altera vero sui parte traditio a scriptura obiective differt, quia nonnulla fidei capita continet, quae in scriptura non continentur, quod item supra (n. 18.) demonstratum est. Ergo secundum quid i. e. secundum haec doctrinae capita traditio scripturam excedit.

Praeterea vero secundum aliud traditio a scriptura exce- **39.** ditur. Etenim cum scriptura una sui parte cum traditione, ut dictum est, obiective identica sit, secundum aliam sui partem a traditione obiective distinguitur, quia plura continet, quae a traditione non exhibentur. Etenim ea, quae in scriptura continentur, in duplici differentia inveniuntur: alia sunt revelata propter se; alia propter aliud revelata sunt. „Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundum se; aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia; sicut etiam in scientiis quaedam proponuntur ut per se intenta, et quaedam ad manifestationem aliorum. Quia vero fides principaliter est de his, quae videnda speramus in patria secundum illud Hebr. 11, 1.: *Fides est substantia sperandarum rerum*, ideo per se ad fidem pertinent illa, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam; sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi et alia huiusmodi; et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quaedam vero proponuntur in sacra scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem; sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus, et alia huiusmodi, quae narrantur in scriptura in ordine ad manifestationem divinae maiestatis vel incarnationis Christi:

et secundum talia non oportet articulos distinguere" (S. th. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1.). Iamvero dogmata prioris generis quidem, non vero ea posterioris generis traditione conservata et transmissa sunt; neque dogmata posteriora, cum valde multa sint, a traditione conservari et transmitti potuisse, facile intelligitur. Quoad haec igitur dogmata traditio a scriptura exceditur.

40. Ab hac assertione *Cardinalis Franzelin* aliique theologi ipsum sequentes non sententia sed modo loquendi solum discedunt, quando asserunt. traditionem amplitudine sua obiectiva excedere simpliciter scripturam atque ad eandem se habere tamquam totum ad suam partem. Nimirum per traditionem tunc intelligunt totum fidei depositum vel integram doctrinam revelatam non scriptam una cum scripta, prout a magisterio authentico conservatur et transmittitur: atque sic accepta voce traditionis patet, assertionem eam veram esse: ex altera enim parte etiam illi theologi concedunt. ea quae per accidens revelata esse dicuntur, per traditionem oralem non transmitti. Sed, ut recte notat *Desan* (p. 99. et p. 127.), haec ipsa ratio loquendi tamquam minus apta probanda esse non videtur. Etenim *primo* aliena est a communi modo loquendi theologorum, utpote qui omnes nomine traditionis designant fontem revelationis ut talem a scriptura contradistinctum; qui modus loquendi etiam conciliis et SS. Patribus magis consentaneus esse videtur. *Praeterea* illa ratio loquendi. prouti a Cardinali in praesenti comparatione adhibita est. ambiguitatem causat. Etenim quando dicitur traditionem quaedam dogmata continere, quae in scriptura non inveniuntur, traditio in sensu stricto pro fonte a scriptura funditus distincto i. e. pro orali praedicatione sumitur; quando vero dicitur, traditionem, utpote quae complectatur totum fidei depositum i. e. scripturam et oralem traditionem, se habere ad scripturam tamquam totum ad suam partem, traditio in sensu latiore sumitur. Iamvero apertum est, mutationem alicuius termini in eadem comparatione factam, claritata derogare et ambiguitatem promovere. Ergo. — Ratio vero, qua Cardinalis Franzelin suam vocis traditionis acceptionem fundat,

valere non videtur. Etenim nomen traditionis omni doctrinae fidei competere dicit, quae per medium a scriptura distinctum conservatur et transmittitur: ideoque doctrinam revelatam scriptam etiam ut talem, utpote quae medio distincto ab ipsa scriptura scilicet magisterio authentico conservatur, ad traditionem pertinere. Haec inquam ratio non valet: quia magisterium authenticum solum medium conservationis et transmissionis mediatum est; quando autem media transmissionis doctrinae revelatae in scripturam et traditionem discernuntur, media immediata non autem mediata intelliguntur.

Scholion.

1. Obiectiones quaedam reliquae solvuntur. 41. — Cum argumenta protestantium ex scriptura et antiquitatis testimoniis petita iam supra (th. 2. n. 24 ss.) soluta sint, restat, ut hoc loco imprimis obiectiones ex ratione theologica petitae expediantur.

1. *Traditiones semper fons communis exstiterunt, ex quo haeretici suos errores hauserunt; imo ex traditione quoque opiniones absurdae, ut doctrina chiliasmi, emanarunt, quae intra ecclesiam aliquo tempore eruperunt atque fideles perturbarunt. Ergo ex sola scriptura fides petenda est. — R. d.* anteced.: Traditiones genuinae, i. e. tales, quae ab authentico magisterio proponebantur et universaliter in ecclesia receptae erant, fons errorum haereticorum et opinionum absurdarum erant *n.*: traditiones fictitiae, falsae, apocryphae *sbd.* nonnunquam *c.* frequenter *n.* Etenim historia ecclesiastica teste haeretici multo saepius in scripturis apocryphis vel in scripturis veris corruptis vel male explicatis errores suos fundaverunt (cf. *Tertullianus*, de praescriptione haer.).

2) *Traditiones non scriptae longo saeculorum decursu integrae servari non possunt, sed spectata hominum negligentia, perversitate, oblivione et imprimis innumeris fere haeresibus primis saeculis grassantibus necessario multis corruptionibus vel falsationibus obnoxiae erant. Ergo Deus tra-* 42.

ditionem tamquam medium infallibile, quo doctrina revelata conservaretur et transmitteretur, eligere non potuit nec elegit. — *R. n.* antec. et suppositum. Nam antecedens argumenti oppositi tum duplici falsa suppositione laborat tum permissa hac duplici suppositione falsum esse cognoscitur.

43. a) Videlicet *primo* supponitur, traditionem elementis mere humanis vel naturalibus absolvi, quod plane falsum est et ipsam notionem traditionis a catholicis assertae penitus pervertit. Etenim traditio praeter elementa naturalia elementum supernaturale et invisibile complectitur eoque essentialiter informatur, quod est infallibilis et iugis Spiritus Sancti assistentia, directio et tutela a Christo principali traditionis organo, magisterio authentico, clarissimis verbis promissa. Quare absurde obiicitur contra doctrinam catholicam ex indole traditionum mere naturalium.

44. b) *Secundo* altera etiam suppositione falsa argumentum obiectum laborat. Supponunt enim traditionem a catholicis defensam absolvi transmissione mere orali doctrinae revelatae, quae omnem eiusdem doctrinae in scriptis libris vel aliis monumentis consignationem excludat. Atqui haec suppositio iterum plane falsa est, cum traditio catholice intellecta omne medium a scriptura inspirata distinctum complectatur. Sicut enim aliqui apostoli, quamvis tamquam principale et proprium munus magisterium vivum apostolicae praedicationis exercerent, nihilominus Spiritu S. inspirante doctrinam revelatam partim libris ss. scriptis in subsidium oralis praedicationis consignarunt, ita etiam successores Apostolorum vel iisdem sive instigantibus sive invigilantibus alii doctrinam fidei non solum, quod principale eorum munus est, ore praedicarunt, sed eodem Spiritu Sancto non quidem inspirante sed suaviter providente, pro rerum, personarum, temporum adiunctis in scriptis libris et aliis monumentis consignarunt. Iamvero eiusmodi documenta formaliter ad traditionem rite et catholice intellectam pertinent, necnon subsidia esse intelliguntur, quibus Spiritu Sancto assistente ipsum magisterium authenticum vivum utitur ad doctrinam traditam infallibiliter cognoscendam atque integre conservandam et transmittendam. Quare cum Prote-

stantes praedicto modo arguentes haec documenta penitus negligant et seponant, ex falsa et absurda suppositione procedunt.

c) *Tertio* Protestantes negligunt indolem et adiuncta, quibus 45.
traditiones christianae insignitae esse conspiciuntur; haec enim eiusmodi sunt, ut vel sepositis assistentia Spiritus Sancti et mediis transmissionis ab orali praedicatione distinctis, satis tamen certo nobis de puritate et integritate traditionum christianarum constare possit:

Nam *primo* multae traditiones originis apostolicae ideoque genuinae esse inde certo demonstrantur, quia tum tempore tum loco universales sunt. Huius enim doctrinae universalitatis et uniformitatis alia causa esse nequit, nisi ipsa praedicatio apostolica sive in se spectata sive ut in Apostolorum successoribus perseverat, utpote quae una et universalis est; omnes autem aliae causae particulares et diversae sunt ideoque effectum universalem et uniformem habere nequeunt. Apposite *S. Augustinus*: „Quae non scripta sed tradita custodimus quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel a plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas commendata atque statuta retineri“ (Ep. 54. c. 1.). Et alibi: „Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur“ (De baptismo l. 4. c. 24.).

Praeterea quominus falsae traditiones pro veris habe- 46.
rentur atque in universa ecclesia invalescerent, prorsus impediebat vel sola illa regula, quam in antiquitate tum ecclesia integra tum singula eius membra studiose et sancte servarunt, scilicet: sancte et firmiter inhaerendum esse acceptis et traditis doctrinis, ut tales sunt, neque ab iis recedi posse, quin simul ab apostolica doctrina deficiatur. Hanc vero regulam reipsa communiter in antiqua ecclesia viguisse innumeris testimoniis certum est. Imprimis id iam patet ex S. Pauli ad Timotheum monito: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (Tim. 3, 5.). Praeterea huc spectat hoc *Tertulliani* testimonium: „Nobis nihil ex nostro

arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt" (De praescript. c. 6.). Similiter *Coelestinus I.* declarat: „Desinat incessere novitas vetustatem" (Ep. 21.). Necnon *Xystus III.*: „Nihil liceat novitati, quia nihil adiici convenit vetustati" (Ep. 6.). Conferri possunt *Basilius* ep. 140.: *Hilarius*, de Trinitate l. 4. c. 14.: *Augustinus* cont. Iulian. l. 2. n. 14.: *Vincentius Lirin.*, com. c. 9. 12. 25. 27., aliique innumeri.

47. Denique *tertio* ne tradita doctrina corrumperetur et haereticae novitates in ecclesiam irreperent, in antiquitate efficacissimis mediis provisum erat. Huc spectat v. g. sedula diligentia, qua cavebatur, ne homines suspectae fidei in episcopos eligerentur. — Praeterea huc pertinent diptycha, quibus in unaquaque ecclesia series orthodoxorum episcoporum diligenter servabatur omnibus iis reiectis vel exstirpatis, de quorum fidei sinceritate suspicio aliqua exstabat. — Item huc spectat diligens episcoporum et aliorum studium, ne homines quacunque ratione a communi fide dissidentes communionis ecclesiasticae participes esse viderentur: quod studium apparet ex eo, quod imprimis clericis ab una ad aliam ecclesiam transeuntibus a suis episcopis litterae testimoniales de earum fide dari consueverant: hac enim ratione cavebatur, ne haeretici in communionem fidelium irreperent. — Maxime autem huc pertinet arcta communio, qua episcopi vel immediate vel mediante Romano Pontifice cum invicem coniuncti erant. Cuius unionis evidens argumentum exstant epistolae communicatoriae sive formatae, quibus in antiqua ecclesia episcopi recenter electi cum ceteris episcopis et imprimis cum Romano Pontifice suam electionem communicabant et imprimis fidem suam sinceram contestabantur. Iamvero maxime hac arcta cum invicem unione factum est, ut orthodoxi episcopi sive in conciliis congregati sive dispersi semper tamquam unum corpus concordi consilio et pro virili sua parte novis haeresibus exsurgentibus se opponerent. Cuius rei innumera fere historia

ecclesiastica exempla refert. Ita episcopi in concilio antiocheno congregati Paulum Samosatenum Dionysio Romano Pontifici et Maximo Alexandrino praesuli denuntiarunt (Euseb. H. E. l. 7. c. 30.) Cyprianus (ep. 55.) Felicissimum et Fortunatum schismaticos Cornelio papae, Alexander Alexandrinus Arium omnibus episcopis catholicis detulit (Ep. inter op. Athanasii tom. 1.). Item in causis Nestorianorum, Monophysitarum, Pelagianorum aliorumque haereticorum episcopi multis epistolis commonitoriis cum invicem communicarunt. Tandem praeclarum huius unionis exemplum exhibent episcopi Aegypti litteris datis ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum opem eius postulantes adversus Timotheum Aelurum Monophysitam: „quatenus sancta et intemerata fides immobilis et intentabilis possit ab omni haeretica sapientia custodiri: nostrosque gemitus synodicis litteris sanctissimo ecclesiae romanae Pontifici Leoni necnon et antiocheno et hierosolymitano atque thessalonicensi et ephesino Dei amantissimis episcopis vel aliis, quibus fuerit visum, ecclesiis indicetis, quoniam hoc delictum laesio est communis, ut omnes totius orbis episcopi cognoscentes ea, quae praesumpta sunt a Timotheo et quia novitates exercuit . . . dignam formam, quae in hoc placuerit, non differant" (Harduin, collect. conc. t. 2. p. 699.).

Quae cum ita sint, etiam naturali solum spectata providentia moraliter impossibile fuisse intelligitur, ut in universa ecclesia aliqua traditionis corruptio accideret. Etenim hoc accidere non potuit, nisi in talem corruptionem vel simul vel successive consentientibus omnibus et singulis universi orbis ecclesiis; atqui spectatis cautelis et mediis supra recensitis id moraliter impossibile fuisse apparet; certo certius autem id factum non esset sine magna ecclesiae commotione; huiusmodi autem aliqua necessario exstarent vestigia. Cum igitur eiusmodi commotionis propter corruptam traditionem excitatae nulla exstent vestigia, dicendum est, traditionem ad nostros usque dies illibatam servatam esse.

3) *Catholica ecclesia dignitatem verbi divini laedit, utpote* 48.
quae munus veritatem revelatam docendi atque scripturas sacras authentice interpretandi sibi arrogat; hac enim ratione

absoluta verbi divini auctoritas humanae auctoritati subiicitur. Aliter vero Protestantes dignitati verbi Dei consulunt, utpote qui verbum Dei mere ex scriptura recipiunt atque revelationem tamquam normam agnoscunt, cui nemo dominetur sed omnes se reverenter subiiciant. — R. Primo error haereticus est, ecclesiam non habere nisi auctoritatem humanam: divinam enim habet ab ipso Christo communicatam, quemadmodum ipsae scripturae clarissime testantur. *Praeterea* ecclesia sibi solum adscribit auctoritatem vel munus, verbum Dei revelatum totum etiam scriptum conservandi, transmittendi, explicandi: eam autem auctoritatem eidem certo convenire supra (th. 1. n. 25. ss.) clare ex scriptura demonstratum est. Itaque eam solam dignitatem sibi adscribit, quae est fidelis verbi Dei ministri et organi Spiritui Sancto obedientis. Quare *tertio* absurdum est, ecclesiam verbum Dei sibi subiicere: etenim verbum Dei tamquam normam agnoscit, secundum quam omnis doctrina et fides christiana exigenda est; ergo ecclesia se potius verbo subiicit eique tamquam minister et instrumentum Dei inservit. *Quarto* Protestantes autem criminis, cuius ecclesiam accusant, ipsi rei sunt, quippe qui reiecto custode et interprete verbi revelati ab ipso Dei statuto ei substituunt interpretem privatum, rationem scilicet individualem et subiectivam, quae nulla auctoritate ad hoc munus gerendum investita est. *Quinto* denique sub alio respectu ecclesia catholica dignitati scripturae multo magis consulit, quam Protestantes. Etenim ecclesia s. scripturam habet et tractat tamquam librum publicum societatis a Christo fundatae constitutionem legesque fundamentales continentem: quare eam non singulorum arbitrio committit, sed ex hac aliisque rationibus solum cum quibusdam cautelis singulis in manus tradit. Protestantes vero eandem ut librum privatum considerant, singulorum arbitrio committunt, per societates biblicas irrationabiliter diffundunt necnon gentilibus quoque aliisque achristianis moleste obtrudunt; qua ratione, quantopere s. scriptura indigne tractetur atque corruptioni, abusui, perversae interpretationi, irreverentiae, ludibrio exponatur, nemo est, qui non videat.

4) *Secundum principia protestantica singuli homines* **49.** *immediate cum Deo et Christo uniuntur, in qua unione scopus et praestantia religionis christianae continetur; secundum principia catholica vero unio illa nonnisi mediante ecclesia perficitur; ecclesia enim, cum sibi praedicationem verbi Dei necnon custodiam et interpretationem scripturae aliaque arroget, se tamquam murum inter Christum et singulos homines interponit; quod nefas est et excellentiam religionis generatim et imprimis christianae destruit. — R.* Haec obiectio centies et millies a protestantibus repetita vere fatua est neque sane iterata repetitione aliquid suae fatuitatis amittit. Etenim *primo* ecclesia ab ipso Christo Deo statuta est custos et interpres revelationis; *secundo* ecclesia immediatam cum Christo et Deo unionem non impedit, sed potius medium est et quidem prorsus necessarium, quo ad hanc unionem secure perveniamus; vel ecclesia est corpus Christi mysticum ideoque qui cum ecclesia unitur, eo ipso cum Christo unitus est: *tertio* secundum rei veritatem potius protestantes veram cum Christo unionem impediunt, utpote qui inter Christum et singulos homines interponunt non solum scripturam singulorum arbitrio commissam, sed ministros suos praedicatores, qui ipsis fatentibus missionem divinitus datam nullam habent.

5) *In praesenti divinae providentiae ordine scripturae* **50.** *medium necessarium sunt ad depositum fidei integre conservandum; iamvero in doctrina catholica hoc dici nequit; cum enim traditio tamquam fons a scriptura funditus distinctus omnia, quae necessario credi debent, continere dicatur, scripturae redundant et plane superfluae sunt; ergo. — R. c. mai. n. min.* et *n.* consequens. Videlicet, quamvis Deus in alio providentiae ordine solam traditionem complete spectatam tamquam unicum doctrinae revelatae fontem instituere possit, in hoc tamen ordine etiam supposita traditione, qualis exstat, scriptura ex pluribus rationibus saltem moraliter necessaria esse intelligitur. *Primo*, cum amplitudo veritatum revelatarum satis magna sit, sola orali traditione memoria accipientium et tradentium nimis onerata esset; ut igitur hac in re humanae infirmitati subveniretur, necesse erat, ut multa saltem

eiusdem doctrinae capita scripturis consignarentur: hae vero scripturae divinitus inspiratae sunt tum propter dignitatem doctrinae revelatae tum propter maiorem fidei securitatem. *Secundo* scriptura, ut supra dictum est, plures veritates continet, quas traditio non complectitur, scilicet omnia ea, quae dicuntur per accidens revelata: haec autem valde multa sunt ideoque sola traditione vix transmitti potuerunt; ex altera autem parte necessaria sunt ad ea melius, accuratius, profundius intelligenda, quae per se revelata in scriptura continentur. *Tertio* haec ipsa, quae per se revelata sunt, quamvis plura eorum in traditione clarius et plenius contineantur, in scriptura tamen quoad magnam partem vividius et profundius exponuntur, quam in traditione ideoque ipsi magisterio authentico inserviunt ad pleniorem et perfectiorem intelligentiam consequendam; maxime autem ad gnosin theologicam promovendam et profundiorem reddendam iuvant.

Articulus secundus.

De traditionis organo et criterio primario.

Thesis 4. **Organum traditionis Romano Pontifice et episcopis cum ipso unitis constituitur; unde consensus episcoporum inter se et cum Romano Pontifice in rebus fidei et morum principale et certum traditionis criterium est.**

Declaratio.

1. ***1. Argumentum praesentis articuli.*** In praecedenti articulo exsistentia vel veritas traditionis divinae ut fontis revelationis ita demonstrata est, ut simul quaedam iam innuerentur vel etiam quadantenus exponerentur, quae traditionis constitutionem et cognoscibilitatem spectant. Haec vero ad profundiorem traditionis cognitionem acquirendam in sequentibus huius quaestionis articulis accuratius inquirenda et exponenda sunt: unde de organis et criteriis traditionis ex professo agendum restat. Etenim *organum* traditionis instrumentum et quidem vivum est, quo doctrina tradita conser-

vatur et transmittitur ideoque elementum constitutivum traditionis activae esse intelligitur. *Criterium* autem tamquam regula vel norma ad cognoscendum aliquid refertur ideoque criterium traditionis medium est, quo genuina traditio divina dignoscatur et a falsis secernatur. Porro organa et criteria traditionis arctissime cohaerere et fere nonnisi mentis consideratione discerni per se patet et ex ipsa tractatione etiam manifestum fiet. Iamvero ex organis et criteriis traditionis unum principale est, utpote quod traditionem activam essentialiter constituit, alia vero secundaria sunt et totam suam virtutem ex principali derivant. De illo in praesenti, de ceteris in subsequenti articulo separatim agendum est.

2. Demonstratio in praesenti thesi instituenda. 2. – Ut ex praecedenti articulo iam manifestum est, organum principale traditionis nihil aliud est nisi magisterium apostolicum a Christo institutum authenticum et infallibile; unde criterium principale traditionis in huius magisterii enuntiationibus vel declarationibus authenticis continetur. Porro, ut in tractatu de ecclesia ex professo demonstratur et insuper pariter ex praecedenti tractatione etiam iam satis patet, magisterium apostolicum in corpore episcoporum cum Romano Pontifice capite perseverat, utpote quod collegio apostolico cum B. Petro capite legitime succedit. Quare iam corpus episcoporum cum Romano Pontifice capite organum essentialiter constitutivum traditionis esse intelligitur atque eiusdem corporis authentica praedicatio vel doctrina primarium traditionis criterium est. Cum vero Romanus Pontifex tamquam B. Petri in primatu ecclesiae successor etiam solus infallibilis revelationis vel traditionis praeco sit, ceteri episcopi hac infallibilitatis praerogativa non gaudent, nisi quatenus in unum corpus cum invicem et cum Romano Pontifice coniuncti sunt; quare denique organum traditionis principale et constituens est Romanus Pontifex et simul corpus episcoporum cum ipso et inter se unitorum, atque primarium traditionis criterium in authentico Romani Pontificis iudicio et in consentiente episcoporum magisterio sive sollemni sive ordinario continetur. Iamvero haec Romani Pontificis et corporis epis-

coporum infallibilitas uberius et ex professo in tractatu de ecclesia demonstratur: hoc igitur loco solum compendiosa quaedam demonstratio propter continuationem vel nexum doctrinae instituenda est: unde praesens thesis sic probatur, ut in 1. parte demonstretur, praerogativam infallibilitatis in rebus fidei et morum Romano Pontifici quidem soli, episcoporum vero tantum corpori vel consentienti magisterio competere: in 2. vero parte quaedam huius consensus proprietates explicentur. In scholio adiecto deinceps celeberrimus Vincentii Lirinensis de discernenda traditione canon inquirendus est, utpote qui cum principali traditionis criterio arctissime connectitur. In altera vero thesi aliquod subsidium magisterii authentici, i. e. monumenta ecclesiastica consideranda sunt.

Demonstratio.

I. p. thesis ex scriptura et traditione demonstratur.

3. ***1. Probatur ex scriptura.*** — Ad B. Petrum et in ipso ad *Romanos Pontifices* successores eiusdem Christus haec verba direxit: „*Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam*“ (Matth. 16. 18.). „*Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*“ (Luc. 22, 32.). „*Pasce agnos meos, pasce oves meas*“ (Joh. 21, 26). Iamvero his verbis B. Petri et successorum eius Romanorum Pontificum primatum et infallibile magisterium in rebus fidei et morum certo expressum esse, ex professo in tractatu de ecclesia probatur. Hoc autem infallibile magisterium praecise spectat doctrinae revelatae conservationem, transmissionem, explicationem. Ergo Romanus Pontifex infallibile traditionis organum est ideoque authenticae eiusdem declarationes infallibile traditionis criterium sunt.

4. *Ceteris vero episcopis Christus* non singillatim sive distributive spectatis sed solum collective vel in corpore sumptis infallibilitatis praerogativam contulit. Etenim ad integrum Apostolorum collegium et in ipso ad episcoporum corpus eidem

succedens dixit: *„Docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“* (Matth. 28, 18). His quidem verbis: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* magisterio authentico infallibilitatem collatam esse iam supra probatum est. Verum iisdem verbis absolute et in se spectatis infallibilitas conferri potuit tum episcopis omnibus distributive sumptis tum iisdem solum collective sumptis; atqui non omnibus distributive, sed solum omnibus collective sive in corpore spectatis illa praerogativa collata esse intelligitur: ergo. Minor facile probatur.

Etenim *primo* apostoli episcopis a se institutis personalem 5.
infallibilitatis praerogativam non tribuerunt, ut sua cum iisdem agendi ratione ostendunt. Sic v. g. S. Paulus episcopos, quos Miletum vocaverat, ita hortatur: *„Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei . . . Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se“* (Act. 20. 28. 30.). Timotheum vero monet: *„Ineptas et aniles fabulas devita, exerce autem te ipsum ad pietatem . . . Attende lectioni, exhortationi et doctrinae“* (1. Tim. 4, 7. 13.). Similiter ad Titum scribit: *„In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile“* (2, 7.). *„Stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanae“* (ib. 3, 7.).

Secundo idem historia docet. Etenim inde ab origine 6.
ecclesiae continuo episcopi fuerunt, qui etiam palam a fide defecerunt et ab ecclesia avulsi sunt, ut haeresiarchae Arius, Paulus Samosatenus, Nestorius aliique multi. Immo etiam inter eos episcopos, qui nunquam ab ecclesiae gremio se separarunt, plures tamen in apertos errores circa fidem inciderunt, ut Firmilianus ceterique episcopi rebaptizantes, adversarii infallibilitatis Romani Pontificis aliique plures.

Denique *tertio* neque necessarium fuit, ut singulis epis- 7.
copis personalis infallibilitatis praerogativa tribueretur, cum

ad conservandam doctrinam revelatam infallibilitas capiti et corpori episcoporum collata sufficiat: neque utile forte fuerit, quia sic minus subordinatio et unitas sub eodem capite apparuisset. Hinc alia esse intelligitur ratio singulorum apostolorum et singulorum episcoporum: illi enim vel necessario vel utiliter personalis infallibilitatis praerogativa insigniti erant, quia singuli aliter ac singuli episcopi tum indeterminate ad omnes homines missi erant et ubique terrarum iurisdictionem exercere poterant tum ad novas revelationes accipiendas et communicandas electi erant.

8. Itaque non singulis episcopis, sed corpori episcoporum infallibilitatis praerogativa collata est; quare criterium traditionis non in sententia unius vel alterius episcopi, verum in consensu episcoporum inter se et imprimis cum Romano Pontifice, continetur, utpote qui in corpore episcoporum tamquam caput eiusdem includitur, et insuper, ut supra dictum est, personali infallibilitatis praerogativa gaudet.

9. ***2. Ex antiquitatis testimoniis.*** — Cum plura, quae huc spectant, iam supra (th. 2.) adducta sint, pauca quaedam hoc loco addere sufficiet, quae auctoritatem consensus episcoporum necnon iudicii Romani Pontificis magis directe spectant.

1) *De episcoporum consensu.* — Imprimis iterum *Irenaeus* significat, consentientem episcoporum doctrinam certum esse traditionis criterium: „Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes, se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis exsistentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem . . . Evenit iam neque scripturis neque traditioni eos consentire . . . Traditionem itaque Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere, omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cogitaverunt, quale ab his deliratur“ (L. 3. c. 1.). Similiter *Tertullianus* successionem episcoporum continua serie ab Apostolis decurrentem necnon

consensum eorundem in eadem fide ad demonstrationem doctrinae vere apostolicae et traditae postulat: „Confingant tale aliquid haeretici (sc. episcopos suos ab Apostolis originem ducere) . . . Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque apostolici, quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis didicerunt et aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur (probabuntur) ab illis ecclesiis, quae, licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur, pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam (sc. successionis apostolicae et consensionis in fide) a nostris ecclesiis provocatae, probent se, quaqua putent, apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt, quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et comunionem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti (i. e. professionis fidei) nullo modo apostolicae" (De praescript. c. 32).

Item *Cyrillus A.* de eadem fide clare testatur, cum **10.** consensum praesentem episcoporum ipsimet concilio Nicaeno aequiparat ideoque exigit, ut Nestorius iureiurando se adstringat ad ea docenda „quae universi nos sive per orientem sive per occidentem episcopi et magistri praesidesque populorum credimus et docemus" (Ep. 17. synodica 3. ad Nestorium). Et eodem alibi declarante fit „per suggestionem Spiritus Sancti, ne a vero deficiant episcopi in consensione" (Ep. ad Monach.). Denique eandem fidem profitetur *Augustinus*. Sic. v. g. S. Matthaei evangelii genuinitatem hunc in modum vindicat: „Continuo dices, illam narrationem (de Christi nativitate) non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit universa ecclesia ab apostolicis sedibus usque ad presentes episcopos certa successione perducta . . . Cui nos potius censes fidem accommodare debere? Eine (libro), quem illa ecclesia ab ipso Christo inchoata et per Apostolos provecta certa successionum serie

usque ad haec tempora toto terrarum orbe dilatata . . . approbat, an ei, quem eadem ecclesia incognitum reprobat" (c. Faust. l. 28. n. 2.). Et alibi: „Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, vos (Donatistas) istis non communicare" (Ep. 49.). Tandem iterum: „Si autem tu a me quaeras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, obiicio schismatis crimen: ego autem statim probabo, neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis".

11. 2. *De Romano Pontifice.* — Successorem S. Petri Romanum Pontificem esse infallibilem praeconem traditionis SS. Patres et scriptores ecclesiastici multis modis significarunt. Et *primo* quidem id intelligitur ex magna sollicitudine, cum qua plures catalogum episcoporum B. Petro in cathedra Romana continua serie succedentium texuerunt, ut *Hegesippus* (ap. Euseb. H. E. l. 4. c. 22.), *Irenaeus* (adv. haer. l. 3. c. 3.), antiquus auctor carminis adv. Marcionem (l. 3. c. 9.), *Optatus Milevitanus* (adv. Parmenian. l. 2. c. 3.), *Eusebius* (H. E. per totum opus), *Epiphanius* (Haer. 27. n. 6.), *Augustinus* (ep. 53. n. 2.). Ex quibus plures expressis verbis declarant, se ideo hunc catalogum texuisse, ut per continuam horum episcoporum romanorum seriem de doctrina apostolica illibate in ecclesia servata aperte constaret. Ita v. g. *Epiphanius:* „Nemini mirum videatur, cur singula nomina tanta cum diligentia percurrerem. Per haec enim perpetuo veritas manifesta ostenditur" (L. c.).

12. *Deinde* sedem Romanam tamquam centrum et principium ecclesiae docentis habent, cum qua omnes aliae ecclesiae consentire debeant. Huc imprimis spectat egregium *Irenaei* testimonium iam supra (Th. 2. n. 5.) allatum. Deinde huius Romanae sedis praerogativae assertor est ipse *Cyprianus:* „Hoc (sc. quod haereses et schismata oriuntur) eo fit, dum ad unitatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur . . . Loquitur Dominus ad Petrum: *ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam etc.* . . . Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *pasce oves meas.*

Super illum unum aedificat ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: sicut *misit me Pater, et ego mitto vos etc.* . . . tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit" (De unit. eccles. cc. 3. et 4.). Et alibi declarat: „Scimus nos hortatos eos esse (qui Romam missi erant), ut ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent et tenerent . . .: communicare cum Pontifice Romano idem est ac communicare cum ecclesia catholica ac tenere ecclesiae catholicae unitatem" (Ep. 44. et 52.). Et in epistola ad Antonianum hunc sibi scripsisse refert, „ut exemplum litterarum ad Cornelium collegam suum transmitteret, ut deposita omni sollicitudine iam sciret, ipsum cum eo, hoc est cum catholica ecclesia communicare" (Ep. 52.). Denique ad Cornelium Papam de Fortunato ac Felicissimo aliisque schismaticis africanis scribit: „Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum" (Ep. 55.). Similiter *Optatus Milevitanus:* „Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput . . ., in qua cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus (Ecclesiae), sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens . . ." atque enumerationem continuans usque ad Siricium: „Cum quo, inquit, communionem habemus, et per eum cum omnibus aliis episcopis, qui per epistolas, ut appellant, formatas cum ipso communicant" (Cont. Parmenion. l. 2. cc. 2. et 3.).

Hinc *tertio* iudicium ecclesiae Romanae archetypum et 13
necessariam normam orthodoxae fidei esse claris verbis significant. Testis huius fidei est *Ambrosius,* qui de fratre

suo Satyro in certum aliquem locum transmigrante ita refert: „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam percunctatusque ex eo est, utrum cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana sede conveniret" (Serm. de obitu fratris sui Satyri). Et alibi de Romana sede agens dicit: „Ipse est Petrus, cui Christus dixit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Ubi ergo Petrus ibi ecclesia" (In ps. 50. n. 30.). Et iterum alibi: „Non habent ergo Petri haereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt" (De poenit. l. 1. c. 7.). Eadem fides *Hieronymi* fuit: „Fidem suam, inquit, quam vocat? Eamne, qua Romana pollet ecclesia, an illam, quae in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo catholici sumus" (In Rufin. l. 1. c. 4.; cf. cont. Lucif. n. 9.; ep. 130 ad Demetriad. n. 16.; ep. 15. ad Damas.). Denique *Augustinus* quoque veritatis, de qua agitur, luculentus testis est: „Tenet me, inquit, (in gremio ecclesiae) consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem successio sacerdotum" (Ep. cont. fundam. c. 4.). Et alibi haec habet: „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae infernorum portae" (Psalm. c. partes Donati). Deinde habitis conciliis Carthaginensi et Milevitano cum Alypio, Evodio et Possidio ad Romanum Pontificem litteras dedit, in quibus haec leguntur: „Non enim rivulum nostrum tam largo fonti augendo refundimus, sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus: Ne nos inferas in tentationem, utrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari" (Ep. 177. n. 19.). Tandem in causa Pelagii haec declaravit: „Inde (Roma) rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error" (Serm. 131. 10.). „De hac

re litteris beatae memoriae papae Innocentii dubitatio tota sublata est" (Cont. duas epist. Pelag. 2, 3. 5.).

In fine notandum est, ipsos haereticos huius persuasionis testes exstare, utpote qui, ut imprimis Novatiani et Donatistae, referentibus SS. Patribus communionem cum Romana sede furtim obtinere saepe studuerunt.

2 p. Quaedam consensus episcoporum proprietates explicantur, quae ad eius infallibilitatem requiruntur.

14. ***1. Consensus episcoporum, quem normam fidei esse demonstratum est, circa res fidei et morum versari debet.*** — Ratio sane aperta in eo est, quia magisterium authenticum ad hoc institutum est, ut salva custodiatur, propagetur, explicetur doctrina revelata. Quare auctoritas magisterii authentici ad depositum fidei restringitur, non vero ad scientias profanas in se spectatas extenditur. Ne tamen falso eadem auctoritas nimis restringatur, plura notanda sunt:

1) Depositum fidei seu veritatum revelatarum nequaquam concipi debet ad instar alicuius thesauri materialis sive formularum vita carentium et immobilium, sed potius vivum Dei verbum est, quod a fidelibus fide concipitur atque conceptum in iisdem vivit. Quod vero eiusmodi est, conservari et propagari tuto et integre nequit, nisi de sensu eiusdem vel intelligentia clare constet. Hinc igitur ad munus magisterii authentici spectat, *iudicare et decernere de sensu quoque et intelligentia dogmatum.*

15. 2) *Veritates mere rationales*, ut dictum est, per se ad obiectum magisterii authentici non spectant, plures tamen eidem eatenus subsunt, quatenus cum veritatibus revelatis connectuntur. Videlicet plures veritates ordinis naturalis ita cum veritatibus revelatis cohaerent, ut illis sublatis hae subsistere nequeant. Iamvero ad eas quoque veritates ordinis naturalis infallibilitas magisterii authentici se extendit. Ratio est, quia secus magisterium munus suum implere, i. e. depositum fidei illibate servare non posset. Atque hac ratione doctrinae philosophicae,

ut de exsistentia Dei vel demonstrabilitate eiusdem magisterio authentico subsunt. Quod ipsum *Concilium Vaticanum* satis clare docet: „Porro ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino" (Cap. 4. de fide et ratione). „Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab ecclesia proscribi possint, anathema sit" (can. 2.; cf. Syllab. prop. 10. 11. 14. 22.).

3) Si quando *dubitatio oritur, num aliquid ad res fidei et morum pertineat necne*, haec ipsa quoque quaestio a magisterio authentico infallibiliter dirimitur; ratio est, quia secus depositum commissum fideliter conservare non posset.

16. ***2. Consensus episcoporum infallibilis fidei norma est non solum quando in concilio congregati, sed etiam quando in orbe dispersi sunt; neque solum, quando formaliter definiunt, sed etiam quando quotidianum et ordinarium magisterium exercent.*** — Ratio est *primo*, quia Christus Apostolis eorumque successoribus infallibilitatem promisit simpliter et sine restrictione: „*Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*" *Secundo* ita magisterium authenticum intellexit tota etiam antiquitas, ut ex multis testimoniis hucusque adductis manifesto patet. *Tertio* idem intelligitur ex natura et scopo magisterii authentici, utpote quod non solum in extraordinariis conditionibus, quando concilia habenda sunt, sed quotidie homines in veritatibus revelatis instruere, haereses arcere, fidem fidelium integram et illibatam tueri debet. *Quarto* idem ab ipso magi-

sterio authentico non semel declaratum est. Ita *Pius IX.*: „Etiam si ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum et Romanorum Pontificum huiusque apostolicae sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur." (litt. d. 21. dec. 1863 ad archiepisc. monach. scriptis). Et *concilium Vaticanum* declaravit: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur" (cap. 3. de fide).

Notandum est, vel tacitum episcoporum consensum cer- **17.**
tum et infallibile fidei criterium esse. Videlicet accidere sane potest, ut in singulis diversis dioecesibus doctrinae ad fidem pertinentes tradantur ipsis episcopis non quidem expresse approbantibus sed neque prohibentibus. Iamvero etiam eiusmodi tacitus consensus universalis episcoporum infallibilis est. Si enim fallax esse posset, magisterium authenticum ab officio suo, depositum revelationis illibatum custodiendi, sane inertia sua deflexisset et tota fidelium communitas in errorem circa fidem inducta esset; quod utrumque fieri nequit. Ergo. (cf. *Augustinus,* epist. 55. c. 19. n. 35.; *Canus,* de loc. theol. l. 5. c. 4. concl. 6.)

3. Consensus episcoporum, ut fidei norma in- **18.**
fallibilis sit, non mathematice universalis esse debet, sed moraliter universalis sufficit. — Etenim *primo* id intelligitur ex ipsis Christi verbis, quibus Apostolis eorumque successoribus infallibilitatis praerogativam promisit vel contulit: *„Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi."* Haec enim verba, ut iam supra dictum est, non ad singulos distributive, sed ad omnes collective sive ad totum collegium Apostolorum et episcoporum directa sunt, ideoque non singularis quisque episcopus, sed totum collegium episcoporum incluso capite, Romano Pon-

tifice, subiectum infallibilitatis est. Jamvero de toto collegio infallibilitas recte praedicatur, dummodo ut collegium a fide deficere non possit: collegium autem, ut est collegium a fide non deficit, si membra eiusdem moraliter omnia in errorem consentire et sic a vera fide deficere non possint; etsi unum vel alterum membrum deficiat. Similiter exercitus regi fidelis mansisse dicitur, si milites moraliter omnes fidelitatis iusiurandum servarunt, etsi aliqui defecerint: et societas quaedam doctorum in quaestione scientifica recte decrevisse dicitur, si membra eiusdem moraliter omnia in vera solutione consenserint, etsi aliqua ab eadem dissenserint. Ergo pariter consensus episcoporum etiam moraliter solum universalis infallibilis fidei norma est. *Secundo* idem manifesto constat ex historia ecclesiastica et antiquitatis fide. Etenim neque alias neque in antiquitate christiana unquam episcoporum consensum mathematice universalem in doctrinam fidei iudicarunt necessarium, ut de eius veritate certo constaret, sed consensum moraliter universalem nunquam non sufficientem considerarunt. Et reipsa in magnis illis cum haereticis controversiis antiquitate christiana agitatis consensus episcoporum mathematice universalis nunquam aderat, cum semper unus vel alter episcopus et nonnunquam etiam plures ex haereticorum parte starent.

19. Sedulo hic considerari debet, quod iam supra notatum est: *scilicet ad corpus episcoporum, quod et quatenus subiectum infallibilitatis est, tamquam caput eiusdem pertinere Romanum Pontificem.* Ratio est, quia Christus collegio Apostolorum incluso Petro capite infallibilitatem promisit; huic autem collegio apostolico corpus episcoporum succedit, quod et quatenus cum Romano Pontifice ut capite coniunctum est. Hinc consensus moralis episcoporum cum Romano Pontifice unitorum infallibilis est, nihil obstante dissensu episcoporum haeresi vel schismate a Romano Pontifice dissidentium. Hi enim ipsa sua separatione iam membra non sunt eius collegii, in quo magisterium authenticum residet ideoque eiusdem magisterii participes non sunt; potestas enim authentice docendi non ex charactere episcopali, sed ex iurisdictione

potius derivatur, quae solum singulis membris corporis episcoporum cum Romano Pontifice unitorum, competit. — *Quod vero episcopos cum Romano Pontifice unitos attinet, vel id dicendum esse videtur, neque maiorem partem eorum in magisterio authentico sive per sollemnes definitiones sive per ordinariam et quotidianam praedicationem exercendo a veritate determinata sententia deficere posse.* Ratio est, quia maiore episcoporum parte sic a recta fide deficiente iam dicendum esset, collegium episcoporum, ut est corpus morale, in fide defecisse: sicuti etiam exercitus, cuius maior pars contra regem insurgeret, a fidelitate defecisse diceretur. Iam vero collegium episcoporum, ut ex Christi promissione constat, a recta fide deficere nequit. Ergo.

20. ***4. Consensus episcoporum, quacunque aetate exstat vel consideratur, eandem auctoritatem habet.*** Nimirum consensus episcoporum non tantum christianae antiquitatis, sed etiam saeculi 5. vel 6. vel medii aevi vel aetatis reformationis vel huius aetatis infallibile fidei criterium est. Ratio aperta est, quia praerogativa infallibilitatis magisterio authentico a Christo collata est non pro certa tantum temporis mensura, sed in perpetuum usque ad consummationem saeculi. Hinc ad perfectam alicuius dogmatis demonstrationem necessarium non est, ut de eodem dogmate consensum episcoporum omnium aetatum vel saltem christianae antiquitatis exstitisse probetur, sed ad scopum attingendum prorsus sufficit consensus cuiuslibet aetatis atque etiam praesentis solius.

21. Imo vero *consensus episcoporum praesentis aetatis sub aliquo respectu etiam maius momentum habet.* Etenim *primo* consensus episcoporum aetatum praeteritarum ad instar verbi mortui est, quod solum ex monumentis et documentis vita carentibus hauritur et innotescit; praesentes vero episcopi organum vel subiectum vivum magisterii authentici constituunt, quod multo magis immediate et directe verbum Dei revelatum dispensat. Hoc idem vivum magisterium *insuper* de sensu verbi Dei scripti et traditi, quod magis ad instar litterae mortuae est, authentice iudicat. *Denique* hoc vivum magisterium ad con-

servandam fidem simpliciter necessarium est, ut ex superiore tractatione satis constat: scriptura vero et traditionis monumenta, quamvis subsidia ad revelationem conservandam moraliter necessaria sint eandem tamen necessitatem ac magisterium authenticum vivum non habent. Consensus igitur praesens episcoporum tutissimum simul et aptissimum fidei criterium est. Hoc vivum et consentiens ecclesiae magisterium *Tertullianus* prae oculis habet, cum scribit: „Ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturae, a quo et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum" (De praescript. c. 19.).

22. Quae cum ita sint, *in scientia theologica nihilominus etiam atque imprimis consensus christianae antiquitatis inquirendus est.* Ratio est *primo*, quia ipsum magisterium authenticum vivum eundem illum consensum tamquam normam suae fidei et praedicationis considerat et sequitur. *Secundo* per demonstrationem eiusdem consensus magis directe apostolica origo alicuius doctrinae ideoque unitas fidei inter praesentem et antiquam ecclesiam demonstratur. *Tertio* eadem ratione adversariis os obstruitur contendentibus ecclesiam ab antiqua fide christiana defecisse et argumentatio instituitur, cuius valorem saltem historicum neque ipsi negare possint.

Scholion.

23. ***De canone Vincentii Lirinensis.*** — Quae in praesenti imprimis thesi statuta est doctrina, egregie confirmatur et illustratur celeberrimo canone, quem statuit Vincentius Lirinensis (Commonitor. c. 2.). Etenim inquirens, ut ipse ait, „quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere" respondet: „primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae traditione." Deinde vero, tamquam norma scripturae intelligendae et interpretandae

statuta catholica traditione, hoc ipsum criterium accuratius determinat hac regula, quae est celeberrimus ille canon, de quo agitur: „*In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*“ Iamvero, ut hic canon recte intelligatur, quaestionibus quibusdam ponendis et solvendis accuratius explicandus est.

1) *Quaeritur, qua ratione tres notae a Vicentio assignatae in se constituantur et ab invicem discernantur? — R.* Imprimis apertum est Vincentium verbis concretis: „Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est,“ easdem notas significare, quas statim postea nominibus his abstractis exprimit: universitas, antiquitas, consensio. Iamvero: **24.**

a) *Universitas* Vincentio nihil aliud est, nisi praesentis ecclesiae consensus. — Etenim *primo* ipso declarante „sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia“ (l. c.): ut enim ipsa forma verborum testatur haec de ecclesia praesente vel coaeva intelligenda sunt. *Secundo* idem eadem ratione patet ex verbis mox subsequentibus: „Quid igitur tunc faciet christianus catholicus, si se aliqua ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat?“ (c. 3.) *Tertio* in verbis immediate sequentibus significat, universitatem deficere posse exorta novella aliqua contagione manentibus integris antiquitate, quae prorsus iam non possit ab ulla veritatis fraude seduci, et

consensione in antiquitate; quod solum de consensione praesenti valet. *Quarto* quid nomine universitatis intelligat, postremo illustrat exemplo desumpto a schismate Donatistarum; scilicet catholici illius aetatis in Africa constituti schisma vel haeresin effugerunt eo, quod cum universis Christi ecclesiis (sane eodem tempore exsistentibus) adsociati manserunt. Universitas igitur apud Vicentium certe praesentis ecclesiae consensum significat.

25. b) *Antiquitatis* nota secundum Vicentium in eo consistit, quod doctrina quaedem aetate exortam praesentem controversiam praecedenti aperte ad fidem catholicam spectabat, sive quia sine ulla dissensione in communi professione fidelium continebatur sive quia magisterii authentici, ut universalis concilii, decreto proposita erat. Atque hanc reipsa esse rationem huius notae patet ex ipsius Vincentii explicatione: „Quid si novella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, sed totam pariter ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhaereat, quae iam prorsus non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certae civitatis unius aut etiam provinciae alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt universaliter antiquitus universalis concilii decreta, praeponat" (c. 3.). Quam explicationem breviter resumit tum c. 27. tum c. 29.

26. c) *Consensio* denique, tertia nota, secundum Vincentium nihil aliud est, quam praecedentis vel antiquae ecclesiae sacerdotum et magistrorum i. e. Sanctorum Patrum constans et communis sententia. Quae notae explicatio claris sane verbis ab auctore exhibetur: „Sequemur consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur" (c. 2.). „Quid si tale aliquid (i. e. contagio haeretica) emergat, ubi nihil eiusmodi reperiatur (i. e. nec prima nec secunda nota)? Tunc operam dabit, ut collatas inter se maiorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis in unius tamen ecclesiae catholicae communione et fide permanentes magistri probabiles exstiterunt; et quidquid non unus aut duo tantum sed omnes pariter uno

eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum" (c. 3). „Tunc deinde, si id minus est (i. e. si deficiant duo priora criteria), sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum" (c. 27.). „Diximus . . . deinde, si qua nova exsurgeret quaestio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum Patrum sententias, eorum dumtaxat, qui suis quisque temporibus et locis in unitate communionis et fidei permanentes, magistri probabiles exstitissent, et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id ecclesiae verum et catholicum absque ullo scrupulo iudicaretur" (c. 29.).

Ex hac triplicis notae definitione vel determinatione ma- 27.
nifestum est, *primo* tres eas notas ab invicem, igitur secundam quoque a tertia distingui. Etenim Vincentius ipse non solum accurate inter eas discernit, sed distinctam quoque singularum applicationem exhibet; vel deficiente secunda nota tertiam iam adhibendam esse declarat (c. 3.). Neque recte opponitur, quod in recapitulatione in unam comprehendere videatur notas antiquitatis et consensionis: „Item diximus, in ipsa rursus ecclesia universitatis pariter et antiquitatis consensionem spectari opportere, ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut a vetustatis religione in haereseon novitates praecipitemur." Nam statim subdit priorem distinctionem iterum inculcans: „Item diximus, in ipsa ecclesiae vetustate duo quaedam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhaerere deberent, quicunque haeretici esse nollent: primum si quid esset antiquitus ab omnibus ecclesiae catholicae sacerdotibus universalis concilii auctoritate decretum, deinde si qua nova exsurgeret quaestio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum Patrum sententias" (c. 29.). *Secundo* item manifestum est ex mente Vincentii, ut aliqua doctrina ad catholicam fidem pertineat, in ea verificandas esse illas tres notas non necessario copulatim sive omnes simul, sed sufficere, si disiunctim verificentur sive una ex eis impleatur. Etenim id

primo expressis verbis declarat (cc. 3. 27. 29.): et secundo idem ex propositis exemplis clare intelligitur.

28. *Sensus igitur canonis Vincentiani* hunc in modum definiendus est: Si de catholica fide ab haeretica pravitate discernenda agitur, imprimis id fide amplectendum est, quod hodie tota per orbem terrarum confitetur ecclesia; quodsi per late repentem contagionem haereticam communis praesentis ecclesiae fides obscurata sit, antiquitatis vel praecedentium aetatum inhaerendum est fidei vel indubitatae vel magisterii authentici decreto firmatae: si vero in ipsa antiquitate aliqua dubitatio vel dissensus aliquis exstiterit nec authenticum decretum emanaverit, sequendus est consensus SS. Patrum vel eorum, qui diversis licet temporibus et locis in unius ecclesiae catholicae communione et fide permanentes magistri probabiles exstiterunt. Breviter: Separationi vel parti praesenti praeferenda est universitas, novitati antiquitas, et in ipsa antiquitate dissensioni aliquorum consensio magistrorum catholicorum probabilium.

29. 2) *Quaeritur vel quaesitum est, num fides illa communis sive praesentis ecclesiae sive antiquitatis vel antecedentium aetatum, quam ut normam assignat Vincentius intelligenda sit fides explicita, an vero etiam implicita? — R.* Explicita fide illud creditur, quod secundum se vel in proprio suo conceptu ab assensu fidei attingitur eiusque obiectum constituit: implicita vero fide creditur, quod non in se sive secundum suum proprium conceptum, sed in alio, quod in se creditur, ab assensu fidei attingitur. Sic qui explicite credit, quidquid Deus revelavit vel quidquid ecclesia credendum proponit, implicite credit singula dogmata, quae a Deo revelata vel ab ecclesia proposita sunt. Vel fides explicita in summam sanctitatem et gratiam B. V. erat fides implicita in eiusdem immaculatam conceptionem etiam ante huius praerogativae sollemnem definitionem; haec enim praerogativa in illa implicite continetur ideoque ex ea evolvi potuit et etiam evoluta est.

30. *Quae cum ita sint, dicendum esse videtur, Vincentium canone suo tamquam normam sequendam assignare fidem communem non implicitam, sed explicitam.* Etenim *primo*

propositum est Vincentio suo canone ea determinare, quae unusquisque catholicus expressa fide amplecti debet ad haereticam contagionem vitandam, vel quae obiectum fidei catholicae haereticis fraudibus oppositae et ab omnibus amplectendae constituant. Iamvero ad hanc fidem catholicam implicite credita non pertinent, utpote quae non sunt sufficienter proposita et longiore saepe tempore obscura et incerta manent et in eo statu etiam in ipsa ecclesia controverti et sine haeresis crimine in dubium vocari vel negari possunt. Ergo fides communis explicita a Vincentio tamquam norma sequenda assignatur. *Praeterea* de norma exhibenda agitur, quam singuli quique catholici facile cognoscere et sequi possint: atqui implicite credita eiusmodi normam sane non constituunt, cum difficulter saepe atque nonnisi longa inquisitione eruantur; ergo ad normam statutam ,pertinere non videntur. *Denique* ex tota ratione expositionis quam facit Lirinensis, ut ex terminis adhibitis, exemplis productis similibusve satis manifesto apparet, eum non de implicita, sed de explicita fide agere eamque tamquam normam sequendam assignare. Ergo.

3) *Quaeritur, num canon statutus in sensu tum affirmante tum negante verus sit, an solum in sensu affirmante non vero in negante?* — *R.* Ab omnibus theologis catholicis conceditur et statuitur canonem verum esse quidem in sensu affirmante; plures autem negant eum verum esse in sensu etiam negante vel excludente neque eum in hoc sensu a Lirinensi propositum esse contendunt. Ita *Cardinalis Franzelin*: Possunt „aliqua doctrinae capita contineri in deposito obiectivae revelationis, quae non semper erant in manifesta et explicita praedicatione ecclesiastica, et quae proinde, quamdiu sufficienter proposita non erant, intra ipsos fines ecclesiae in controversiam vocari poterant citra iacturam fidei et communionis . . . Ergo potest aliquod doctrinae caput contineri in obiectiva revelatione, et potest etiam successu temporis, facta sufficiente explicatione et propositione, pertinere ad veritates fide catholica necessario credendas, quod licet semper contentum in deposito revelationis, non tamen semper, ubique et **31.**

ab omnibus explicite erat creditum aut necessario credendum. Quamvis ergo characteres in canone enumerati si adsint, evidenter demonstrent, doctrinam, cui competunt, esse dogma fidei catholicae; non tamen si desint, eo ipso iam constat, doctrinam non contineri in deposito fidei, aut doctrinam hoc ipso, quod aliquo tempore ob defectum sufficientis propositionis non erat explicite credenda, nullo tempore esse credendam. Canon ergo verus est sensu affirmante, non tamen potest admitti sensu negante et excludente" (Thes. 24. I.).

32. Nihilominus dicendum esse videtur, *canonem sumendum esse in sensu non solum affirmante sed etiam negante vel excludente tum ex mente Lirinensis tum ipsa rei veritate spectata.* Nam non solum quidquid vel ubique vel semper vel ab omnibus creditur, ad fidem catholicam spectat; sed etiam nihil ad fidem catholicam spectat, quod non aut ubique aut semper aut ab omnibus credatur (sensu supra explicato). Et *primo* quidem ita rem intellexit Lirinensis. Nam ab initio expressis verbis testatur, sibi propositum fuisse generale criterium assignare, quo veritates omnes ad fidem catholicam pertinentes ab haeretica pravitate discerni possint: „Saepe igitur magno studio et summa attentione perquirens . . .. quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere . . ." (c. 2.) Et versus finem iterum inculcat, canonem statutum ad quaslibet exsurgentes haereses vitandas sufficere. „Quibus adiuvante domino fideliter, sobrie, sollicite observatis non magna difficultate noxios quosque exsurgentium haereticorum deprehendemus errores." (c. 27.)

33. *Secundo* etiam ipsa rei veritate spectata canon universalis vel in sensu etiam excludente sumendus est. Etenim ad fidem catholicam ab omnibus expresse profitendam ea omnia et sola pertinent, quae tum in divina revelatione continentur tum ab ecclesia tamquam divinitus revelata ideoque fide divina credenda proposita sunt. Iamvero de quacunque doctrina ea ratione ab ecclesia ad credendum proposita saltem una ex tribus notis canone Lirinensi assignatis necessario

verificatur: videlicet nisi simul ubique et semper et ab omnibus credita sit: saltem aut nunc ubique in ecclesia creditur aut in communi et indubitata antiquitatis professione continetur aut communi et expresso consensu a probatis diversorum temporum et locorum magistris ecclesiae catholicae proposita est; nisi enim ita sit, praecise sufficienter proposita non est, ut ad fidem catholicam pertinere possit. Ergo canon Vincentianus universalis est atque etiam in sensu excludente sumi debet.

Hinc intelligitur, opinionem *Cardinalis Franzelin* alio- **34.**
rumque ex falso supposito procedere; etenim supponunt, Vincentium tradere voluisse criterium omnium veritatum revelatarum, cum tamen ex ipsius verbis satis manifesto constet, ei propositum fuisse statuere criterium veritatum ad fidem catholicam pertinentium. Neque vero, si canon sensu explicato tamquam universalis et exclusivus consideratur, ullo modo ille profectus fidei excluditur, quo fit, ut quaedam prius implicite tantum crederentur, labente tempore autem explicite quoque a magisterio authentico proponerentur et expressae professionis obiectum evaderent. Etenim quamdiu veritas aliqua in deposito revelationis transmisso implicite solum continetur, a canone Vincentiano non attingitur quidem, sed neque ad fidem catholicam pertinet, utpote cui non est sufficienter proposita; quando vero eiusmodi veritas evolutione facta iam ab ecclesia explicite proponitur, ad fidem catholicam quidem pertinere incipit, sed tunc etiam a canone eodem attingitur, quia scilicet a magisterio authentico proposita iam necessario etiam consensum praesentis ecclesiae pro se habet et labente tempore consensum ecclesiae praecedentis aetatis pro se habebit. Ergo manifestum est, per canonem Lirinensem etiam exclusive sumptum verum fidei catholicae profectum minime impediri. — Neque ipse Vincentius tali fidei catholicae profectui ullo modo adversus fuit; imo vero eum admisit necnon expressis verbis statuit. (c. 23.)

4) *Quaeritur, quam ob causam Vincentius in canone* **35.**
suo mentionem non fecerit Romani Pontificis imprimis infallibilis fidei praeconis? — *R.* Ex hoc praecipue capite ca-

none Vincentiano abusi sunt haeretici. Sed frustra. Etenim *primo*, quod Vincentius in ipso suo canone mentionem expressam Romani Pontificis non fecerit, ex scopo, quem in eodem statuendo prosequebatur facile explicatur. Nimirum canone suo imprimis normam exhibere voluit ad discernendam veritatem catholicam ab exsurgentibus novis haeresibus. quare haec norma stadium inquisitionis spectat, quando nulla adhuc exstat Romani Pontificis decisio saltem in praesenti edita; praeterea normam exhibere voluit magis obiectivam. quam quisque inquisitor veritatis etiam Romanus Pontifex adhibere debet, et qua etiam haeretici convinci possint, cum Romanus Pontifex potius regula subiectiva dicenda sit. Quae cum ita sint, satis intelligitur praeter rem vel scopum intentum fuisse expressam Romani Pontificis mentionem.

36. Ceterum *secundo* in explicatione canonis, quam per decursum totius opusculiexhibet, Vincentius auctoritatem Romani Pontificis tum implicite tum expressis verbis agnoscit. Nempe auctoritatem concilii generalis exaltat necnon consensum SS. Patrum sive probatorum in ecclesia doctorum extollit: iam vero etiam ex mente Lirinensis concilium generale non est sine Romani Pontificis participatione et auctoritate. necnon eorum solum doctorum consensus auctoritatem habet, qui in communione cum ecclesia et Romano Pontifice manserunt. Hinc Vincentius implicite saltem Romani Pontificis auctoritatem agnovisse cognoscitur. Sed expressis quoque verbis eam agnovit. Etenim regulam statutam exemplo Rebaptizantium illustraturus sic exorditur: „Unum aliquod (exemplum) et hoc ab apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius videant beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptae semel religionis integritatem.“ Deinde breviter relata controversia de rebaptizandis haereticis. supremas partes in decidenda hac controversia Romano Pontifici *Stephano* tribuit: „Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur. tunc beatae memoriae papa Stephanus. apostolicae sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis. sed tamen prae

ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.“ Atque deinde Stephani decreto definitive decisam esse controversiam refert: „Denique in epistola, quae ad Africam missa est, his verbis sanxit: ‚Nihil novandum, nisi quod traditum est.‘ . . . Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus et solitus! Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas . . . Quid postremo? Ipsius Africani concilii sive decreti quae vires? Donante Deo nullae, sed universa tamquam somnia, tamquam fabulae, tamquam superflua, abolita, antiquata calcata sunt. Et o mira rerum conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici iudicantur, absolvuntur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est, quia illud sanctorum omnium et episcoporum et matyrum lumen, beatissimum Cyprianum, cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam contra sacrilegus, qui Donatistas et ceteras pestes, quae illius auctoritate concilii rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo“ (c. 6.; cf. c. 32.).

Nota: Harnack alicubi (Dogmengeschichte II³ p. 108.) animadvertit, illud mirum accidere in tota Vincentii expositione, quod episcopis ut talibus, si concilia seponantur, nullae partes tribuantur neque ulla apostolicae successionis mentio fiat, verum „antiquis magistris“ summa auctoritas vindicetur. — Verum immerito. Etenim nomine magistrorum necnon sacerdotum Vincentius imprimis et praecise episcopos intelligit atque eorum etiam extra concilium generale spectatorum consensum infallibilem fidei normam esse significat. Revera episcopos in concilio congregatos regulariter sacerdotes appellat, ut v. g. bis in capite 29. Ibidem declarat in concilio Ephesino SS. Patrum sententias prolatas atque ex eorum consensu antiqui dogmatis religionem confirmatam et profanae novitatis blasphemiam condemnatam esse, atque simul significat eos (SS. Patres) omnes episcopos fuisse. Consensui igitur episcoporum maxime in doctrina et sanctitate insignium **37.**

infallibilitatem tribuit. Item alibi consentientem doctrinam episcoporum etiam in concilio non congregatorum omnino sequendam esse asserit (c. 2. in fine). Denique simul successionem apostolicam satis innuit, cum episcopos apostolicae et catholicae veritatis heredes appellat (c. 8. in fine).

38. Singulare iudicium de canone Lirinensi recentius tulit *Ehrhard* (Hist. Jahrbuch 1897 S. 866 ff.). Videlicet contra Lirinensem invehens contendit, canonem in se consideratum orthodoxe quidem intelligi et explicari posse, eundem autem, prout a Vincentio intellectus et propugnatus est, prorsus falsum esse; quare concludit, eandem regulam iam non urgendam, verum potius monacho Lirinensi prorsus relinquendam esse. — Sed haec incriminatio canonis communi theologorum approbatione recepti mira est atque solido fundamento caret. Ipse quidem ille Vincentii adversarius nullam pro sua opinione rationem adducit, sed opinari videtur, tria in canone assignata criteria non disiunctive sed copulative sumenda esse; atqui hoc ipsum, ut supra demonstratum est et opusculum legenti continuo patet, certo falsum est. Ergo. Quod vero Vincentius criterium verum et ab ipso etiam recte intellectum et explicatum forte perverse, scilicet ad Semipelagianismum contra S. Augustinum defendendum, applicaverit, veritatem canonis sive in se spectati, sive etiam prout a Vincentio intellectus est, sane non destruit.

39. Saeculo elapso *Traditionalistae* canonem Vincentianum suo systemati favere contenderunt. — Verum prorsus immerito. Etenim nulla paritas vel realis similitudo inter illum canonem et hoc systema exstat. Videlicet Traditionalistae rationi individuae valorem denegantes rationem generalem sive communem, sensum humanum criterium atque principium de se necessarium et indemonstrabile omnis certitudinis statuerunt; quamvis haec ratio generalis nihil aliud sit, quam coadunatio rationum individuarum. Longe aliter Vincentius. Nequaquam rationi naturali individuali denegat potentiam perveniendi ad certitudinem independenter a consensu generali, vel nullo modo consensum generalem tamquam principium et criterium omnis certitudinis statuit; neque consensum gene-

ralem in ecclesia regulam fidei esse statuit a priori necessariam, indemonstrabilem, a magisterio ecclesiastico independentem. Verum relicta rationi individuali potestate etiam aliis viis certo cognoscendi veritatem tum naturalem tum supernaturalem, tamquam criterium fidei catholicae statuit consensum, qui a magisterio ecclesiastico et charismate huic a Christo promisso tamquam principiis procedit atque propter hanc causam infallibilis est. Aperta igitur et essentialis inter systema Traditionalistarum et canonem Lirinensem non solum differentia, sed oppositio est.

Protestantes antiquiores canonem nostrum in eum sen- **40.**
sum detorserunt, ut principii liberi examinis confirmatio esse videatur. Scilicet canonem cum toto commonitorio singulorum christianorum exhortationem esse contenderunt, ut quisque sibi per propriam investigationem suam fidem ex antiquitate hauriat. — Verum haec est iniusta prorsus et manifesta canonis in falsum et haereticum sensum detorsio. Aperte enim et continuo vel repetitis saltem vicibus, ut ex commentatione supra facta manifesto patet, proclamat et urget catholicae ecclesiae, magisterii authentici, collegii episcoporum, conciliorum, imo ipsius Romani Pontificis irrefragabilem auctoritatem necnon ipsorum SS. Patrum auctoritatem ex eorum cum ecclesia communione repetit; atque totus in eo est, ut spiritum privatum haereticae divisionis impugnet et explodat. Imo tota commonitorii expositio hoc uno verbo comprehendi potest: Sequere indubitanter ecclesiae auctoritatem. Quare maior et magis radicalis oppositio, quam est inter Protestantismum et Vincentianum canonem, vix fingi potest.

Denique *difficultas quaedam* commemoranda est, quae **41.**
contra sensum disiunctivum canonis exsurgere possit. Videlicet Vincentius supponere vel significare videtur maiorem partem praesentis ecclesiae vel eam fere totam a fide aberrare et in haereticam pravitatem convenire posse; quod si verum esset, universitas vel consensio praesentis ecclesiae nunquam indubium fidei catholicae criterium esset. Verum consensio expressa totius praesentis ecclesiae vel etiam maioris partis ecclesiae nunquam in haeresin vel errorem con-

venire potest, ut ex tota praecedente tractatione patet. — Sed neque hunc casum possibilem esse opinatus est Vincentius. Equidem primum criterium sive praesentis ecclesiae consensionem in ratione criterii deficere posse declarat, sed non ideo praesentem ecclesiam vel maiorem eius partem in haeresin labi posse opinatus est; scilicet illud criterium ex mente Vincentii et secundum rei veritatem etiam tunc deficit, quando in praesenti ecclesia haeretica labes tam late serpit, ut universalis consensio desit et maioris partis consensio ab aliquo iam non clare percipiatur. Reipsa hunc in modum Vincentium intelligendum esse, verba ostendunt, quibus ante in illo casu explicando usus est: „Quid, si novella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, sed totam pariter ecclesiam commaculare *conetur*?" (c. 3.). „Item quando Arianorum venenum non iam portiunculam quandam, sed paene orbem totum contaminaverat, adeo ut prope cunctis latini sermonis episcopis *partim vi partim fraude deceptis caligo quaedam mentibus offunderetur*, quidnam in tanta rerum confusione sequendum foret, tunc quisquis verus Christi amator et cultor exstitit, antiquam fidem novellae perfidine praeferendo, nulla contagii ipsius parte maculatus est" (c. 4.). Nimirum quod dicit, haereticam contagionem totam ecclesiam commaculari conari et paene totum orbem Ariana haeresi contaminatum esse, significat in tota extensione ecclesiae vel orbis terrarum apud nonnullos vel etiam plures haeresin sparsam esse; non vero intelligendum est de membrorum ecclesiae plerorumque infectione haeretica. Pariter cum dicit prope cunctos latini sermonis episcopos partim vi partim fraude deceptos esse, eo ipso significat, eosdem episcopos in corde suo fidem catholicam illibatam servasse atque multos eorum solum eo deceptos esse, quod verbis Arianorum ambiguis, subdolis, specietenus catholicis fidentes eosdem catholicae fidei adhaerere falso putaverunt. Denique quando dicit, caliginem quandam mentibus obfusam esse satis exprimit, eos episcopos non adeo certo iudicio et determinata voluntate haeresi arianae adhaesisse, sed potius aliquamdiu dubios, ancipites, anxios haesisse, in quanam parte catholica veritas, cui fideles adhaerere vole-

bant, integra et illibata inveniretur. Neque igitur ex mente Vincentii neque ex rei veritate tunc temporis manifestatus est haereticus error maioris partis episcoporum et fidelium, verum potius utique satis multorum episcoporum et fidelium titubatio quaedam et haesitatio circa partem sequendam exstitit.

Postremo aliqui oppositionem aliquam vel diversitatem **42.** saltem exstare putant inter canonem Lirinensis et regulam fidei ab Irenaeo et Tertulliano traditam, quia scilicet „regula traditionis, quam S. Irenaeus (adv. haer. III, 3.) et Tertullianus (de praescr. 21.) proposuerunt, haec est, ut id teneamus, quod cum ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspirat.“ (*Rauschen*, Florilegium, fascic. V. p. 4. nota). — Verum neque oppositio neque diversitas ulla inter hos scriptores est. Etenim Vincentius Irenaei et Tertulliani regulam non negat, ut ex commentatione facta constat; sed potius innuit, cum episcopos apostolicae et catholicae veritatis haeredes appellat (c. 5.) et passim per totum opusculum antiquitatem doctrinae tamquam unum ex gravissimis criteriis urgeat. Neque ex altera parte sive Irenaeus sive Tertullianus consensionem criterium catholicae veritatis esse ullo modo negarunt, sed potius saepius et expressis verbis urgent, ut iam constat ex testimoniis supra (th. 2. et 4.) adductis. Quare hoc loco istud solum Tertulliani celebre et egregium testimonium addendum est: „Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt“ (De praescr. c. 28.; cf. c. 20. in fine.). Ceterum consensionem prae apostolica origine in ratione criterii praestare ideo, quia facilius adhibetur, per se patet.

Thesis 5. **Monumenta ecclesiastica magisterio authentico subsidium sunt ad doctrinam traditam conservandam moraliter necessarium; quare conspiratio eorundem monumentorum indubium genuinae traditionis criterium exhibet.**

Declaratio.

1. ***1. Argumentum thesis paucis definitur.*** — Ex praecedenti tractatione manifestum est, verbum Dei revelatum a magisterio authentico conservari mediis tum scriptura inspirata tum traditione divina. Traditio vero, ut pariter iam dictum est, non solum oralem praedicationem, sed omnem transmissionem verbi revelati complectitur, quae medio quocunque a scriptura inspirata distincto perficitur. Porro in praesenti thesi iam in haec media tum a scriptura tum ab orali praedicatione distincta inquirendum atque determinandum est, qua ratione magisterio authentico ad conservandam traditionem inserviant atque eiusdem traditionis etiam criterium sint.

2. ***2. Notio et divisio monumentorum ecclesiasticorum.*** — Media, de quibus agitur, in monumentis christianis continentur. Cum vero monumenta generatim intelligantur opera quaecunque ex transacta aetate reliqua, quibus opiniones, doctrinae, mores, instituta, actiones sive hominum singulorum sive integrarum societatum eiusdem aetatis nobis manifestantur, *monumenta ecclesiastica ea opera ex transactis saeculis reliqua sunt, quibus de fide et professione et disciplina christianis eodem tempore vigentibus edocemur. Haec autem monumenta christiana partim scripta partim non scripta sunt.* Ad illa pertinent symbola atque fidei professiones, acta et definitiones conciliorum necnon romanorum pontificum, libri liturgici et sacramentarii, libri poenitentiales, acta martyrum et confessorum, libri ius ecclesiasticum imo et civile complectentes, historia ecclesiastica generatim et historia haeresum et dogmatum in specie, antiquorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum opera apologetica, exegetica, dogmatica, polemica, catechetica, ascetica, denique per accidens etiam scripta haereticorum et christianae religionis adversariorum. Ad monumenta non scripta per-

tinent opera sculpta, picta, architectonica, quae usui sacro vel etiam profano christianorum anteactae aetatis et imprimis antiquitatis inserviebant atque ex primis quoque saeculis reliqua, ut v. g. in catacumbis, ad nos usque pervenerunt. Porro cum monumenta illa priora i. e. scripta generatim loquendo distinctius, clarius, plenius et explicatius fidem antiquitatis exhibeant: imprimis haec in theologia in considerationem veniunt. Nihilominus etiam monumentorum non scriptorum consideratio minime negligenda est, utpote quae magnam, imprimis duplicem utilitatem habet. *Primo* scilicet ea capita doctrinae, quae magis practicam vitam spectant, aliquando eiusmodi monumentis non scriptis accommodatius et clarius exhibentur, quam ipsis monumentis scriptis. *Praeterea* quia eadem monumenta non scripta vitam moresque christianorum antiquorum veluti coram oculis nostris praesentes sistunt, animum commovere et vividiore luce percellere apta sunt.

3. Divisio thesis. — Demonstratio thesis in duplicem **3.** partem dispescitur: in prima parte probatur, monumenta de quibus agitur, magisterio authentico subsidium esse necessarium ad traditionem conservandam; in altera autem parte ostendendum est, eorundem monumentorum conspirationem certum genuinae traditionis criterium exhibere. Ne vero impedita evadat demonstratio quoad utramque partem adhuc quaedam praenotanda sunt.

Et quod primam partem attinet, considerandum est, eo- **4.** rundem monumentorum in ratione subsidii pro magisterio authentico asseri non necessitatem absolutam, sed hypotheticam solum vel moralem. Absolute enim necessarium ad finem aliquem assequendum illud dicitur, sine quo finis simpliciter obtineri nequit; iamvero monumenta christiana ea ratione ad traditionem conservandam necessaria non sunt. Etenim *primo* spectata assistentia divina, quae magisterio authentico promissa est et exhibetur, dicendum sane est, etiam subsidio solius scripturae et praedicationis oralis ab eodem magisterio traditionem conservari posse integram et illibatam. Imo *secundo* etiam seposita speciali assistentia divina magisterium authenticum adhuc intelligitur habere potentiam phy-

sicam, qua mediis scriptura et orali praedicatione traditionem pure et integre conservare et transmittere possit, praesertim quia pars doctrinae revelatae in scripturis inspiratis non consignata non tam ampla est, ut memoria capi et fideliter retineri absolute non possit. — *Consignatio igitur doctrinae revelatae in monumentis subsidium est moraliter necessarium, et quidem tale esse dicitur ipsa quoque assistentia divina supposita.* Videlicet moraliter necessarium illud est, sine quo finis quidem absolute et physice obtineri potest, sed spectatis eiusdem difficultate et consueto modo agendi hominum reipsa non obtinetur: ergo monumenta illa moraliter necessaria esse dicuntur, quatenus propter magnam rei difficultatem sine iis traditio pure et illibate non conservaretur: et haec quidem necessitas etiam supposita assistentia divina subsistit, quia eadem divina assistentia communem providentiae ordinem sequens non nova extraordinaria media exhibet, sed potius ad usum mediorum iam exhibitorum manuducit atque in eodem dirigit.

5. *Quod secundam thesis partem attinet,* considerandum est, solum magisterium ecclesiasticum authenticum traditionis custodem esse, ut ex superiore tractatione liquet: hinc igitur per se eiusdem magisterii enuntiationes authenticae solae infallibiliter traditionem manifestant, cetera autem omnia subsidia, quae ad eandem traditionem conservandam et cognoscendam adhiberi possunt et adhibentur, certum traditionis criterium eatenus esse intelliguntur, quatenus certo vel enuntiationes tales magisterii authentici continent vel easdem manifestant. Quare ut monumentis christianis ratio criterii traditionis vindicetur, opus est et sufficit ostendere, eadem monumenta, saltem si conspirent, doctrinam authenticam magisterii ecclesiastici vel certo continere vel indubie saltem manifestare.

Demonstratio.

I. p. **Monumenta ecclesiastica magisterio authentico subsidium sunt moraliter necessarium ad traditionem conservandam.**

6. ***1. Probatur ex copia et amplitudine eorum, quae traditione conservanda et transmittenda***

sunt. — Traditionis subsidio conservandae et transmittendae sunt non solum eae veritates revelatae, quae in scriptura inspirata non continentur, sed insuper ex una aetate in alias subsequentes conservandae et transmittendae sunt etiam interpretationes eorum, quae in s. scriptura magis indeterminate, confuse, obscure continentur: eiusmodi enim scripturae testimonia, ut supra (th. 3. n. 31. ss.) dictum est, ad magisterium ecclesiasticum tamquam ad authenticum suum interpretem et ad traditionem obiectivam tamquam ad normam interpretationis obiectivam referuntur: necnon tandem ad obiectum traditionis conservandum et transmittendum ea quoque pertinent, quae in scriptura inspirata solum implicite continentur, sed opera magisterii authentici decursu temporis expressa et explicita dogmata evaserunt. Iamvero haec omnia satis magnam doctrinarum copiam constituunt et earum quidem, quae, cum in se sublimes et difficiles sint, accuratis et definitis terminis exprimi et declarari debent, ne falsae intelligentiae et interpretationi obnoxiae evadant. Quare moraliter impossibile esse apparet, ut totum traditionis (ut est fons a scriptura distinctus) obiectum sola memoria comprehendatur et simul succedentibus saeculis fideliter et accurate retineatur. Ergo sive magisterium authenticum veritates traditas conservans et fidelibus communicanus sive fideles eas veritates a magisterio authentico recipientes considerantur, consignatio traditionis in monumentis ecclesiasticis subsidium ad conservandam et transmittendam traditionem moraliter necessarium esse intelligitur.

Confirmatur primo ex historia, quia plures cum haere- 7.
ticis controversiae exstiterunt, in quibus dogmata catholica sine consignatione eorundem in monumentis ecclesiasticis efficaciter defendi non potuisse oculis quasi conspicitur.

Confirmatur secundo ex indole ecclesiae, utpote quae est societas inter homines exsistens. In omni enim societate humana leges essentiales, quibus tenenda et agenda definiuntur, monumentis consignari consuevit et opus est. Ergo a fortiori in ecclesia connaturaliter convenit et opus est, ut diversa dogmata in monumentis consignata posteris genera-

tionibus transmittantur, utpote quae dogmata non legibus transformabilibus, sed veritatibus essentialiter immutabilibus continentur.

8. *Neque haec istius subsidii moralis necessitas per assistentiam supernaturalem excluditur*, quam Christus magisterio authentico promisit et impendit. Etenim sicuti omnis, ita etiam haec supernaturalis providentia media naturalia non excludit, verum potius, ut rite et accurate adhibeantur, omnino providet; quod in praesenti quaestione eo magis dicendum est, quia Deus magisterium authenticum rigoroso praecepto adstrinxit, ut illibatae et integrae depositi revelationis conservationi et transmissioni quibusvis mediis et certe maxime connaturalibus adhibitis sedulo consulat.

9. ***2. Ex indole assistentiae magisterio authentico promissae.*** — Haec enim assistentia divina nequaquam sive continuas et immediatas revelationes sive alia media supernaturalia vel miraculosa complectitur. Ratio est *primo*, quia eiusmodi influxus supernaturalis et miraculi asserendi nullum sive in scriptura sive in traditione fundamentum exstat; *secundo* ad providentiam divinam suavem non pertinet, ad aliquem finem assequendum media supernaturalia adhibere, quando convenienter procurari potest per alia media naturalia et humana, quae iam praesto sunt: *tertio* ipsa etiam magisterii authentici ratio agendi in conservando revelationis deposito satis ostendit, eidem persuasum esse, sibi immediatas revelationes vel alia media miraculosa regulariter praesto non esse. Quae cum ita sint, assistentia illa divina in speciali providentia consistere dicenda est, qua Deus providet, ut tum media efficacia magisterio authentico suppetant, quibus depositum fidei pure et integre conservari possit, tum ipsum magisterium iisdem mediis cum effectu et successu continuo utatur. Quare tria illa specialis providentia complectitur: *primo* ita adiuncta rerum et personarum dirigit, ut magisterio authentico nunquam media naturalia et humana desint, quibus illibate et integre depositum fidei custodiatur et transmittatur; *secundo* ita regit magisterium authenticum, ut mediis sibi suppeditatis semper rite utatur ad propositum scopum

attingendum; *tertio* denique providet, ne ullus unquam error sive in sollemnibus definitionibus sive in ordinaria universali praedicatione accidat. Iamvero inter media ad illum finem assequendum accommodata et requisita, spectata humana natura, certe continetur consignatio traditionis in monumentis ecclesiasticis. Ergo non obstante speciali assistentia divina vel ea supposita monumenta ecclesiastica pro magisterio authentico subsidium moraliter necessarium sunt ad traditionem conservandam et transmittendam. *Considerandum tum hic est*: si quando, quod vix fingi potest, divina providentia permittente omnia monumenta historica destruerentur et omnia media humana deficerent, tunc sane Deus vi assistentiae promissae defectum mediorum naturalium suppleret et mediis extraordinariis custodiae traditionis provideret.

Confirmatur ex necessitate monumentorum ecclesiasticorum **10.** *ad historicam demonstrationem illibatae et integrae doctrinae traditae conservationis.* Etenim ad opportunam et hominibus accommodatam traditionis conservationem pertinet, ut de eadem ad confirmandos fideles et haereticos retundendos historica certitudine constare possit; atqui historica haec certitudo nonnisi ex monumentis ecclesiasticis hauriri potest; ergo etiam ex hac parte monumenta ecclesiastica subsidium necessarium ad traditionem conservandam sunt.

2 p. Conspiratio monumentorum ecclesiasticorum in exhibenda aliqua veritate tamquam revelata certum traditionis argumentum est.

In enuntiatione huius partis ex consulto dicitur conspi- **11.** rationem monumentorum ecclesiasticorum traditionem exhibere; si enim eiusmodi conspiratio non appareat, monumenta privatam solum singulorum sententiam, non vero communem fidem exhibere cognoscuntur. Privata vero alicuius etiam episcopi sententia traditionis criterium certum non est. Romani quidem episcopi sententia definitiva infallibilis est; verum exstante eiusmodi definitione neque consensus monumentorum circa eandem unquam deerit. Porro enuntiatio sic restricta facile probatur.

12. ***1. Probatur ratione philosophica.*** — Nimirum, ut Logici docent, generatim repugnat, quominus universali consensioni hominum indole, aetate, origine, animi cultura aliisque ab invicem diversorum falsitas aut error subsit: causae enim erroris et falsitatis non universales sed particulares sunt. Ergo etiam monumenta ecclesiastica, quae diversae speciei diversique ordinis sunt atque a diversis auctoribus et in diversis dissitisque locis prodierunt in eundem errorem vel idem mendacium conspirare nequeunt. Quare eorundem conspiratio necessario certum traditionis criterium exhibet.

13. ***2. Ex ipsa traditione.*** — In quavis ecclesiae aetate ea persuasio viguit, monumentorum ecclesiasticorum concors consonumque suffragium necessario et certo veritatem traditam continere; unde tale suffragium intra ecclesiam nunquam reiectum est, sed omnes catholici semper ei adstipulati sunt. Ergo.

14. ***3. Ex propria illorum monumentorum indole.*** — Ea est monumentorum ecclesiasticorum ratio et indoles, ut connaturali, individuo et inseparabili nexu cum magisterio authentico connectantur, ut iam ex praecedenti parte constat. Monumenta enim ecclesiastica aut directe exhibent magistrorum authenticorum iudicium et suffragium elementis fixis et consistentibus impressum et quasi incorporatum atque iisdem simul oculis conspiciendum expressum aut vero, si immediate aliis praeter magistros authenticos originem suam debent, mediate et indirecte saltem eorundem magistrorum sententiam referunt, quippe quibus ex officio incumbit sedulo invigilare et curare, ne per eiusmodi monumenta puritati vel integritati doctrinae revelatae ullum nocumentum inferatur. In utroque igitur casu monumenta ecclesiastica iudicium magistrorum authenticorum certo notificant: quare etiam si in referenda aliqua doctrina conspirant, sine dubitatione conspirantem eorundem magistrorum authenticorum consensum referunt. Atqui consensus magistrorum authenticorum certum et infallibile traditionis criterium est. Ergo etiam conspiratio monumentorum ecclesiasticorum, utpote quae cum

illo consensu individuo et indissolubili nexu cohaeret eiusque effectus connaturalis est, certi et infallibilis criterii traditionis rationem habet. Quemadmodum igitur viva vocis praedicatio apostolica a magistris authenticis sive immediate sive mediate procedens, ita et monumenta ecclesiastica traditionem obiectivam continent et exhibent: discrimen solum est, quod aliter et aliter traditio exhibetur. Etenim viva vocis praedicatione magistri viventes et praesentes, monumentis ecclesiasticis magistri potius praeteritae aetatis traditionis doctrinam communicant: illa hodiedum quasi vox Christi et Apostolorum personat, hac eadem vox, ut praeteritis aetatibus sonabat, conservatur.

Scholion.

15. ***De relatione inter magisterium authenticum et monumenta ecclesiastica vigente.*** — Quae ad hanc quaestionem pertinent, demonstratione thesis instituta iam facile expediri et paucis comprehendi possunt:

1) Magisterium authenticum origine prius est monumentis ecclesiasticis. — Ratio huius assertionis aperta est. Etenim *primo* magisterium authenticum tamquam organum traditionis immediate et simpliciter ab ipso Christo institutum est atque imprimis viva vocis praedicatione suo munere fungi debuit; subsidium vero, quod in monumentis ecclesiasticis continetur, immediate ab ipso organo illo principali traditionis non vero ex immediata Dei institutione originem suam ducit, quamvis ex speciali Dei erga ecclesiam providentia et ex illo organo connaturaliter consequatur. *Secundo* idem patet ex comparatione cum altero revelationis fonte sc. sacra scriptura: etenim cum haec (scriptura N. T.) origine posterior sit, quam magisterium authenticum, a fortiori id de monumentis ecclesiasticis dicendum est.

16. *2) Item magisterium authenticum monumenta ecclesiastica praecedit ordine necessitatis et dignitatis.* — Quae assertio ex dictis consequitur; etenim magisterium authenticum ex divina institutione traditionis principale et essentiale organum est, utpote quod traditionem active spectatam intrinsecus con-

stituit; monumenta vero ecclesiastica huius organi subsidium sunt, quo melius sub suavi Dei providentia suo munere fungi possit.

17. *3) Monumenta ecclesiastica ad magisterium authenticum vivum et praesens referuntur tamquam ad authenticum suum interpretem.* — Assertio ex interna ratione tum magisterii authentici tum monumentorum illorum consequitur. Etenim ad magisterium authenticum essentialiter pertinet, ut depositum revelationis non solum custodiat, sed etiam explicet atque interpretetur: quare quidquid verbum Dei revelatum continet, ideoque vel ipsa s. scriptura ad magisterium ecclesiasticum tamquam ad authenticum suum interpretem refertur; iamvero etsi non eadem simili tamen ratione sicuti scriptura ita et monumenta ecclesiastica verbum Dei revelatum continent et ad depositum revelationis pertinent: ergo sicuti scriptura, ita etiam monumenta ecclesiastica ad idem magisterium tamquam ad authenticum suum interpretem referuntur. Quare si quando de exsistentia conspirationis eorundem monumentorum vel de vero sensu doctrinae per eadem exhibitae dubitatio vel controversia orta sit, illius magisterii praesentis et vivi est, de iisdem quaestionibus definitiva sententia decernere.

18. Quae cum ita sint, nihil tamen obstat, quominus a privatis doctoribus aliisque etiam non interveniente vel nondum interveniente magisterio authentico ex eiusmodi monumentis multa quoad doctrinam traditam etiam plena cum certitudine erui possint. Multa enim monumenta plura doctrinae revelatae capita perfecta cum claritate exprimunt. Similiter, ut supra dictum est, ex scriptura multae veritates perfecta cum certitudine cognosci possunt, quin authentica ecclesiae interpretatio praecedat.

Articulus tertius.

De traditionis organis et criteriis secundariis.

Thesis 6. **Concors Patrum sententia in exhibenda aliqua doctrina tamquam ad fidei depositum pertinente certum traditionis argumentum est.**

Declaratio.

1. ***Argumentum huius articuli.*** — Cum de organo et criterio essentiali et principali traditionis satis dictum sit, in praesenti articulo de traditionis organis et criteriis secundariis iam agendum est. Organa vero secundaria traditionis eiusmodi instrumenta viva intelliguntur, quae non propria et insita virtute, sed auctoritate a primario organo communicata vel derivata traditioni conservandae, transmittendae, explicandae inserviunt: similiter criterii secundarii ratio in eo est, ut non in se vel per se spectatum, sed per suam cum criterio principali et essentiali connexionem certam traditionis normam exhibeat. Cuiusmodi organa et criteria secundaria tria sunt, et organa quidem: SS. Patres, theologi, fideles universim; criteria vero: eorundem tum Patrum, tum theologorum, tum fidelium consensus. Iam de singulis his tribus organis et criteriis tribus distinctis thesibus agendum est. 1.

2. ***Notio SS. Patrum.*** — Imprimis autem notio Patris ecclesiae determinanda et a notione doctoris ecclesiae necnon ab ea scriptoris ecclesiastici discernenda est. 2.

1) Pater ecclesiae. — Quemadmodum, qui ad vitam naturalem generant eamque fovent, patres naturales vocantur et sunt, ita, qui vitam spiritualem vel supernaturalem impertiunt eamque fovent, spectata hac vita spirituali et supernaturali merito patres dicuntur; qua ratione hoc nomen praedicatoribus, confessariis, sacramentorum administratoribus recte tribuitur. Cum autem fides quasi radix et primum semen vitae supernaturalis sit, ideo, qui alios in fide instruunt atque ad eandem manuducunt, imprimis eo nomine condecorantur. Qua ratione *Chrysostomus* dicit: „Non genuisse tantum patrem

efficit, sed recte instituisse" (De Anna serm. 1. n. 3.). Et S. Paulus: „*vos ut filios meos carissimos moneo; nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui*" (1. Cor. 4. 14.): et iterum: „*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*" (Gal. 4. 19.). Hinc ecclesiae Patres ii scriptores ecclesiastici vocantur, qui sanctitate vitae et doctrina conspicui in antiqua ecclesia floruerunt, eamque in infantili vel iuvenili sua aetate foverunt, nutriverunt et quasi educarunt. Quatuor autem conditiones requiruntur, ut quis stricto sensu inter Patres ecclesiae recenseatur:

3. a) *Prima est antiquitas.* Et haec quidem conditio peculiarem auctoritatem conciliare intelligitur. Etenim *primo* eadem fit, ut propinquius cum Apostolis connectantur ideoque facilius verum sensum doctrinae ab iisdem traditae percipere possent; *insuper* cum ea aetate explicatio, illustratio, demonstratio et defensio praecipuorum dogmatum absoluta sit, speciali modo veri sensus horum dogmatum testes exstant. Porro de extensione huius notae theologi non consentiunt, cum alii usque ad S. Bernardum, alii usque ad Gregorium Magnum, alii usque ad S. I. Damascenum aetatem Patrum porrigere velint. Cum autem ratione nominis spectata Patres dicendi non sint, qui ecclesiam in infantia eiusdem vel iuvenili aetate non coluerint, aetas Patrum rectius ultra S. Ioannem Damascenum non extenditur.

4. b) *Altera conditio est excellens quaedam vitae honestas et sanctitas.* Et recte sane haec conditio postulatur. Etenim *primo* recta institutio et educatio praesertim in fide christiana non solis verbis scriptis vel ore prolatis absolvitur, sed exemplum quoque vitae postulat, quod efficacissimum ad rectam institutionem et educationem est. *Praeterea* sanctitas vitae peculiari modo cum Deo omnis sapientiae fonte coniungit atque hac ratione efficit, ut abundantioribus illustrationibus receptis accuratius et profundius dogmata fidei intelligerent. *Denique* ex eodem sanctitatis fonte necessario promanabat etiam ardens ecclesiae eiusque unitatis amor atque flagrans studium conservandi fidem christianam sinceram et integram.

In hac conditione, eximia scilicet sanctitate, inclusa est communio cum ecclesia catholica usque ad finem vitae servata, quam aliqui auctores ut propriam et distinctam conditionem postulant.

c) *Tertia conditio est doctrinae orthodoxia et excellentia.* 5. Ratio manifesta est, quia maxime per hanc conditionem virtutem illam filiorum generatricem habuerunt, ratione cuius Patres ecclesiae dicti sunt. Animadvertendum autem est, unum alterumve errorem materialem doctrinae orthodoxiam non impedire, dummodo animus sincere addictus ecclesiae manserit, atque in plerisque doctrina catholica sincere expressa sit. Simili modo per vitae sanctitatem non omnis naevus vel culpa in vita morali excluditur. Praeterea notandum est, pro ea aetate, qua iam contra sophisticas haereticorum fallacias doctrina catholica defendenda erat, requiri praeter orthodoxiam etiam aliquam doctrinae excellentiam et amplitudinem.

d) *Denique quarta conditio est ecclesiae approbatio.* Et 6. huius quidem conditionis necessitas prorsus aperta est. Etenim, cum ecclesia divinitus constituta sit custos doctrinae revelatae, ad eius munus essentialiter pertinet, fontes exhibere et notificare, ex quibus verbum Dei traditum pure et integre hauriatur, quemadmodum pari ratione scripturas inspiratas exhibet, ex quibus verbum Dei scriptum derivatur. Neque vero expressa approbatio per sollemne decretum facta requiritur, sed etiam tacita vel practica sufficit, qua v. g. vel aliquis scriptor antiquus magisterio authentico non reclamante a fidelibus communi et constanti consensu tamquam Pater ecclesiae celebratur vel alicui scriptori antiquo, quod fidei quaestiones attinet, etiam a magisterio authentico par auctoritas tribuitur, quam aliis, qui aperte et expresse tamquam Patres ecclesiae agniti sunt. Ceterum quod plerosque et insigniores ecclesiae Patres attinet, expressa approbatio sive a conciliis sive a romanis pontificibus facta non deest.

2) *Notio doctoris ecclesiae.* — A notione patris eccle- 7. siae discernenda est notio doctoris ecclesiae, quamvis utrumque praedicatum eidem personae convenire possit et pluribus

in antiquitate reipsa conveniat. Differentia vero potissimum triplex est: primo ad rationem doctoris non requiritur antiquitas: secundo maior quaedam doctrinae excellentia requiritur: tertio etiam sollemnior quaedam approbatio ecclesiae necessaria est, quamvis non in eadem semper forma impertita sit. *Tres igitur notae doctoris ecclesiae notionem constituunt: primo* eximia vitae sanctitas: *secundo* praecellentior doctrinae eminentia: *tertio* sollemnior ecclesiae approbatio. Quam doctoris rationem uberius describit *Benedictus XIV.* in Brevi, quo S. Leoni M. titulum doctoris ecclesiae sollemniter tribuit vel confirmavit et festum eiusdem sub ritu doctorum celebrandum esse decrevit: „Militantis ecclesiae auctor rectorque Deus, cum eam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum aedificaverit, summoque lapide Christo Iesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque praesidium usque in saeculorum finem advigilarent egregii sanctique doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo fidelium mores ad sanctitatem iustitiamque componerent, sed etiam doctrinae vi et excellentia eosdem in fidei sinceritate et salutaris scientiae veritate continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus et Magister, ut eos sal terrae et lucem mundi appellaverit, utpote qui non vivae tantum vocis officio, quemadmodum ceteri sanctarum plebium pastores, praesentium sibi populorum saluti consulturi erant, sed peculiari sapientiae lumine Spiritus Sancti dono ditati, doctissimis conscriptis libris, universam ecclesiam instruere et omnium saeculorum posteritatem in religione audire debebant. Hinc ecclesia ipsa, Sponsi sui Spiritu imbuta eiusque instituta servare studens eosdem gloriosos viros uberiori doctrinae munere a Deo repletos hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in sollemnibus sacris, quae recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam scilicet in sacrificio missae, quam in ecclesiasticis officiis eiusmodi preces, lectiones et laudes adhiberi iubeat, in quibus et S. Doctoris titulus ipsis tribuitur et eorum sapientia et doctrina specialius praedicantur."

Ex qua doctoris ecclesiae notione patet, hunc titulum nec omnibus nec solis ecclesiae Patribus convenire. Porro inter Patres tum occidentalis tum orientalis ecclesiae quatuor secundum numerum evangelistarum distinguuntur, qui per excellentiam doctores ecclesiae occidentalis vel orientalis celebrantur, et quidem ecclesiae occidentalis: Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius M.: ecclesiae vero orientalis: Athanasius, Basilius, Gregorius Naz., Chrysostomus. Praeterea ab ecclesia catholica ut doctores ecclesiae coluntur ex Patribus sive orientalis sive occidentalis ecclesiae: Leo M., Hilarius Pictaviensis, Cyrillus A., Cyrillus H., Petrus Chrysologus, Ioannes Damascenus; ex sanctis subsequentis aetatis: Isidorus Hispalensis, Beda Venerabilis, Bernardus, Petrus Damiani, Anselmus Cantuariensis, Thomas Aquinas, Bonaventura, Franciscus Salesius, Alphonsus M. de Liguori. 8.

3) Notio scriptoris ecclesiastici. — Tum a Patribus tum ab ecclesiae doctoribus apprime discernendi sunt scriptores ecclesiastici. Hoc vero nomine ii antiquae ecclesiae auctores vocari solent, qui antiquitate quidem et doctrina quoque eminent, sed a nota orthodoxiae vel sanctitatis defecerunt ideoque neque eandem ac SS. Patres approbationem ecclesiae acceperunt. Quamvis igitur horum scriptorum ecclesiasticorum auctoritas multo minor, quam SS. Patrum sit, nihilominus ipsi quoque saepenumero testes exstant antiquitatis alicuius doctrinae vel fidei inter fideles suae aetatis communiter vigentis; quare etiam eorum testimonia in quaestionibus theologicis magnum momentum habent et merito frequenter adduci solent. Inter scriptores ecclesiasticos numerantur v. g.: Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius Caesariensis, Theodoretus Cyrensis, Rufinus aliique plures. 9.

3. Diversa SS. Patrum consideratio. — Iam in praesenti thesi de solis SS. Patribus sensu supra definito sumptis agitur. Porro Patres sic spectati adhuc vario modo considerari possunt. Etenim: 10.

1) In suis scriptis aut tamquam doctores privati procedunt aut vero tamquam testes fidei catholicae sua aetate

vigentis vel etiam tamquam publici et universales ecclesiae doctores. — Et quidem tamquam *doctores privati* agunt, quando scripturam vel generatim doctrinam fidei explicantes et variis conclusionibus et deductionibus evolventes, privatam suam sententiam, non vero communem fidem vel publicum ecclesiae sensum exponere cognoscuntur. Iamvero Patribus sic consideratis tamquam privatis doctoribus infallibilis auctoritas tribuenda non est neque in thesi tribuitur, et quidem ne pro eo casu quidem, quod omnes consentiant, qui tamen casus vix unquam continget. — Tamquam *testes fidei catholicae* sua aetate vigentis agunt, quando proponunt doctrinas tamquam de fide catholica tenendas sive ut dogmata in communi et publica fide recepta. Similiter tamquam *publici et universales ecclesiae doctores* procedunt, quando doctrinam fidei demonstrantes, declarantes, variis illationibus evolventes non privatam suam sententiam, sed ecclesiae sensum vel intellectum catholicum exponere intelliguntur. In utroque hoc casu Patribus infallibilitas convenit et in thesi tribuitur; neque enim sub hoc respectu ulla differentia facienda est inter Patres, ut sunt testes traditionis et eosdem, ut publici et universales ecclesiae doctores sunt. Quod quidem aliqui theologi non advertentes confuse et perverse in quaestione hac explicanda processerunt. Recte prorsus *Cardinalis Franzelin:* „Distinguunt quidam inter Patres, ut sunt testes traditionis et ut sunt doctores: sub priori ratione omnes fatentur esse eorum auctoritatem ineluctabilem, sub ratione posteriori aiunt non esse tantam, ut piaculum sit debita cum reverentia ab eorum placitis discedere. Ut haec distinctio vera sit, fieri deberet inter Patres ut testes traditionis doctoresque authenticos in unitate et consensu spectatos atque inter eosdem si considerentur ut doctores privati. Iidem nempe, qui sunt depositi custodes, sunt etiam divinitus instituti doctores, hoc que duplex munus licet forte distingui non tamen potest separari, ut alio loco demonstrabimus. Sub eadem ergo conditione, sub qua Patres traditionem infallibiliter custodiebant, etiam doctrinam revelatam assistente Spiritu Sancto explicabant et secundum legitimum sensum declarabant infallibiliter:

quam conditionem saepe diximus esse consensum inter se et cum unitatis centro. Ubi ergo Patres pro numero doctorum unanimes, constanter et asseveranter declarant sensum dogmatis, qui fuerat obscurus, explicant, quod fuerat implicitum, definiunt strictius, quod videbatur ambiguum; non minus is ab eis traditus et explicatus sensus revelationis credi debet verus et genuinus, quam dum pro munere custodum, quod iam clarum ac explicatum acceperunt a maioribus suis, posteris tradiderunt. Si ergo dicuntur Patres, quatenus doctores sunt, modum tradere quo doctrina ecclesiae ab ipsis subiective concipiebatur, et porro in hoc negotio eorum auctoritas negatur esse ineluctabilis, id intelligi non potest de modo concipiendi unanimi atque constante; hic enim unanimis conceptus doctrinae nihil est aliud, quam intellectus catholicus formatus et expolitus sub infallibili assistentia et directione Spiritus Sancti" (Thes. 15, I. 2.). — *Notandum* hic est, ab aliis theologis Patres ut sunt publici ecclesiae doctores, alio nomine vocari quasi-testes traditionis sive fidei ecclesiae sui temporis (cf. *Desan*, n. 156 ss.).

2) *Altera consideratione distinctio instituitur inter Patres,* **11.** *ut spectantur in consensu, et eosdem, ut extra consensum spectantur.* — Atque haec distinctio gravissimi momenti est. Praeprimis vero considerandum est, hanc distinctionem cum praecedente, qua inter Patres tamquam doctores privatos et eosdem tamquam testes traditionis et publicos ecclesiae doctores distinctum est, nequaquam coincidere. Distinctionis enim ratio in utroque casu alia et alia est. Etenim per se nihil obstat, quominus Patres aliquando etiam ut doctores privati consentiant; neque, quando ex sua intentione tamquam testes traditionis vel publici ecclesiae doctores agunt, ideo iam etiam omnes consentiant, necesse est. Iam igitur infallibilitas Patribus tribuenda est et in praesenti thesi ipsis vindicatur, quando doctrinam aliquam ad fidem pertinentem proponentes vel demonstrantes et evolventes tamquam testes traditionis vel doctores ecclesiae publici procedunt et quidem ea in re unanimi consensu in eandem sententiam conspirant. — Consensus vero non requiritur mathematice universalis, sed moraliter universalis sufficit,

qui per dissensum paucorum non tollitur. Quod imprimis considerandum est, quando de dogmate agitur, quod non semper in explicita ecclesiae fide fuit: in hoc enim casu tamquam testes traditionis vel publici ecclesiae doctores nonnisi ii Patres adduci possunt, qui ea aetate, qua primum illud dogma receptum est, vel post eam floruerunt: quare dissensus Patrum priorum, si quis forte fuerit, vim consensus Patrum subsequentium non infringit.

12. Restat quaestio, quae merito hoc loco ponitur: *quomodo scilicet dignoscatur, SS. Patres non tamquam privatos doctores, sed tamquam testes traditionis vel publicos ecclesiae doctores sive ut organa magisterii authentici procedere.*

R. Id vel ex disertis eorum testimoniis vel ex modo eorum loquendi et disserendi, ex indole causae tractatae, ex adiunctis controversiae agitatae constare potest et diiudicandum est. Sic certum est, Patres se tamquam testes traditionis vel publicos ecclesiae doctores gerere, quando *primo* pro doctrina proposita ad communem ecclesiae fidem, ad universalem et apostolicam traditionem provocant his vel similibus terminis: haec est fides catholica, sic credimus et confitemur, sic Apostoli tradiderunt, sic a maioribus edocti sumus: vel *secundo* oppositam doctrinam ut haereticam traducunt et impugnant eiusque defensores haereticos, a fide catholica apostatas, fugiendos appellant: vel *tertio* strictam obligationem inculcant, doctrinae a se propositae firmo assensu adhaerendi ita, ut nemini ab ea dissentiri vel eam in dubium vocare liceat: vel *quarto* eam in catechesibus vel in catechumenorum instructionibus vel in aliis occasionibus proponunt, in quibus nonnisi ea, quae ad fidem eiusque intellectum catholicum pertinent, secundum morem antiquae ecclesiae proponi consueverunt. Iam his omnibus praenotatis ipsa demonstratio difficilis vel impedita esse non videtur.

Demonstratio.

13. ***1. Probatur ex sententiis diversorum conciliorum.*** — Iam inde a concilio Nicaeno I. diversa con-

cilia oecumenica imprimis unanimem Patrum in rebus fidei et morum consensum tamquam infallibilem fidei normam habuerunt et inculcarunt. Sic testante S. Athanasio (Ep. ad Afr. n. 6.), cum in *Concilio Nicaeno* de termino ὁμοούσιος in scriptura non occurrente statueretur, „episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea a Patribus testimonia conscripserunt." Deinde in *concilio Constantinopolitano* (a. 383.) teste Socrate (H. E. ad a. 381.) interrogati sunt Macedoniani, „utrum vellent necne stare iudicio Patrum, qui floruerunt, antequam nascerentur illae haereses, de quibus agebatur". *Concilium Ephesinum* in actione 1. decrevit: „Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuerit antiquitas" (Mansi, coll. IV. 1183.). *Concilium Chalcedonense* definitionem suam exorditur: „Sequentes sanctos Patres . . . consonanter omnes docemus" (*Denzinger*, enchirid. n. 134.). *Concilium Constantinopolitanum II.* declarat: „Confitemur nos fidem tenere et praedicare . . .. quam SS. Patres confessi sunt et explanarunt" (*Mansi* IX, 201.). *Concilium Lateranense sub Martino I* celebratum omnes fere canones incipit: „si quis secundum SS. Patres non confitetur" atque aliis modis SS. Patrum auctoritatem inculcat: nominatim in can. 17. eandem conciliorum praecedentium auctoritati aequiparat atque sub poena anathematis sequendam iniungit: „Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei ecclesiae, perindeque a Sanctis Patribus et venerandis universalibus quinque conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit" (D. 218.). *Concilium oecumenicum VII. Nicaenum II.* definitionem de sacris imaginibus sic incipit: „Regiae quasi continuati semitae sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium . . .", et paulo inferius sanctorum Patrum doctrinam simpliciter cum ecclesiae traditione identificat: „Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio sanctae catholicae ecclesiae . . ." (D. n. 242 ss.). *Concilium oecumenicum VIII. constantinopolitanum IV.* de-

clarat Patrum sensus et definitiones sequendas esse: „Per aequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus" (can. 1. D. n. 272.). *Concilium Valentinum* confitetur: „Indubitanter autem doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis ipsisque sacrae scripturae lucidissimis expositoribus, i. e. Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, ceterisque in catholica pietate quiescentibus reverenter auditum et obtemperanter intellectum submittimus, et pro viribus, quae ad salutem nostram scripserunt, amplectimur" (can. 1. D. n. 283). Denique etiam concilium Tridentinum profitetur, se sanctorum Patrum doctrinam sectari (cf. D. n. 669.).

14. ***2. Ex antiquitatis christianae persuasione etiam extra concilia manifestata.*** — Revera etiam extra concilia haec persuasio antiquae ecclesiae innumeris fere catholicorum scriptorum testimoniis manifestata est. Semper enim in antiquitate et temporibus deinceps subsequentibus ss. Patrum auctoritas tamquam norma considerata est, secundum quam quaestiones fidei decidendae essent. In re indubia et manifesta quaedam testimonia elegisse satis erit. Itaque *Tertullianus* Valentinianos impugnans declarat, se Patrum consensum sectaturum esse: „Nec undique dicemur, ipsi nobis finxisse materias, quas iam viri sanctitate et praestantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum haeresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt, ut Iustinus, philosophus et martyr, ut Miltiades, ecclesiarum sophista (acutus disputator), ut Irenaeus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster, virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas, quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi" (Adv. Valentinianos c. 5.). *S. Augustinus*, qui Patres consentientes non audiant, ecclesiam Dei offendere asseverat: „His igitur, ita Iulianum perstringit, eloquiis et tanta auctoritate sanctorum profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi opto, videt, qui faciat,

aut si, quod abominor, in eadem, quae tibi videtur sapientia et est magna stultitia, perduraveris, non tu iudices quaesiturus es ubi causam tuam purges, sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritatis accuses, Irenaeum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum ceterosque sacros et participes eorum, insuper et universam Christi ecclesiam, cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt" (cont. Iulian. l. 2. n. 37.). Item ibidem declarat, se pro fide sive sibi profitenda sive populo praedicanda velut, normam SS. Patrum doctrinam sibi proposuisse: „Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod praedicant, praedico".

Item *S. Cyrillus A.* declarat, SS. Patres tamquam fidei **15.** normam sequendos esse: „Mens humana, licet nonnunquam propter amorem sui a recta via egrediatur, et a veris dogmatibus discedat, ferme semper gravatur et formidat suas cogitationes absurditatis damnare, sed tamen seipsam facile corriget, si labores scrutata fuerit SS. Patrum, qui ab omnibus de rectitudine et certitudine dogmatum celebrantur. Tum suam recte fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor est illorum sententias sequi contendunt, quia et ipsi, evangelica et apostolica traditione mentem, cum implevissent, et ex sacris scripturis sermonem fidei recte et citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria, sermonem vitae continentes, ut scriptum est" (Apol. in anathem. 8.). Similiter *Cassianus*: „Sufficere solus nunc ad confutandam haeresim deberet consensus omnium, quia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas universorum et perfecta ratio facta ubi nemo dissentit. Ita, ut qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam audienda sit assertio quam damnanda perversitas: quia praeiudicium secum damnationis exhibuit, qui iudicium universitatis impugnat; et audientiae locum non habet, qui a cunctis statuta convellit" (De incarn. l. 1. c. 6.). Pariter *Leontius Byzantinus*: „Post apostolos et prophetas Deus in ecclesia doctores posuit secundum providentiam Spiritus Sancti

incomprehensam in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi. Quare qui Patres illos non recipit, qui in ecclesia clari et celebres sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit" (cont. Nestor. l. 1.).

16. Denique antiquitatis fidem hac in re clarissime expressit *Vincentius Lirinensis*: „Cum primum mali cuiusque erroris putredo erumpere coeperit, statim interpretando canoni maiorum sententiae congregandae sunt, quibus illud quodcunque exsurget novitium ideoque profanum et absque ulla ambage prodatur et sine ulla retractatione damnetur. Sed eorum dumtaxat Patrum sententiae congregandae sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, veluti quodam sibi consentiente magistrorum consilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid vero, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis confessor et martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas a communis et generalis et publicae sententiae auctoritate secretum sit" (Commonit. c. 28.). Et ibidem paulo inferius pergit: „Hos ergo in ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum." Iterum inferius, ubi quae tractaverat, breviter resumit idem studiose inculcat: „Diximus in ipsa ecclesiae vetustate duo quaedam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhaerere deberent, quicunque haeretici esse nollent: primum, si quid esset antiquitus ab omnibus ecclesiae catholicae sacerdotibus universalis concilii auctoritate decretum; si qua nova exsurgeret quaestio, ubi id minime reperiatur, recurrendum ad SS. Patrum sententias, eorum dumtaxat, qui suis quisque temporibus et locis in unitate fidei permanentes, magistri probabiles exstiterunt, et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id ecclesiae verum atque catholicum

absque ullo scrupulo iudicaretur" (c. 29). Denique concludit: „Necesse est profecto omnibus deinceps catholicis, qui sese ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut sanctae sanctorum Patrum fidei inhaereant, agglutinentur, immoriantur, profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur" (c. 33.).

17. ***3. Ex relatione SS. Patrum ad magisterium authenticum.*** In duplici relatione versus magisterium authenticum SS. Patres inveniuntur atque ex unaquaque argumentum infallibilis eorundem in consensu spectatorum auctoritas derivatur.

1) Et imprimis SS. Patres etiam collective sumpti ipsum quidem magisterium authenticum ecclesiae, cui infallibilitas tamquam primario praedicationis apostolicae organo convenit, non constituebant. Ratio est *primo*, quia plures eorum, ut S. Hieronymus et S. Ioannes Damascenus non episcopi, sed simplices sacerdotes erant; *secundo* qui inter eos episcopi erant sua tamen aetate nonnisi minima pars totius corporis episcoporum erant; quare sub hoc respectu infallibilitas nulla ipsis conveniebat. Quamvis igitur SS. Patres primarium et proprium magisterii ecclesiastici organum non essent, *secundarium tamen eiusdem organum erant et sub hoc respectu infallibilitatem primarii participarunt.* Etenim organum erant et quasi os, quo corpus episcoporum cum Romano Pontifice capite doctrinam revelatam communicabat, transmittebat, defendebat, explicabat, evolvebat. Revera tum a simplicibus fidelibus tum ab episcopis tamquam duces, antesignani, magistri considerabantur, quos tota ecclesia securo pede sequi posset. Iamvero SS. Patrum sic spectatorum saltem in consensu positorum doctrina infallibiliter vera est. Ratio est *primo*, quia talis eorum doctrina necessario ipsius magisterii authentici approbationem habet; secus enim vi officii et praerogativae infallibilitatis sibi collatae eam vel saltem consensum in eadem infallibiliter impedivisset. *Praeterea*, si eiusmodi consentiens SS. Patrum doctrina fallax esse posset, per eosdem, utpote quos tamquam magistros et duces tum clerus tum populus fidelis sequebatur, tota ecclesia in errorem inducta

esset, quod cum infallibilitate ecclesiae a suo fundatore Christo promissa repugnat. Ergo SS. Patres in consensu spectati, sicut organum sunt subiecti magisterii authentici et mediate vel secundario ipsius traditionis, ita mediate et secundario, quamvis necessario, omnino eiusdem infallibilitatem participant.

18. 2) Secundo alio modo SS. Patres considerari possunt, ut referuntur non quidem ad magisterium authenticum ipsis coaevum, sed ad magisterium aetatum ipsis subsequentium. Qua relatione considerata *eorum doctrina consentiens ab ipso magisterio authentico vivo tamquam fons consideratur et adhibetur, ex quo doctrina fidei integra et illibata hauriatur.* Ergo reipsa SS. Patrum consentiens doctrina purum et sincerum doctrinae fidei fontem constituit: secus enim ipsum magisterium authenticum et cum ipso tota ecclesia in errorem contra fidem necessario induceretur, quod cum certis et claris Christi promissionibus pugnat. Ergo conspirans SS. Patrum in quaestionibus fidei doctrina certum et infallibile veritatis criterium est.

19. ***4. Confirmatur ex egregiis, quibus SS. Patres eminebant, animi dotibus.*** — Priora argumenta non leviter confirmari possunt considerata auctoritate, quae SS. Patribus abstractione facta ab omni externa approbatione et solis egregiis eorum dotibus consideratis conveniebat. Etenim viri erant plerique ingenio insignes, sanctimonia et pietate praestantes, toto animo in studium revelatae doctrinae incumbentes, amore fidei integrae et illibatae conservandae ardentes ita, ut ad ipsam defendendam gravissimas molestias et vel ipsam mortem perferre parati essent. Quae cum ita sint, iam rem mere philosophice considerando, impossibile apparet, ut omnes simul Patres in eundem contra fidem errorem convenirent. Ergo.

20. 1) *Et primo quidem id impossibile fuisse apparet, si Patres ut meri testes traditionis considerantur.* — Etenim generatim testimonium consentiens virorum plurium, doctorum gravium, veritatis studiosorum fallax esse nequit, praesertim si veritas difficilis inventu non est et debita intelligentia in

ea determinanda adhibeatur; nisi enim hoc concedatur, nulla iam certitudo historica possibilis manet. Iamvero omnes illae condiciones in Patribus, ut testes traditionis sunt, eminenti gradu verificatae exstabant. Quod cum de ceteris conditionibus iam manifestum sit, ad summum dubium videri possit de facili veritatis inventione; verum immerito: nam de veritatibus hic agitur, relate ad quas Patres testium munere functi sunt: eiusmodi autem veritates mediocri diligentia adhibita facile inveniri poterant, utpote quae in expressa ecclesiae professione continebantur. Ergo SS. Patrum, ut testes traditionis sunt, conspirans testimonium nequaquam fallax esse potest.

2) *Idem dicendum est de consentiente Patrum doctrina,* **21.** *si tamquam doctores considerantur.* — Etenim SS. Patres ut doctores spectati doctrinam revelatam demonstrabant, explicabant, evolvebant; in hoc vero negotio, ut erant docti, graves, pii, veritatis studiosi, ecclesiae addicti et intellectum catholicum studiose sectantes, tum valde apti erant ad veritatem inveniendam tum cauti in sententia aliqua definitive pronuntianda. Quibus consideratis impossibile fuisse apparet, ut in communem errorem circa fidem convenirent. Etenim id vel ex defectu ingenii vel ex praecipiti procedendi ratione provenisset: eiusmodi autem deficientia spectata indole SS. Patrum a consentienti definitivo eorundem iudicio satis exclusa esse videtur; sed admissa etiam tali deficientia, impossibile certe erat, ut iidem Patres omnes eodem prorsus modo deficerent; ut enim erant ingenio, indole, regione, tempore diversi, necessario diverso modo deficiebant et sic non in eundem errorem deficere poterant, sed necessario in diversos errores incidissent. Et hoc apertum apparet, si consideratur dissensio Patrum in quaestionibus fidei minus liquidis et in diversas partes disputabilibus. Ergo a conspirante SS. Patrum doctrina error exclusus est.

Corollarium.

1. Par auctoritas tribuenda est conspirationi **22.** ***Patrum numero plurium, doctrinae et famae***

celebritate insignium, qui diversis aetatibus diversisque locis inclaruerunt; imo aliquando paucorum Patrum consensui vel etiam unius iudicio, quando scilicet ex variis adiunctis communem ecclesiae fidem referre intelliguntur. — Propositio plures assertiones continet, quae singillatim exponendae et probandae sunt. Itaque:

1) *Standum est conspirationi Patrum numero plurium, doctrinae et famae celebritate insignium, qui diversis aetatibus diversisque locis inclaruerunt.* — Haec assertio valet, sive iidem Patres ut testes sive ut doctores spectantur; atque tum ex auctoritate tum ex natura rei demonstratur.

23. a) Imprimis *ex usu ipsorum conciliorum* vindicatur. Haec enim ad comprobandam et explicandam fidem non necesse iudicarunt, ut omnes et singuli Patres consulerentur, sed eorum consensum sufficere censuerunt, qui in assertione statuta notati et definiti sunt. Cuius rei exemplum praebet *concilium ephesinum I.* duodecim solum Patres in medium adducens: de quo concilio apposite ad rem iam *Vincentius Lirinensis* hunc in modum disserit: „Exemplum adhibuimus sancti concilii, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est viris clarissimis Basso Antiochoque consulibus. Ubi, cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiae Ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret: ut scilicet rite atque sollemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanae novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoque impius ille Nestorius catholicae vetustati contrarius, beatus vero Cyrillus sacrosanctae antiquitati consentaneus iudicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, etiam nomina et numerum — licet ordinem fuissemus obliti — edidimus eorum Patrum,

iuxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam et legis sacrae proloquia exposita sunt, et divini dogmatis regula constabilita est, quos ad confirmandam memoriam hic quoque recensere nequaquam superfluum est.

Sunt ergo hi viri, quorum in illo concilio vel tamquam **24.**
iudicum vel tamquam testium scripta recitata sunt: sanctus Petrus, Alexandrinus episcopus, doctor praestantissimus et martyr beatissimus; sanctus Athanasius, eiusdem civitatis antistes, magister fidelissimus et confessor eminentissimus; sanctus Theophilus, eiusdem item urbis episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus, cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam illustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provinciae doctrina haec putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociae lumina: sanctus Gregorius, episcopus et confessor de Nazianzo; sanctus Basilius, Caesareae Cappadocum episcopus et confessor; sanctus item alter Gregorius, Nyssenus episcopus, fidei conversationis integritatis et sapientiae merito fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Graecia aut oriens tantum, verum etiam occidentalis et latinus orbis ita semper sensisse adprobaretur, lectae sunt quoque ibi quaedam ad quosdam epistolae sancti Felicis martyris et sancti Iulii, urbis Romae episcoporum. Et ut non solum caput orbis, verum etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie Cyprianus, episcopus Carthaginiensis et martyr, a septentrione sanctus Ambrosius, Mediolanensis episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri consiliarii, testes, iudicesque producti, quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens iudicio, absque taedio praesumptione et gratia de fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit, quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat et decem illos non aliud fere sensisse, quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat" (Commonitorium, cc. 29. 30.).

Eadem ratione, qua concilium Ephesinum, etiam alia con- **25.**
cilia procedunt, ut *chalcedonense, constantinopolitanum III.*,

constantinopolitanum IV.: etenim et ipsa SS. Patrum auctoritatem urgentes non omnes, sed plures insignes et quidem ad diversas regiones et diversa tempora spectantes adducendos esse iudicarunt.

26. *b*) Non aliter *ipsi SS. Patres* egerunt. Exemplo sit *Augustinus*, qui dogma peccati originalis contra Iulianum vindicans undecim Patres allegat atque ex eorum consentientibus testimoniis sufficienter constare declarat, Pelagianam haeresin cum antiqua ecclesiae fide pugnare: „Non quidem omnium de hac re sententias nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, et necesse esse non arbitror, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere et cedere, si ullus in iis Dei timor vel hominum pudor tantum malum pervicaciae superavit." (C. Iulian l. 1. c. 1. n. 3.). Deinde recensitis illis Patribus fidei in peccatum originale testibus, eorundem auctoritatem urget, quatenus insignes doctores sint necnon ad diversas regiones diversasque ecclesiae aetates pertineant: „Tantumne possunt apud te Pelagius et Coelestius, ut a solis ortu usque ad occasum tot ac tantos fidei catholicae doctores et defensores antiquos et nostrae aetati contiguos, dormientes et manentes, non solum deserere, verum etiam audeas manichaeos appellare? Miror, si hoc aliquando ex tuo poterit ore procedere, quod te tamen clamare pravitas tui compellit erroris" (Ib. c. 5. n. 20.).

27. *c*) Idem *ex natura rei* quoque constat. Nimirum impossibile apparet, ut Patres plures, doctrina et sanctitate insignes, diversis locis diversisque aetatibus florentes definita et aperta sententia in eundem communem errorem circa aliquod dogma vel eius intellectum catholicum convenerint. Eiusmodi enim error neque cum doctrina insigni eorundem Patrum, neque cum ardenti studio, quo in integritatem catholicae fidei servandam ferebantur, ullo modo conciliari potest: neque unquam sufficientem rationem talis erroris in Patribus regione et aetate diversis exstare potuisse apparet. Certo autem certius ex aliis Patribus et imprimis ex magistris authenticis contra talem plurium auctoritate eminentium Patrum errorem, si

quando accidisset, contradictores exstitissent. Id enim necessarium fuisset, sive spectatur generatim novitatis et haereticae pravitatis horror, qui in antiquitate vigebat, sive in specie consideratur obligatio et studium magistrorum authenticorum integre depositum fidei conservandi et assistentia divina, qua in hoc munere reguntur. Quando igitur Patres notatis characteribus insigniti consentienti suffragio doctrinam aliquam tamquam ad fidem catholicam pertinentem proponunt, eorum auctoritas, maxime si nulla ex parte aliorum Patrum vel ipsius magisterii authentici reclamatio fiat, prorsus irrefragabilis est.

28. 2) *Paucorum quoque Patrum consentienti doctrinae, imo vel unius suffragio certis in adiunctis irrefragabilis auctoritas convenire potest.* — Duplex casus, quo haec assertio valeat, pro diversis adiunctis discerni posse videtur. *Primus est*, quando haec adiuncta coniuncta inveniuntur: quod *primo* pauci illi vel unus doctrinae et sanctitatis fama maxime eminebant, adeoque magna eorum laus in vita et post mortem in ecclesia erat; *secundo* doctrinam aliquam tamquam ad catholicam fidem pertinentem aperta et definita sententia asseruerunt; *tertio* huius eorum assertionis notitia longe lateque in ecclesia diffusa fuit; *quarto* neque tamen contradictores invenit. *Alter vero casus* in his adiunctis unitis invenitur: quando *primo* pauci Patres, vel unus in defensione catholicae fidei contra haereticos duces et antesignani erant et agnoscebantur; et *secundo* in eiusmodi cum haereticis controversia non quidem incidentem aliquam quaestionem tamquam privati doctores tractant, sed praecise tamquam duces catholicorum aliquam doctrinam spectante atque laudante ecclesia asserunt. Qua ratione indubitanter ut catholica habenda est doctrina, quam ut talem asseruerunt contra arianos Athanasius, Basilius, Hilarius; contra nestorianos Cyrillus A., Leo M. Sophronius; contra pelagianos Augustinus, Prosper, Fulgentius aliique contra alios. Iam his explicatis ratio assertionis facilis et aperta est.

29. *a*) Et primo quidem id *ex natura rei* intelligitur. Nam Patres in adiunctis exhibitis spectati non ut privati doctores

considerandi sunt, sed tamquam publici ecclesiae doctores vel testes, sive tamquam os vel organum ecclesiae docentis sive magisterii authentici egerunt. Ergo in iisdem casibus irrefragabilis eorum est auctoritas tamquam praeconum catholicae veritatis.

30. *b*) Eadem secundo *ipsorum Patrum persuasio* fuit, utpote qui ad demonstrandum, aliquam doctrinam ad catholicam fidem pertinere, testimonia paucorum Patrum sanctitate et doctrina eminentium vel aliquando unius sufficere aestimaverunt. Ita v. g. S. Augustinus in diversis locis. Imprimis huc quoque spectat testimonium ex opere cont. Iulian. supra (n. ?6.) relatum. Deinde ibidem paulo inferius sex solum Patribus adductis videlicet Irenaeo, Iustino, Reticio, Olympio, Hilario et Ambrosio, ex eorum consentienti suffragio de totius ecclesiae fide constare declarat (l. 1. n. 5—12.). Iterum ibidem inferius (l. 2. initio) ad Iuliani demonstrationem refutandam nonnisi quatuor Patres adducit, videlicet Cyprianum, Hilarium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium. Imo aliquando Augustinus duorum Patrum vel unius auctoritatem urget eamque sufficere censet: „An tibi parva in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc, nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent. Sed si vis, addimus huic et Sanctum Basilium . . . Quid hinc plura? Vide iam, utrum sufficiant tibi ex orientis partibus duo isti tam insignes viri et tam clara praediti sanctitate" (ib. n. 5.). Alibi unum Cyprianum contra Pelagianos adducit et urget: „Beatissimum, corona etiam martyrii gloriosissimum Cyprianum, nec Africanis atque occidentalibus tantum, verum et orientalibus ecclesiis, fama praedicante et scripta eius longe lateque diffundente notissimum, etiam ipse haeresiarches istorum Pelagius cum debito certe honore commemorat, ubi testimoniorum librum scribens, eum se asserit imitari, hoc se dicens facere ad Romanum, quod ille fecerat ad Quirinum. Videamus ergo, quid de originali peccato, quod per unum hominem intravit

in mundum, senserit Cyprianus" (Cont. duas epist. Pelag. l. 4. c. 8.).

Pari ratione alii Patres procedunt, ut v. g. *Cyrillus* **31.** *Alexandrinus*, qui fidem in unam Christi personam vindicans nonnisi quinque Patres appellat: Athanasium, Theophilum Alexandrinum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Atticum.

c) Denique eadem sententia vel *in ipsis cónciliis* a theologis magni nominis defensa est. Ita *Georgius Scolarius* in concilio Florentino Graecos admonuit, ut Latinis cederent, utpote qui sex Patres adduxerint Spiritus Sancti ex filio processionem docentes. Et *Bessarion* in eodem concilio declaravit, auctoritatem solorum Cyrilli A. et Epiphanii, utpote qui doctrina et sanctitate eximii fuerint, omnibus sufficere debere, ut quaestio dirempta ésse censeatur.

Nota: Quod extensionem obiecti attinet, circa quod Patrum auctoritas versatur, eaedem regulae valent, quae supra (th. 4. n. 14. ss.) de episcoporum consensu notatae sunt.

2. SS. Patres sive primo ut doctores privati procedunt sive secundo generatim singuli, exceptis casibus supra definitis, extra consensum spectantur infallibilem auctoritatem non habent; verum tertio etiam sententia alicuius singularis Patris per se probabile argumentum praebet, nisi aliunde graves rationes opponantur. **32.** — Haec propositio, ut ex ipsa enuntiatione patet et declarationibus praemissis intelligitur, tres distinctas partes habet: verumtamen prima et secunda simul per modum unius demonstrantur.

1) *Patres ut privati doctores sunt vel si extra consensum spectantur, irrefragabilem auctoritatem non habent.* — Rationes assertionis manifestae sunt.

a) Praerogativa infallibilitatis in rebus fidei et morum **33.** nonnisi magisterio authentico, i. e. Romano Pontifici et episcoporum corpori cum ipso unito promissa est et convenit; iamvero SS. Patres, ut sunt privati doctores vel si extra con-

sensum singuli spectantur *neque magisterium authenticum constituunt, neque cum eodem necessario semper et in omnibus consentiunt*, utpote qui a fallibilitate hominibus communi nequaquam privilegio divinitus dato exempti erant.

Neque contra dici potest, SS. Patres quamvis fallibiles reipsa tamen non errasse, utpote quorum scripta tantam ecclesiae laudem et approbationem tulerint. Nam haec ecclesiae laus et approbatio eam vim vel significationem non habet; secus enim, cum SS. Patres in pluribus dissentiant et sibi contradicant, dicendum esset ecclesiam contradictoria tamquam vera approbasse, quod manifeste absurdum est.

34. b) Idem inde patet, quod aliqui Patres in nonnullis quaestionibus ad fidem pertinentibus *reipsa erraverunt*. Sic v. g. Iustinus, Irenaeus aliique erraverunt docentes, Christum ante ultimum iudicium cum iustis redivivis per mille annos his in terris regnaturum esse; erravit Cyprianus asserens baptismum ab haereticis collatum invalidum esse; erraverunt Ambrosius aliique opinantes angelos corporeos esse; denique erraverunt Augustinus et Fulgentius sentientes catholicae fidei dogma esse, infantes sine baptismo morientes aeternis cruciatibus addici; aliique aliter erraverunt.

35. c) Ex ipsa quoque *Patrum confessione* idem constat. Etenim in casibus, de quibus agitur, non solum unusquisque sibi, quod aliquando saltem ex prudentia eorum explicari possit, sed ceteris quoque irrefragabilem auctoritatem denegant. Ita v. g. *Hieronymus*: „Scio, me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, hos in quibusdam ut homines errare" (Ep. 62. ad Theophilum Alexandrinum.). Nominatim *S. Augustinus* praeclare distinguit inter Patres ut privati doctores sunt et extra consensum spectantur, et eosdem, ut in consensu tamquam testes traditionis et doctores publici considerantur: „Haec non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur: sed ut appareat, ab initio usque ad praesens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud ecclesiae fidem tanta constantia custo-

ditum, ut ab iis, qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tractaretur" (De peccatorum meritis et remissione, l. 3. n. 14.). Deinde de sua ipsius doctrina sic iudicat: „Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo scripsisse, quandoquidem arrogantius loquar quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi in ista aetate venisse" (De bono perseverantiae n. 55.). Et de aliorum quorumlibet scriptis sic censet: „Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quae illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte inveniremus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum" (Ep. 3. ad Fortunianum.). Et alibi: „Ego fateor caritati tuae, solis iis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam . . . Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt" (Ep. 19. ad Hieronymum.). Et iterum alibi sic declarat: „In opusculis autem posterorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo sacratissimae scripturarum canonicarum excellentiae consequantur, etiam in quibuscunque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est dispar auctoritas. Itaque in eis, si quae forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt, intelligantur, tamen liberum habet lector auditorque iudicium, quo vel approbet, quod placuerit vel improbet, quod offenderit. Et ideo cuncta huiusmodi

nisi vel certa ratione vel ex illa canonica auctoritate defendantur, si cui displicuerit aut credere noluerit, non reprehenditur" (Cont. Faust. l. 10. c. 5. cf. *Ambrosius*, ep. 46. n. 2.).

36. d) Denique assertionem sua auctoritate confirmavit *ipsum magisterium authenticum*. Etenim v. g. *Coelestinus I.* in epistola (21.) ad episcopos Galliae de erroribus Semipelagianorum (a. 431.) magni quidem facit et commendat S. Augustini auctoritatem: „Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur" (c. 2. D. n. 86.): nihilominus simul non obscure significat, minime omnibus S. Augustini sententiis subscribendum esse: „Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas apostolicae sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit praefixis esse contrarium" (c. 13. D. n. 97.). Pariter *Alexander VIII.* absurdam hanc Iansenianorum assertionem proscripsit: „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam" (Prop. 30. inter damnatas d. 7. Dec. 1690. D. n. 1187.).

37. *Notandum* hoc loco est, *Cardinalem Franzelin* aliosque theologos contendere errorem nullum ullius Patris supponi vel admitti posse „in iis fundamentalibus doctrinis revelatis, quae omnibus explicite semper cognoscendae et credendae erant, atque ideo in publica professione et symbolo fidei continebantur"; nec posse „admitti in quibusvis aliis revelatis doctrinis post sollemnem et publicam definitionem." Eiusmodi enim etiam singulorum Patrum errorem in quaestionibus ip-

sorum iam aetate ita eliquatis non „posse componi cum principiis, quibus regebantur et cum auctoritate, qua semper eminebant in ecclesia“ (pp. 185. 186.). — Verum difficile fuerit, hanc sententiam sustinere. Quamvis enim nonnisi admodum caute et gravate talis error alicui Patri atque multo minus pluribus adscribi possit, nihilominus sententia quemlibet Patrem ab omni eiusmodi errore liberans cum ipsa historia pugnare videtur; etenim vix non ab omnibus iam conceditur et indubium esse videtur, a Gregorio Nysseno universalem omnium damnatorum quoque apocatastasin propugnatam esse, cum tamen dubitari non possit, oppositam doctrinam etiam illa aetate in communi et expressa fide catholica contentam fuisse. (Cf. *Bardenhewer*, Patrologie[2], p. 264 ss.). Forte etiam alia exempla eiusmodi erroris in singulari aliquo Patre inveniri possint, si diligentior inquisitio instituatur. Neque per approbationem ecclesiae eiusmodi error excluditur: etenim tam expressa doctrinae singularis cuiusvis Patris approbatio non exstat; vel si exstet, generatim doctrinam sanam et catholicam esse dicit, non vero unamquamque assertionem ab errrore vel etiam ab haeresi liberam esse declarat.

3) *Dicendum esse videtur, sententiam alicuius singularis Patris in fidei quaestionibus argumentum probabile exhibere.* — Assertio ex duplici ratione manifesta esse videtur:

a) Et primo quidem *ex auctoritate Patrum in se* **38.** *spectata* consequitur. Etenim plerique Patres episcopi ideoque testes et doctores authentici erant: scientia, eruditione, sanctitate eminebant; singulari fidei atque veritatis catholicae amore excellebant: vetustate ad initia christianae religionis accedunt atque cum Apostolis proprius cohaerent; denique semper considerati sunt in ecclesia tamquam viri speciali Dei providentia electi atque doctrinae et sanctitatis charismatibus instructi ad defensionem, explicationem, illustrationem doctrinae revelatae. Apposite *Augustinus*: „Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bono iudici tribuisti, non potes in-

venire, quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat . . . Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisve ministraverunt, quam contra inimicos, etiam vos, tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime et fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos sancta ecclesia plantatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit" (Cont. Iulian. l. 1. c. 7. n. 30. 31.) Iamvero cum SS. Patres viri sint istis dotibus insigniti, etiam singularis alicuius Patris iudicium pro aliqua doctrina interpositum eidem aliquam auctoritatem non conciliare non potest, siquidem aliunde graviores rationes non opponantur.

39. b) Idem etiam *ex approbatione ecclesiae* intelligitur, praesertim si haec fuerit expressa vel sollemnior, qualis doctoribus ecclesiae impertita est. Eiusmodi approbatione quidem non singulae sententiae confirmatae sunt, sed generatim doctrina ut sana et catholica declarata et commendata est. Quae cum ita sint etiam singulis sententiis aliqua auctoritas accrescit ita, ut comparative prae aliis, pro quibus talis auctoritas interposita non est, probabiliores habendae sint, quamdiu in ceteris paritas sit et graves rationes non opponantur. Ergo.

40. *Confirmatur S. Thomae* auctoritate, utpote qui haec habet: „Utitur (sc. theologia) auctoritatibus doctorum ecclesiae quasi arguendo ex propriis sed probabiliter" (S. th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.).

Scholion.

41. ***1. De apparenti vel reali Patrum dissensione.*** — SS. Patres nonnunquam ab invicem dissentire potuisse et

reipsa dissensisse, eo ipso iam manifestum est, quod ut privati doctores vel singillatim spectati fallibiles erant et reipsa aliqui erraverunt. Verum quod eiusmodi dissensiones attinet, valde caute procedendum est, ne dissensio statuatur, ubi reipsa nulla est, vel dissensio reipsa exstans falso diiudicetur: quare in hunc finem opportunum erit, quaedam principia adnotare, quae sedulo hac in re observanda sunt:

1) *Dissensio inter omnes Patres unius et omnes alterius aetatis esse nequit; sive oppositio inter consensum Patrum unius et consensum Patrum alterius aetatis nunquam vera, sed apparens tantum est.* — Ratio huius assertionis manifesta est: etenim consensus Patrum etiam unius aetatis supponit vel infert et arguit consentiens iudicium magisterii authentici eiusdem vel praecedentis aetatis, cum quo charisma veritatis infallibiliter coniunctum est: veritas autem una et eadem in aeternum manet. Ergo oppositio eiusmodi nunquam realis sed apparens tantum esse potest; videlicet aut oppositio non in re ipsa, sed in modo loquendi tantum habetur, aut vero consensus praecedentis aetatis apparens tantum est, quatenus non firma et rata persuasio omnium Patrum, sed solum opinio privata plus minus late patens inter aliquos Patres habetur.

Eadem firma antiquae ecclesiae persuasio fuit; etenim 42.
nunquam toleratum est, ut oppositio inter Patres unius et alterius aetatis statueretur. Sic v. g. cum Ariani saeculo 4. contendebant, aliam doctrinam de ss. trinitate ante concilium Nicaenum atque aliam et oppositam post idem concilium apud Patres universim spectatos viguisse, a doctoribus catholicis unanimiter reprehensi et confutati sunt. Imprimis *Athanasius* principium hac in re servandum urget et monet, si Patres consentientes erroris accusentur, omnem iam docendi auctoritatem ideoque totam fidei oeconomiam subversum iri: hinc declarat: „Non decet illos cum his committere, omnes enim Patres sunt; neque sanctum esset definire hos probe, illos male locutos: omnes quippe in Christo obdormierunt. . . . Neutros fas est culpare, omnes quippe res Christi curabant,

omnes studia sua convertebant adversus haereticos“ (De synod. n. 13. 14. 43. 45.).

43. 2) *Generatim in rebus maioris momenti dissensus inter Patres non est facile admittendus.* — Qui enim facile dissensiones inter Patres comminiscuntur, alieni sunt ab agendi ratione conciliorum et veterum scriptorum et doctissimorum quorumque theologorum; atque in hoc suo modo procedendi neque propriae Patrum rationi neque oeconomiae a Deo institutae debitam considerationem impendunt. Sane Concilia de Patrum consensione gloriari solent atque eos damnant, qui de Patrum consensione detrahunt et eos inter se committunt (cf. *conc. nicaen.* ap. Athanas., ep. ad Afros; *conc. constantinopolit. I.; ephesin.; chalcedon. etc.*). Regularem et ordinariam Patrum consensionem in concilio Florentino applaudentibus Patribus eiusdem pluribus rationibus egregie stabilivit et vindicavit *Bessarion*. Eadem ratione de Patribus senserunt veteres scriptores. Sic v. g. *Athanasius* Patres regulariter inter se non dissentire, sed consentire declarat (De synod.). Pariter *Theodoretus* nec temporum discrimen nec locorum diversitatem Patrum turbare consonantiam scribit, sed eos lyrae similes esse, quae multas quidem diversasque habeat chordas, concentum tamen unum (Dial. 3.). Et *Tarasius* in concilio Nicaeno II. plaudentibus omnibus dixit, Patres universos eiusdem exsistere spiritus et idem docere et praedicare omnes. Similiter doctissimi quique theologi sui muneris esse duxerunt, dissidia inter SS. Patres, quantum fieri potest, aptissime conciliare. De quo theologi munere egregie disputarunt *S. Thomas* in opusculo ad Urbanum IV.; *Bessarion* in oratione supra commemorata; *Georgius Scolarius* in oratione 1. et 3. item ad Patres Concilii Florentini habitis.

44. Et haec ratio agendi sola theologo catholico convenit, quia eadem sola propriae Patrum rationi eorumque auctoritati, qua in ecclesia fruuntur, respondere conspicitur. Hinc maxime ii, qui animum ab ecclesia catholica aversum habent et oeconomiam fidei demonstrandi et vindicandi subvertere satagunt, Patres inter se dissidere continuo iactarunt et iactant. Atque ita revera contigisse et vetus historia de

Arianis, Nestorianis, Eutychianis, Iconomachis et recentior de Protestantibus et Iansenistis aperte testatur.

3) *Dissensu Patrum reali exstante criteriis quibusdam vera traditionis doctrina discerni potest.* — Quamvis, ut dictum est, dissensus inter Patres facile et leviter admittendus non sit; nihilominus in quibusdam dissensum reipsa exstitisse negari nequit; neque igitur pro tali casu dissensus per artificiosas et violentas explicationes ad consensum redigendus est, sed potius inquiratur oportet, per quos veluti sinceros canales traditio divina ad nos usque defluxerit. — Hunc in finem vero quaedam principia vel criteria iuvant, quae breviter hic adnotanda sunt: **45.**

a) Dissentientibus Patrum sententiis inquirendum est, num ante dissensum consensus exstiterit; quod si ita est, in illo antecedenti consensu genuina traditio continetur ideoque ii, qui sua sententia a consensu illo praecedenti deflexerunt, a sententia traditionis deflexisse dicendi sunt.

b) Si dissentientium una pars rationibus internis vel aliis aliunde, quam ex traditione, petitis innitatur, dum altera secundum rei veritatem ad antiquam fidem vel consuetudinem provocat, manifesto constat ex parte horum, non vero illorum genuinam traditionem et veritatem inveniri. **46.**

c) Quando dissentientibus aliquibus continuo et satis universaliter reclamatum est, certo constat, ipsorum sententiam a traditione alienam fuisse.

d) Si sententia aliqua discors in dies decrevit et opposita paulatim universaliter praevaluit, exploratum est, in hac genuinam traditionem contineri.

e) Per se patet, dissensione iudicio authentico sublata dubitationem omnem deletam esse. Hinc illud notissimum S. Augustini: „Iam . . . de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error“ (Serm. 131. c. 10. n. 10.).

2. Regulae quaedam in enarrandis Patrum scriptis observandae. — Praeter principia iam antea notata quaedam regulae a theologis statutae sunt, quibus illa **47.**

vel magis explicantur vel supplentur. Potiores vero hic referre satis erit:

1) Regula prima. — Inprimis erga SS. Patres *pius et placidus voluntatis affectus cum reverentia et honore coniunctus servandus est.* Neque igitur inciviliter tractandi sunt, si qua in re titubasse inveniuntur. Considerandum enim est, quod *Facundus Hermianensis* pulchre et vere animadvertit, errores Patrum esse luminarium defectus, quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt. Singulare huius regulae observatae exemplum exhibet *Augustinus* de Cypriani errore circa haereticorum baptismum agens: sic enim benigne et reverenter simul de eo iudicat: „Et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet (concordi ecclesiae auctoritati), si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur . . . Profecto et uni verum dicenti et demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata; et fortasse factum est, sed nescimus" (De baptismo l. 2. c. 4.). „Cyprianus aut non sensit omnino, quod (vos Donatistae) eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit et perseverantissime tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: ‚*Caritas cooperit multitudinem peccatorum*'. Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerit emendandum, purgavit Pater falce passionis" (Ep. 93.).

48. 2) *Regula secunda.* — Cavendum est, *ne SS. Patres temere et sine cautissimo iudicio erroris notemus;* verum si quae in eorum scriptis ambigue dicta inveniamus, inquirendum imprimis est, num haec eorum ambigue dicta ex aliis eorum sententiis explicari vel excusari possint. Multo enim potius hoc tenendum, quam falsae aliquid opinionis ipsis adscribendum est. Quam regulam saepius sapienter urget *Facundus Hermianensis*: „Quemadmodum, inquit, calumniantium haereticorum est ex dubiis et obscuris, quae certa et mani-

festa sunt, male interpretari, ita solitum est prudentiae ac pietatis catholicae ex indubitatis atque evidentibus et firmare ambigua et latentia declarare, ideoque melius facimus, si virorum in pace ecclesiae mortem obeuntium scripta melius interpretemur" (De gratia l. 9.). Ceterum haec regula in quovis auctore sincere explicando, etsi non eodem gradu necessitatis, valere et adhibenda esse intelligitur.

3) Regula tertia. — Nefas est nimis premere certas **49.** *quasdam Patrum sententias*, quibus divina dogmata illustrarunt. Etenim, ut Theodoretus (adversus haereses) notat, SS. Patres *primo* dogmata contra haereticos defendentes quandoque aliquantum exaggerarunt vel modum excesserunt: videlicet sicut stirpium cultores plantam aliquam incurvam erigere volentes eam in alteram partem incurvant, ita SS. Patres aliquando partem aliquam doctrinae prae alia cum emphasi efferunt et urgent; qua ratione S. Augustinus v. g. necessitatem et operationem gratiae prae libertate contra Pelagianos extulit et celebravit. Eiusmodi igitur sententiae non nimis urgendae, sed moderate explicandae et imprimis cum aliis operibus et doctrinis eiusdem Patris comparandae sunt, ut intentus et rectus sensus intelligatur. — *Praeterea* SS. Patres saepe in unum intenti reliqua praetermittunt, aut obiter et levius et obscurius tractant, praesertim ea, de quibus nulla adhuc quaestio agitabatur. Iam in his obiter tractatis imprimis singulae sententiae urgendae non sunt: sed quae obscura, ambigua, minus recta inveniuntur, ex aliis locis, ubi ex professo magis tractantur, vel si eiusmodi loca non exstent, benigne saltem interpretanda sunt. Ex Patrum agendi ratione hic notata etiam consequitur, immerito et male saepe ex silentio Patrum argumenta peti. — *Denique* SS. Patres ante exortas haereses multo liberius loqui poterant et locuti sunt, quam postquam haeretici variis formulis loquendi ad errores suos stabiliendos et defendendos abusi sunt. Unde plura, quae v. g. ante exortum arianismum vel nestorianismum sine offensione dici poterant, post illas haereses exortas dicta merito offendunt et vituperantur. Priores igitur illae locutiones non premendae vel ad vivum resecandae, sed aeque

et benigne interpretandae sunt. Plures huc pertinent rationes loquendi aliquantum singulares, quae in singulis fere tractatibus dogmaticis explicari solent, ut v. g.: Filium Patri ministrare; unam esse naturam divinam, sicut una plurium hominum natura est; personas divinas mentis consideratione tantum discerni: unam esse naturam Verbi incarnatam; naturas in Christo item mentis tantum consideratione discerni; etc.

50. *4) Regula quarta. — Iudicium de sententia alicuius Patris non ex nudis vocabulis petendum est.* Ratio huius regulae manifesta est, quia non quavis aetate eaedem notiones iisdem vocabulis subiectae erant. De mutatione vel evolutione, quam sub hoc respectu termini technici praesertim subire solent, exempla praebent multa vocabula, ut v. g.: sacramentum, substantia, hypostasis, persona, subsistentia, aliaque plura (cf. De Verbo Incarnato th. 11. n. 38.). Quare ad sensum alicuius sententiae eruendum non in nudis vocabulis inhaerendum est, sed etiam considerari debet tum contextus, tum totus eiusdem Patris etiam in aliis operibus loquendi, procedendi, ratiocinandi modus, tum modus loquendi illi aetati proprius; sicut enim quivis scriptor propriam quidem et individuam indolem habet, ita etiam quaevis aetas quibusdam proprietatibus insignitur, a quibus scriptores independentes esse non solent. — Generatim quae regulae hermeneuticae in interpretandis ceteris scriptoribus valent, sane etiam applicari debent in Patribus interpretandis (cf. Wirceb. n. 218. ss.).

51. *5) Regula quinta. — Quo magis quis sana doctrina catholica imbutus est, eo securius Patrum doctrinam intelliget et explicabit.* Cum enim Patres doctrinae catholicae addictissimi essent et ex sua cum magisterio authentico connexione suam auctoritatem habeant, in luce praedicationis ecclesiasticae collocandi et considerandi sunt; atque doctrina catholica normam praebet veram et securam, secundum quam sententiae Patrum, quantum fieri potest, exigendae et interpretandae sunt. Hinc vero ulterius consequitur, egregium adminiculum ad Patrum doctrinam intelligendam esse solidam cognitionem theologiae scholasticae, utpote quae sub auspiciis

magisterii authentici doctrinam catholicam fidelissime expressit, evolvit, propugnavit; insuper accedit, quod eadem theologia scholastica ad doctrinam Patrum se habet tamquam arbor ad radicem, vel tamquam sol meridianus ad solem matutinum; utpote quae nihil aliud est, quam theologia patristica continuata, evoluta, in systema redacta ideoque ad scientificam magis et methodicam cognitionem accommodata. Quare qui subsidiis his doctrinae catholicae et theologiae scholasticae neglectis et propriis viribus nimis fidentes Patrum doctrinae student et vel plurium vel praesertim unius Patris doctrinam, quasi extra traditionis flumen positam, in se sola considerant et inquirunt, catholicorum interpretum auctoritate non curata, a recta via aberrare vix non possunt. Hac ratione maxime factum est, ut imprimis Augustinum, inter omnes Patres eminentem, diversi in diversum et oppositum et etiam haereticum sensum explicaverint. Hunc enim S. Doctorem non solum catholici scriptores hac aetate a sana doctrina ad temerarias et falsas novitates aberrantes, sed etiam haeretici cuiusvis fere aetatis, ut Lutherus et Calvinus, Baius et Iansenius, quamvis immerito et falso, patronum sibi et advocatum exhibuerunt. Quae cum ita sint, manifestum est, hanc ultimam regulam maximi prorsus momenti esse.

52. ***3. Difficultates quaedam expediuntur.*** — Contra infallibilitatem unanimis Patrum consensionis quasdam doctrinas opponunt, quas Patres antiquiores fere omnes professi sint, cum tamen falsae et deinceps iam ab omnibus doctoribus catholicis relictae sint. Imprimis unam veterum Patrum doctrinam obiiciunt:

Omnes fere Patres saeculorum 2. 3. et partim etiam 4. opinionem chiliasmi vel regni millenarii tenuerunt, ut Papias, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Methodius, Commodianus, Lactantius, Sulpitius Severus aliique; unde Hieronymus dicere potuit, hanc sententiam fuisse multorum veterum atque a plurima multitudine susceptam esse (In Ezech. c. 36.; in Isaiam l. 18.). Et quidem illi Patres eam opinionem etiam tamquam ad fidem pertinentem tenuerunt; quod ex tota procedendi ratione patet, quam in illa sen-

tentia declaranda et demonstranda adhibent. Nihilominus autem haec Patrum primorum saeculorum communis doctrina a Patribus subsequentibus tamquam falsa et periculosa reiecta est. Ergo. Accuratior huius rei inquisitio in tractatu de novissimis exhiberi solet: quare hic pauca quaedam adnotare satis est, ex quibus patet, illam veterum Patrum opinionem nequaquam indolem unanimis illius consensionis prae se ferre, cui supra irrefragabilis auctoritas vindicata est:

53. 1) Secundum chiliasmi opinionem a veteribus illis Patribus defensam ante resurrectionem reproborum, quae in die ultimi iudicii continget, resurrectio solorum iustorum futura est; inter utramque vero hanc resurrectionem interpositum est regnum Christi millenarium et terrenum, quo super iustos resuscitatos in urbe Hierosolymitana restaurata regnaturus est. Hic chiliasmus, quamvis improbabilis et etiam falsus, aperte haereticus tamen non est, eumque recentiore quoque aetate aliqui catholici defenderunt. *Ab hoc chiliasmo discernendus est alter haereticus*, qui insuper addit, tempore illius regni millenarii in templo Hierosolymitano ritum iudaicum restaurandum, circumcisionem iterum celebrandam, voluptates carnales sectandas esse, necnon alia absurda plura; quem chiliasmum antiqui haeretici iudaizantes defenderunt.

54. 2) Veteres Patres *consensu unanimi chiliasmum non tenuerunt* neque igitur unquam in communi ecclesiae fide fuit. Etenim *primo* ea opinio solum in Asia minori communiter recepta esse videtur; qui enim eam defenderunt Patres vel scriptores alicuius auctoritatis, ut Papias, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, vel in Asia minori degerunt et scripserunt, vel inde progressi sunt, vel cum christianis aut haereticis ibi degentibus connexionem habuerunt. *Praeterea* alii eiusdem antiquitatis Patres vel scriptores omnem chiliasmum, non solum haereticum illum et impurum, sed mitigatum quoque aperte reiecerunt, ut Caius presbyter (ap. Eusebium, H. E. l. 3. c. 28.), Origines (de princip. l. 2. c. 2.), Dionysius Alex. (cf. Hieronymus, praef. in Isai. l. 18.). Tandem chiliasmum non fuisse communi fide receptum vel inde patet,

quod apocalypsis ab aliquibus ad libros apocryphos vel ideo relegabatur, quia in ea chiliasmus asseri putabatur.

3) Denique, quod maximi ponderis est, *Patres illi chi-* **55.**
liasmum nequaquam tamquam dogma catholicum propugnarunt, sed satis innuerunt, oppositam doctrinam integra permanente fide catholica teneri posse et a multis teneri. Ita *Iustinus* in Dialogo cum Tryphone Iudaeo: „Tibi et antea confessus sum me quidem et multos alios ita sentire, sicut etiam (vos Iudaei) omnino nostis hoc futurum esse; multos vero etiam christianorum, qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere tibi significavi" (c. 80.). Similiter *Irenaeus* locum Apocalypsis (c. 20.), in quo suam opinionem fundat, ab aliis allegorice exponi concedit, atque hoc omni modo refutare studet, neque tamen eosdem haeresis incusare audet (cont. haer. l. 5. c. 35.), unde etiam iam antea (c. 31) quosdam sibi adversari fatetur „ex his, qui putantur recte credidisse"; qua ratione sane non testem fidei catholicae nec publicum ecclesiae doctorem, sed privatum doctorem se agere clare significat.

Simili modo ceterae difficultates omnes ex quibusdam SS. Patrum doctrinis vel scripturae interpretationibus petitae satis commode solvuntur. Cf. *Franzelin*, th. 16.; *Desan*, n. 236. ss.; *Pesch* n. 585. ss.

Thesis 7. **Unanimis theologorum sententia de doctrina aliqua tamquam certo ad depositum fidei pertinente indubium divinae traditionis argumentum est.**

Declaratio.

Sensus thesis accuratius definitur. — Ne intel- **1.**
ligentia thesis impedita sit vel demonstratio eiusdem in ambiguo versetur, quaedam praenotanda sunt, quae tum intelligentiam thesis aperiunt tum demonstrationem commodam et claram reddunt.

1) Qua ratione unanimis theologorum consensio certum divinae traditionis argumentum esse dicatur. — Imprimis theologorum consensio non per se et insita auctoritate traditionem continet et sistit, cum non theologi vel unanimiter consentientes, sed magisterium authenticum sive episcoporum corpus cum Romano Pontifice capite unitum promissam sibi habeat assistentiam divinam ad depositum fidei conservandum, propagandum, explicandum: sed consensio theologorum certis in adiunctis spectata vel certis conditionibus impletis per se et proxime quidem magisterii authentici iudicium vel doctrinam manifestat, hac ipsa vero ratione mediate et indirecte ipsam traditionem divinam menti sistit. Aliis verbis: Theologi etiam in consensu spectati rationem organi traditionis primarii et essentialis nullo modo habent: verum ipsum organum traditionis primarium et essentiale, sc. magisterium authenticum iisdem tamquam mediis vel organis secundariis et subordinatis utitur ad doctrinam revelatam conservandam, transmittendam, explicandam; unde tota eorum auctoritas ex hac ipsorum ad magisterium authenticum relatione derivatur. Sub hoc ipso respectu autem essentialis differentia inter SS. Patres et theologos notanda est: Et *primo* quidem SS. Patres plerique vel fere omnes testes et doctores authentici erant, quamvis minimam eorum partem constituerent; theologi autem maximam partem doctores et testes authentici non erant. *Praeterea* SS. Patres omnes et singuli expressa vel aequivalente ecclesiae approbatione speciali insigniti sunt, dum nequaquam singuli theologi, sed paucissimi solum eiusmodi specialem approbationem tulerint. — Itaque uno verbo *theologorum consensio eatenus solum certum traditionis argumentum esse asseritur, quatenus cum ipso magisterii authentici iudicio necessario connexa est et sic divinam traditionem non immediate sed mediate menti sistit.*

2. 2) *Quinam nomine theologorum hic veniant.* — Theologorum nomine omnes illi theologiae magistri hoc loco veniunt, qui sub tutela, providentia et vigilantia magisterii authentici doctrinae revelatae docendae, explicandae, propugnandae operam

navarunt sive docendo in academiis et scholis suprema auctoritate ecclesiastica erectis vel saltem approbatis, sive opera theologica scribendo, quae vel expressam vel saltem tacitam et aequivalentem ecclesiae approbationem tulerunt. Maxime igitur et fere unice huc pertinent theologiae magistri a saeculo 12. ad saeculum 18. usque florentes. quippe quo tempore academiae theologicae non tantum de iure, sed de facto quoque plene sub regimine magisterii authentici erant; quare Romani Pontifices atque episcopi necnon academiarum rectores cum ipsis uniti facile et commode integritati doctrinae invigilare et theologos ad falsas et periculosas doctrinas propendentes vel declinantes coërcere poterant. Idem valere non videtur de recentioribus scholis theologicis atque theologiae magistris, cum illos potestas civilis ab auctoritate ecclesiae et intima cum ea coniunctione divellere saepe studeat, hi vero partim relictis genuinis principiis philosophicis necnon theologicis fidem cum falsis et perversis placitis recentiorum philosophorum et rationalistarum conciliare conati sunt, ut Günther, Hermes, Schell, Rosmini, Loisy aliique. Quidquid autem est de consensu modernorum theologorum, thesis statuitur et valet de unanimi theologorum scholasticorum consensu.

3) *Qualis esse debeat consensus subiective spectatus.* — **3.** Consensus theologorum, qui certum traditionis argumentum esse ponitur *primo unanimis vel stricte communis* esse debet, i. e. theologorum vel simpliciter vel moraliter omnium: late vel simpliciter communis non sufficit. Etenim *notandum est*, a posterioribus scholasticis imprimis moralistis eam quoque doctrinam dici communem late vel simpliciter vel sine adiecto, quae a multis probatis doctoribus recepta est; quae doctrina tali communi opposita est, item communis, imo magis communis esse potest. De hac conditione ita disserit *M. Canus*: „Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobavit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversum plurimos

stare. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere . . . Quo loco sane arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in schola acceperunt, praeiudiciis, viros alios catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere: sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi, temere ac leviter condemnare. Alia sunt scholae placita, de quibus mox dicturi sumus, alia sunt praecepta sectae, de quibus modo loquimur. Quae ab illis dissident, ea notam habent, quae ab his, non habent. Nec enim si quid aut Scoticis aut Thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illico est" (De hoc. theol. l. 8. c. 4.).

4. *Secundo* idem consensus debet esse *certus et assertivus*, sive requiritur, ut doctrina, quae obiectum est consensus, non opinative vel per modum hypothesis, sed sine ulla ambiguitate et dubitatione tamquam certa proponatur. Ratio aperta est, quia opinio, ut est opinio, quamvis multorum vel etiam omnium theologorum sit, nunquam est nec esse potest certum criterium veritatis vel traditionis.

5. *Tertio* denique merito illud quoque postulari videtur, ut consensus de quo agitur, *constans sit*, i. e. ut per longum tempus duraverit neve per subsequentem dissensum desierit. Ratio est, quia deficiente constantia etiam certitudo assensus deficere videtur. Nam consensus progressu temporis desinens rationem certae, ratae, firmae, securis nixae principiis sententiae non habet, sed potius opinio tantum est, quae argumentis et monumentis nondum plenius examinatis latius mentibus dominatur.

6. *4) Qualis consensus sit oportet spectato obiecto.* — Si obiectum consensus spectatur, is versari debet circa doctrinam tamquam ad fidem pertinentem sive fide catholica credendam. Porro theologi de tali doctrina consentiens suffragium ferentes ad instar testium esse intelliguntur, qui de praedicatione ecclesiastica sive sollemni sive ordinaria testimonium ferunt. Verum iidem theologi etiam ut doctores considerari possunt et considerandi sunt, quatenus dependenter quidem a

magisterio authentico et sub directione eiusdem, sed propria tamen inquisitione et studio humano doctrinam fidei explicant et evolvunt et conclusiones ex ea deducunt. Iamvero in demonstratione theologi directe saltem non sub hac doctorum, sed sub illa testium qualitate considerantur; quid vero de iisdem sub doctorum qualitate consideratorum tenendum sit, in corollario adiecto statuetur. Nihilominus, quae in demonstratione afferuntur, partim saltem theologos ut doctores quoque consideratos spectant.

7. ***2. Adversarii thesis.*** — Thesi praesenti, qua auctoritas scholae in sua luce ponitur, acriter adversantur, quotquot „Ultramontanismi" adversarii exstant. Imprimis haeretici et schismatici, ut Protestantes, Iansenistae aliique vehementissime semper in auctoritatem scholae invecti sunt. Iam parentes protestantium iniuriosis convitiis eam sugillarunt. „Signifer impietatis Germanicae *Lutherus*, Wicleffi in hoc ut in aliis discipulus, in libro quodem adversus Iacobum Latomum asserit, theologiam scholasticam esse nihil aliud, quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Colos senses Apostolus praecavet. In libro autem de abroganda missa privata, academias dicit esse Antichristi lupanaria. *Philippus Melanchton* vero in apologia contra Parisienses. Lutetiae natam esse ait profanam scholasticen, qua admissa evangelium obscuratum ac fides exstincta" (*Canus*, de locis theol. l. 8. c. 1.). Et alibi *Lutherus* scribit: „Ego simpliciter credo, quod impossibile sit ecclesiam reformari, nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, ut nunc habentur, eradicentur et alia studia instituantur" (*De Wette*, Luthers Briefe I, 108.). Et *Melanchton*: „Theologia scholastica nihil est nisi vana, ficta, ementita, damnata, diabolica cavillatio et monachorum somnium" (Der Bapstesel, Wittenberg, 1523, 3.).

8. Verum non solum haeretici, sed etiam catholici plures theologiam et philosophiam scholasticam multum impugnarunt et quidem catholici scholae adversarii aut viri sunt falsis systematibus philosophicis addicti, ut Traditionalistae et Ontologistae; aut semirationalistae in philosophiam Kantianam

propensi; aut criticae historiae sectatores: aut generatim liberales catholici vocantur et sunt: quorum multi scholae adversarii exsistunt, quia ‚Ultramontanismi' arx esse proclamatur, quin tamen ullam solidiorem eiusdem scholae notitiam sibi acquisiverint.

Demonstratio.

9. ***1. Probatur ex propria theologorum scholae ratione et indole.*** — Theologi scholae in triplici relatione inveniuntur et considerari possunt: *primo* in relatione ad magistros authenticos vel episcopos passiva. quatenus ab iisdem missionem docendi accipiebant et in scholis theologicis instituebantur, sub cura et vigilantia eorum docebant, denique non raro, quando necessitas id exigebat, ab iisdem etiam a sana doctrina aberrantes corrigebantur et coërcebantur. *Secundo* in relatione ad magistros authenticos activa inveniuntur. quatenus custodes fidei episcopi et ipsi Romani Pontifices et concilia academias et scholarum doctores in consilium de decidendis quaestionibus fidei vocabant: insuper vero etiam ex ipsis illis scholis episcopi et Romani Pontifices prodierunt vel in iisdem instructionem suam theologicam acceperunt: hinc communis scholarum et theologorum doctrina tamquam praeparatio ad authenticas dogmatum definitiones considerabatur. *Denique* in relatione activa ad clerum quoque et populum fidelem inveniuntur. quatenus sacerdotes maximam saltem partem in scholis theologicis instituebantur et secundum hanc institutionem et communem theologorum doctrinam ipsum populum fidelem quoque instruebant. Iam vero spectata hac triplici theologorum ratione manifesto impossibile esse apparet, ut theologi unanimi consensione in aliquam doctrinam tamquam fide tenendam conspirantes a veritate aberraverint. Ergo. Minor probatur.

10. Etenim posito tali communi theologorum errore dicendum esset *primo*, ipsum magisterium authenticum officio, quo puritati et integritati fidei invigilare adstringitur, graviter defuisse eo, quod errantes non coercuit et communem

errorem non correxit; talis autem ipsius magisterii authentici defectio tum assistentiae divinae ipsi promissae tum historiae eiusdem repugnat. *Secundo* dicendum esset, ipsos magistros authenticos incluso Romano Pontifice ab errore in fide liberos permanere non potuisse, quia et ipsi in authenticis suis iudiciis communem scholae doctrinam sectantur; eiusmodi autem a recta fide aberratio a magisterio authentico penitus exclusa est. Denique *tertio* dicendum esset, totum etiam clerum et populum fidelem adeoque totam ecclesiam in errorem inductam necnon fidei depositum corruptum esse; hoc autem cum ecclesiae infallibilitate pugnare, evidens est. Ergo.

Apposite *Melchior Canus*: „Si qua in quaestione uni- **11.**
versi theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim, qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt. Ita fit, ut ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. ‚Error enim, cui non resistitur, approbatur; et veritas, cum non defenditur, opprimitur,' ut *Innocentius* ait, dist. 93. c. error; atque Deus ipse, si theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro illo tempore ecclesiasticae doctrinae magistros accepit? An post haec omnia scholae theologia contemnenda est? Crederem, nisi eius auctoritate ecclesia res plurimas definisset. Quippe trecentos abhinc annos, si quas ecclesia haereses condemnavit, si quae de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum subsidio et diligentia vehementer adiuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est, doctores scholasticos simul omnes in fide et moribus errare non posse" (l. 8. c. 4.).

2. Ex dictis magisterii authentici decretis. **12.**
Huc imprimis pertinent litterae *Pii IX.* ad archiepiscopum Monacensem d. 21. dec. 1863. datae, in quibus tum genera-

tim auctoritatem scholae urget, tum expressis verbis doctrinam in hac thesi statutam inculcat: „Neque ignorabamus in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur ecclesia. Qua falsa opinione ipsius ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit . . . Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum et Romanorum Pontificum huiusque apostolicae sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur“ (D. n. 1532 ss.)

13. Huc etiam decreta pertinent, quibus alii SS. Pontifices theologiam scholae commendarunt et laudarunt: non enim ita agere potuissent, si theologi scholae unanimi consensu aliquem errorem tamquam dogma fidei proposuissent. Pauca quaedam documenta addidisse sufficiet. Itaque *Sixtus V.* in bulla, qua S. Bonaventuram ecclesiae doctorem creavit, sic declarat: „Haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, Nos summopere admonent, ut eandem theologiam, qua nihil ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. . . . Quanto igitur magis hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et hereditatem patrum nostrorum conservare et tueri et acer-

rimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.“ *Pius VI.* insectationem scholae per synodum Pistoriensem factam sic repellit et damnat: „Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat velut eam, quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum; quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt; falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis“ (Constit. auct. fid. prop. 76. D. n. 1439).

Denique *Leo XIII.* in encyclicis litteris: ‚*Aeterni Patris*‘ **14.** maximis laudibus theologiam scholasticam exornavit: „Mediae aetatis doctores, inquit, magnae molis opus agressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem.“ Deinde adductis Sixti V. verbis declarat, theologiam scholae ab uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et conciliorum fontibus dimanare adeoque maximum ecclesiae adiumentum afferre necnon catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessariam esse.

3. Confirmatur ex quibusdam aliis rationibus vel considerationibus. — **15.** Nimirum *primo* etiam rem mere naturaliter considerando non apparet, qua ratione omnes scholae theologi unanimi consensu in errorem contra fidem convenire potuerint. Etenim historia testante ex una parte, generatim saltem loquendo, studiose fontes theologicos inquisierunt iisque fideliter inhaeserunt; ex altera autem parte in quaestionibus non liquidis facile dissentiebant et controversias agebant; quare eiusmodi consensus ratio nonnisi in manifesta rei veritate invenitur. Huc igitur quoque *Tertulliani* verba spectant: „Nullus inter multos eventus unus est exitus; variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum,

sed traditum" (Praescr. c. 28.). — *Secundo* nulla unquam doctrina, quam scholae theologi unanimi consensu ad fidem pertinere iudicarunt, a fide dissonare inventa vel demonstrata est, e contra vero, qui scholae auctoritatem contempserunt, ab erroribus contra fidem liberi non manserunt. Apposite iterum *Melchior Canus:* „Nullum dogma reperietur, quod eadem mente oreque scholastici omnes certo ac firmiter asseruerint, quin idem in universum ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod invenire haeretici possunt, proferant, et tacebimus. Quod si nullum proferri potest, sine dubio, velint nolint, id quod scholae totius auctoritate firmatur, verum est, si ad fidem, ut dixi, moresque pertineat. Adde, quod nullum tam proprium scholae decretum est, quod vel ex sacris litteris, vel ex Apostolorum traditione, vel ex conciliorum et Pontificum definitionibus non habeat certam originem. Ita, qui scholae decreta refutarunt, hi semper inventi sunt et fontem, unde illa manant, repudiasse. Atque, ut uno verbo dicam, nemo, qui in catholicis habeatur, omnes sine discrimine theologos explosit. Quod abunde satis magnum argumentum est, sine fidei discrimine huiusmodi scholae placita negari non posse" (l. 8. c. 4.). „Nec enim minima scholae auctoritas esse potest, quam parvi facere nemo sine discrimine potest. Connexae quippe sunt ac fuere semper post natam scholam scholae contemptio et haeresum pestes" (Ib. c. 1.).

Corollarium.

16. Ad complendam doctrinam de auctoritate scholae principali assertioni in thesi positae assertio sequens addenda est:

Doctrina, quae in re stricte theologica universali et constanti consensu a theologis scholae tamquam certo vera asseritur, sine nota temeritatis et erroris relinqui non potest. — De ratione et veritate huius assertionis facile iam constabit his notationibus consideratis:

1) *Assertio posita a principali in thesi vindicata fere non differt nisi obiecto.* — Etenim illa prior doctrinam respicit assertam tamquam dogma fidei; haec vero doctrinam spectat assertam tamquam theologice certam; in illa theologi ut testes fidei, in hac magis ut doctores spectantur. Quare huc pertinent doctrinae, quibus fides declaratur, explicatur, evolvitur; sive doctrinae, quae a fide supponuntur vel ex ea deducuntur vel alio quovis nexu cum ea connectuntur. Hinc placita mere philosophica ab assertione exclusa sunt. — *Notandum vero est*, multas veritates per se philosophicas in tam arcta relatione cum veritatibus fidei inveniri, ut hae sine illis nec subsistere nec explicari possint; iam eiusmodi veritates metaphysicae non quidem in se universim, sed in sua ad veritates fidei relatione vere theologicae censeri debent; quales sunt v. g. notiones naturae et hypostasis in relatione ad mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, doctrina de accidentibus corporeis in relatione ad mysterium eucharisticum aliaeque. — Tamquam exemplum doctrinarum huc pertinentium adduci potest sententia asserens animae Christi ab initio suae exsistentiae visionem beatificam; de qua *Suarez*: „Quaeres qua certitudine haec doctrina tenenda sit. Aliqui existimant, simpliciter esse de fide. Sed non videtur, quia scripturae testimonia non sunt adeo expressa, quin aliis modis explicari possint; et nulla etiam exstat de hac re ecclesiae definitio; neque etiam traditio est satis aperta; nam licet theologi in hac veritate asserenda consentiant, non tamen illam affirmant ut dogma fidei, et fere eodem modo loquuntur SS. Patres; et ideo alii solum dicunt, esse opinionem ita veram, ut contrarium opinari temerarium sit. Et haec est censura mitissima omnium, quae dari potest; existimo enim contrariam sententiam erroneam“ (In 3. q. 9. disp. 25. s. 1.).

2) *Rationes assertionis indicantur.* — Pro praesenti **17.** assertione eaedem fere ac pro praecedenti rationes quidem militant, neque tamen eandem hic atque illic vim exerunt. Ratio est *primo*, quia obiectum, de quo in praesenti assertione agitur magis absconditum et difficile est, circa tale vero obiectum facilius error accidere potest; *secundo* error

theologorum circa obiectum cum fide solum connexum ipsam fidei integritatem non tanto discrimini exponit, quam error, qui directe circa dogma versatur. — Nihilominus etiam haec secunda assertio satis certa est. Neque igitur theologus catholicus a sententia communi et constanti theologorum consensu tamquam certo vera asserta recedere potest, quin notam temeritatis vel etiam erroris incurrat.

18. *Confirmatur* inde, quod ipsa ecclesia auctoritatem huius theologorum consensus urget. Quod patet *primo* ex hac *Melchioris Cani* consideratione: „In Clement. Unic. de summa Trinit., Patres concilii Viennens.: ‚Opinionem illam, inquiunt, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, fore a catholicis eligendam! Si ergo in re, quae olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controversa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud Patres in concilio fuit: quanto magis nos res omni tempore ab schola praescriptas tenere ac revereri debemus! Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communis fidem facit concilio, illudque inclinat, ut definiat, huismodi opinationem esse tenendam: quid si non ex opinione, sed ex certo et minime circumductili animo quidquam theologi omnes praefinierint! An non existimas, concilium Viennense pro eiusdem dogmatibus firmiter in schola receptis graviore censura iudicaturum! Scholae igitur communem consensum non nisi impudenter et temere reiiciemus" (L. 8. c. 4.). — Idem *secundo* etiam magis patet ex hac altera, quam *Pius IX.* in litteris ad archiepiscopum Monacensem 21. Dec. a. 1863. datis pronuntiat, sententia: „Cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis ecclesiae afferant utilitates, ideirco eiusdem conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a pontificiis congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae

communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones iisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram."

Scholion.

1. Difficultates quaedem solvuntur. — Contra **19.** doctrinam propositam recentiores quidam opponunt, theologos scholae, praesertim medio aevo, plures sententias professos esse, quae postea aut falsae aut minus probabiles esse probatae sunt; atque addunt, eosdem theologos in pluribus non errare non potuisse, cum magna historiae ignorantia insignes fuerint. Nominatim quatuor eiusmodi sententias adducunt: *Prima* est, potestatem clavium nullo modo ad culpam, sed ad poenam delendam pertinere: *secunda*, materiam ordinis positam esse in traditione instrumentorum; *tertia*, ordines quatuor minores verum sacramentum constituere; *quarta*, episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum. — R. Haec difficultas, quamvis speciosa sit, doctrinam propositam non tangit. Etenim quidquid est de insigni theologorum scholae circa historiam ignorantia, adversarii ipsi sic obiicientes parum accurate et parum fideliter historicam veritatem referunt. Etenim nulla ex sententiis obiectis iis characteribus insignitur, sub quibus auctoritas theologorum in praesenti vindicata et ab ecclesia inculcata est; quod omnino manifestum est, quia adductae sententiae a theologis medii aevi neque tamquam fidei dogmata sive veritates theologice certae et sine controversia tenendae neque universali consensione neque constanti et firmo iudicio propositae et propugnatae sunt. Itaque ex notis supradictis non una solum deest, quod ad removendam obiectionem sufficeret, sed omnes simul deficiunt. Quod quidem quoad singulas illas sententias, saltem una vel altera nota spectata, paucis ostendendum est.

1) Quod attinet *sententiam, potestatem clavium non ad* **20.** *culpam, sed ad poenam delendam et ad remissionem culpae solum ostendendam pertinere,* ea nunquam universalis fuit:

Sic v. g. *Richardus a S. Victore* eandem acerbis his verbis, inducit atque sugillat: „Exstat quorundam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius, quam refellenda" (Tract. de potestate ligandi et solvendi c. 12.). Deinde quidem cum eadem opinio cum *Lombardo* per aliquod tempus communior evasit, praestantiores tamen theologi eam vel exploserunt vel saltem reliquerunt, ut *Alexander Halensis* (Summa p, 4. q. 14. membr. 2. a. 1 § 2.), *Henricus Gandavensis* (Quodlib. 1. q. 32.), ipse *S. Thomas* (opusc. 22. c. 2; S. th. 3 p. q. 34. a. 3. ad 5.); qua ratione effectum est, ut denique penitus obsolesceret.

21. 2) Quod spectat *sententiam, materiam ordinis esse instrumentorum traditionem*, neque in eam theologi universali consensu tamquam in dogma vel veritatem certam absque controversia tenendam convenerunt. *S. Bonaventura* v. g. solam impositionem manuum materiam esse claris et determinatis verbis asserit (In 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4.). Plerique quidem traditionem instrumentorum saltem partem materiae essentialem esse opinati sunt, sed diversi diversa ratione rem probare et explicare conati sunt; sic. v. g. *S. Thomas* plenitudinem gratiae infundi per manuum impositionem, per traditionem vero instrumentorum characterem imprimi opinatus est (In 4. d. 24. q. 2. a. 3.).

22. 3) Quod pertinet *ad sententiam de ordinibus minoribus*, iidem theologi neque universali neque firmo et constanti consensu eosdem sacramenta esse propugnarunt, et vel minus etiam eandem sententiam dogma fidei vel etiam doctrinam theologicam certo tenendam esse contenderunt. Etenim iam *Hugo a. S. Victore, Lombardus, Gratianus* ordines minores ab ecclesia constitutos esse docuerunt ideoque iisdem rationem sacramenti proprie dicti non convenire saltem implicite significarunt; postea vero *Durandus, Caietanus, Navarrus, Dominicus Sotus* iisdem ordinibus characterem sacramentalem aperte denegarunt. *S. Thomas* vero (in 4. d. 24.) magis ad modum opinantis sententiam affirmativam proponit. Denique a saeculo 16. sententia negans magis magisque invaluit et communior evasit:

4) Quod spectat denique *sententiam episcopatum rationem* **23.** *sacramenti a presbyteratu distincti non habere,* neque ea universali et firmo consensu propugnata est. Quamvis enim ea sententia communior esset, opposita tamen quoque semper ab aliquibus defensa est, ut a *Guilelmo Altisiodorensi* (l. 4. tract. 8. q. 1.), *Durando, Ioanne Maiore, Paludano*; quibus recentiores fere omnes accesserunt. Praeterea defensores illius opinionis oppositam nunquam tamquam haereticam vel erroneam reiecerunt. Denique notandum quoque est, hanc de episcopatu quaestionem, ex parte magis circa nomen, quam circa rem versatam esse, ut satis apparet ex *S. Thomae* expositionibus (S. th. 3. p. q. 40. a. 5.; in 4. d. 24. q. 1. a. 2. sol. 2.).

De his aliisque similibus quaestionibus conferri possunt *Franzelin*, de trad. p. 210 ss.; *Vasquez*, in 3 p. disp. 237. c. 2.; *Du Plessis d'Argentré*, de contritione et virtute clavium variae scholasticorum sententiae; *Göttler*, die Wirkungen des Bussakramentes.

2. De auctoritate S. Thomae. — Inter doctores **24.** theologos maxime eminet atque singularem auctoritatem habet S. Thomas; quare ubi de theologorum auctoritate agitur, pauca saltem de S. Thoma speciatim delibanda sunt. Cum vero auctoritas singularis alicuius theologi maxime ex approbatione ecclesiae pendeat et cognoscatur, prius diversi gradus vel species approbationis distinguendae et notandae sunt, qua theologi vel potius doctrina eorum ab ecclesia approbari solet.

1) *Diversae approbationis species.* — Universim quattuor approbationis gradus vel species discernuntur:

a) Prima est *permissiva seu negativa*, atque per eam doctrina generatim ut sana, catholica, a censura immunis agnoscitur. Hac approbatione v. g. generatim opera theologorum ante divulgationem approbanda sunt, necnon eadem scripta Sanctorum et Beatorum in processibus canonizationis et beatificationis approbari videntur.

b) Altera est *approbatio positiva*, qua quidem opera vel doctrina non tantum permittuntur, sed commendantur et

multum adhibentur ut fidei et moribus promovendis apprime utilia. Huc multa opera pertinent, quae a Romano Pontifice vel episcopis non solum permissa, sed speciali modo commendata sunt: necnon SS. Patrum opera generatim hac approbatione insignita esse videntur.

25. c) Tertia est *approbatio electiva.* Hac vero approbationis specie ecclesia aliquam doctrinam speciali modo agnoscit ut suam eamque prae aliis eligit, laudat atque commendat. Quae approbatio impertita est v. g. doctrinae S. Augustini de gratia (cf. Denz. Ench. n. 86. 97. 1187.), S. Athanasii doctrinae de SS. Trinitate, catechismo Romano, catechismo B. P. Canisii, imo forte omnibus eorum Patrum operibus, qui simul titulo doctoris ecclesiae insigniti sunt.

d) Quarta est *approbatio definitiva.* Atque hac approbatione doctrina aliqua particularis alicuius Patris vel ecclesiae doctoris ab ecclesia definitivo et infallibili iudicio approbatur atque sequenda praescribitur. Eiusmodi vero approbatione non integra opera, sed specialia solum quaedam doctrinae capita approbari solent. Sic haec excellentissima approbatio a concilio ephesino anathematismis S. Cyrilli A. impertita est (Denz. Ench. n. 73.), necnon a Gelasio I. epistolae Leonis M. ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum his verbis: „Cuius textum quispiam si usque ad unum ista disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter susceperit, anathema sit."

26. 2) *De approbatione doctrinae S. Thomae.* — Iam praemissis et explicatis diversis gradibus vel speciebus approbationis dubitatio nulla esse potest, doctrinae S. Thomae universim spectatae impertitam esse approbationem electivam.

a) Et primo quidem id patet *ex variis enuntiationibus, quibus magisterium ecclesiasticum eius doctrinam maxime laudavit et commendavit.* Sic v. g. *Ioannes XXII*: „S. Thomas plus illuminavit ecclesiam, quam omnes alii doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae." (Bulla *Redemptorem* v. Acta SS. Mart. I. 682.). *Urbanus V.* ad professores universitatis Tolosanae scripsit: „Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut B. Thomae doctrinam tamquam veridicam et

catholicam sectemini eamque studeatis totis viribus ampliare" (Constit. 5. dat. 3. Aug. 1368 ad cancellarium eiusdem universitatis). *Innocentius VI*: „Huius (Thomae) doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus". (Serm. de S. Thoma.). *Benedictus XIII:* „Aequum erat, ut angelica doctrina tanti doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quae solis instar mundum universum illustrans uberrima christianae ecclesiae bona peperit paritque in dies singulos multiplici fructu, supremo apostolicae sedis magisterio adversus quoscunque veteres ac recentes errores, quos revincit, fidelissime famulans" (Bulla *Pretiosus* a. 1727.). Denique insigni modo S. Thomae doctrinam et auctoritatem encomiis ornavit et apostolica sua auctoritate iterum iterumque commendavit et inculcavit *Leo XIII.*; sic v. g. in encyclicis litteris *Aeterni Patris* effatur: „Inter Scholasticos doctores omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, qui uti Caietanus animadvertit, veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. — Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit . . . Ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur . . . Illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetuo sive in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. — Praeterea rationem, ut par

est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta."

27. b) Verum *secundo* ecclesia S. Thomae doctrinam non solum theoretice approbatione sua atque encomiis insignivit, sed *vel magis fere practica sua circa eam agendi ratione auctoritatem eiusdem sancivit.* Huc quadruplex pertinet praxis sub ecclesiae auspiciis servata, scilicet doctorum hominum catholicorum, ordinum religiosorum, academiarum, conciliorum oecumenicorum; quam quadruplicem praxin item *Leo XIII.* in laudata encyclica exponit et urget: „Doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus angelicae sapientiae eius sese non tantum excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. — Omnes prope conditores et legiferos ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos, doctrinis S. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicanam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, societatem Iesu, aliosque sacros ordines complures, statuta singulorum testantur. — Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, academias et scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem aliasque permultas. Quarum academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse nemo ignorat. Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem: atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici doctoris magis-

terio et auctoritate conquievisse. . . — Ipsa quoque concilia oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo statuerunt. In conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae scripturae codicibus et Pontificum maximorum decretis *summam* Thomae Aquinatis super altari ponere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur." *Denique* S. Thomae encomium concludit, practicae ecclesiae testificationi addens adversariorum ecclesiae testimonium: „Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticorum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse cum omnibus catholicis doctoribus subire certamen et vincere, et ecclesiam dissipare. — Inanis quidem spes, sed testimonium non inane."

3) *Principia quaedam circa S. Thomae auctoritatem et doctrinam observanda.* — Cum ea, quae explicata est, S. Thomae doctrina et auctoritas sit, haec circa eandem catholico theologo principia observanda esse facile patet: **28.**

a) S. Thomae doctrina generatim tum absolute in se tum relative ad alias considerata maxime insignis et catholicae veritati conformis est; imo vero quod substantialia attinet, nihil in ea reperitur, quod verum et certum non sit; item methodus a S. Thoma adhibita catholicae veritati demonstrandae, explicandae, defendendae apprime consentanea est.

b) Neque tamen ideo quaelibet S. Thomae sententiae tamquam certae vel certo probabiles considerari possunt; imo in aliquibus certo erravit, ut v. g. circa immaculatam B. V.

conceptionem, sollemnitatem votorum, ordines minores et alia quaedam.

c) Neque igitur aliqua doctrina iam ideo solum certa est, quia S. Thomas eam proposuit; quare neque quaestiones controversae sola eius auctoritate solvi possunt. Insuper neque omnis scientia theologica eius doctrina comprehenditur: quare etiam post S. Thomam theologica scientia progressus fecit et continuo facere potest. Ubi notandum est, ipsum S. Thomam opiniones a se propositas saepius vel directe retractasse vel tacite correxisse.

29. d) Verumtamen auctoritas S. Thomae in se sola considerata sententiam aliquam probabilem reddit, nisi aliunde gravis et certa ratio opponatur; quare eius sententia ceteris paribus aliis oppositis praeferenda est.

e) Itaque auctoritas S. Thomae cordato theologo catholico maximi facienda est; qui enim paucissimis illis obsoletis et erroneis opinionibus sepositis eiusdem doctrinam pressius sequitur, principiis ab eo vindicatis fidelius inhaeret, securo pede incedet, doctrinam in ecclesia communissime receptam sequitur neque unquam in opiniones a sensu catholico alienas nedum in absurdas aut haereticas incidet.

Neque vero, quod in fine monendum est, is rectum et debitum S. Thomae obsequium exhibebit neque verus et genuinus eius discipulus erit, qui serviliter et coece eiusdem sententias et verba sectatur, sed qui constanti et diuturno labore egregia eiusdem opera versans magis magisque eius spiritu, principiis, doctrina totus imbuitur atque iisdem imbutus scientiam theologicam eadem vel simili ac ipse ratione tractare iuvare, promovere indefesse conatur.

Thesis 8. Fidelium quoque consensus unanimis in rebus ad fidem christianam pertinentibus certum divinae traditionis criterium est.

Declaratio.

1. ***1. Quinam nomine fidelium hic veniant.*** – Nomine fidelium hic tota credentium universitas intelligitur,

igitur non solum laici fideles, sed etiam sacerdotes, pastores, imo vel episcopi et Romanus Pontifex, quatenus non quidem ut organa traditionis sive primaria sive secundaria fidem docent, sed eandem assensu mentis et cordis amplectuntur et profitentur. Cum igitur in praecedentibus thesibus de consensu ecclesiae docentis agebatur, in praesenti consensus ecclesiae discentis vel credentis inquiritur eique infallibilitas vindicatur. Quia vero fides, ut Apostolus dicit, ex auditu est sive ex praedicatione magisterii authentici oritur necnon infallibilitas ecclesiae discentis ab infallibilitate ecclesiae docentis pendet, haec quidem infallibilitas ecclesiae activa, illa vero infallibilitas ecclesiae passiva a pluribus vocari solet; melius tamen et accuratius inter infallibilitatem ecclesiae docentis et infallibilitatem ecclesiae discentis vel credentis discerni videtur. *Notandum* denique est, consensum ecclesiae discentis vel credentis, de quo agitur, non solum theoretice expressa fidei professione, sed practice quoque variis usibus, consuetudinibus, precibus manifestari; unde adagium ortum est: *Lex orandi vel supplicandi, lex credendi* (cf. Coelestini I. ep. adv. Semipelag. c. 11. D. n. 95.).

2. Qualis fidelium consensus esse debeat, ut ei infallibilitas conveniat. — Ut fidelium consensus certum traditionis criterium esse possit, certus, clarus, uniformis sit oportet; ratio huius assertionis aperta est ex iis, quae sub hoc respectu de consensu SS. Patrum et theologorum supra notata sunt. Insuper vero ille fidelium consensus spectato obiecto suo per se intelligitur versari minus circa quaestiones dogmaticas magis difficiles et reconditas, quam circa dogmata communiora, quae vel in explicita fidei professione continentur vel aliqua publica et constanti praxi et consuetudine exprimuntur. Apposite *Melchior Canus*: „Duo sunt rerum genera, ut alias dictum est, quae ab ecclesia creduntur. Unum est earum, quae ad omnes aeque pertinent, ut Deum esse hominem, animum nostrum esse immortalem. Et in hoc genere non est valde difficile, omnium fidem sensumque cognoscere . . . Alterum est genus earum rerum, quas cognoscere non rudium et imperitorum in ecclesia, sed maiorum et sapientum 2.

interest, ut epistolam ad Hebraeos esse canonicam, ac reliqua similia quam plurima. Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, ut si a coeco sensum colorum postulares. Caute igitur atque prudenter, cum huiusmodi fortasse res in sermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulo modestiores sunt, nihil omnino affirmate asseveranterque pronuntiant; sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, quod ecclesia credit ac sentit. Quo profecto nomine sapientes ecclesiae maioresque designant. Porro sive in hoc sive in illo genere quaestio versetur, populus quasi de tribunali sententiam dicere nec debet nec vero potest: quoniam ut hic pro certo et probato sumimus, ligandi, solvendi iudicandique potestas in singulis fidelibus non est, sed in ecclesiae praefectis atque pastoribus. De qua re alio loco disseremus. Nunc illud dicimus, in communi omnium controversia certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi; quamvis non oporteat sigillatim omnium sensum perscrutari. In fide autem earum rerum, quae propriae sunt doctorum atque sapientum, solam horum sententiam expetendam, vulgi ne exspectandam quidem. Nam illic certam fidem faciunt catholici dogmatis, hic faciunt nullam. At vero in utrarumque rerum decretis ac legibus nec vulgus nec sapientes omnes habent locum: sed ii tantum, qui sint ecclesiae pastores" (L. 4. c. 6. ad 14. cf. l. 5. c. 6. ad 12.).

Demonstratio.

3. ***1. Probatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Communi fidelium professioni errorem nullum subesse posse, firmissima erat veterum persuasio. Sic v. g. eandem nervose exprimit *Tertullianus*: „Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit et apostolus de testimonio reddendo; nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint! . . . Aliquos Marciones

et Valentinos liberanda veritas exspectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam ministrata; tot virtutes tot charismata perperam operata; tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata" (Praescr. c. 28. 29.). Videlicet aeque ac communem praedicationem Tertullianus communem fidem ab errore exemptam esse censet.

Similiter *Vincentius Lirinensis* exponens illud S. Pauli 4.
Devitans profanas vocum novitates (1. Tim. 6, 20.): „Quid est: profanas? Quae nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiae penetralibus, quae est templum Dei, penitus extraneas. *Profanas*, inquit, *vocum novitates. Vocum,* i. e. dogmatum rerum sententiarum novitates, quae sunt vetustati, quae antiquitati contrariae, quae si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum Patrum aut tota aut certe ex magna parte violetur: necesse est, ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, omnes continentes virgines, omnes clerici levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulae provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo iam paene terrarum orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto saeculorum tractu ignorasse, errasse blasphemasse, nesciisse, quid crederet, pronuntiaretur'. (Commonit. c. 24.).

Item *S. Augustinus* saepe ex communi christianorum 5.
fide argumentum derivat ad dogmata catholica probanda. Sic v. g. inde gratiae ad initium fidei et perseverantiam necessitatem probat (De dono perseverant. c. 63), item peccatum originale (cont. Iulian. 1. n. 31.), effectum baptismi infantibus collati (Serm. 294. n. 7.), effectum eucharistiae (De peccator. merit. et remiss. l. 1. n. 34.). Exemplo sit applicatio huius rationis ad Iulianum convincendum facta: „Et ipse populus adversus vos propterea murmurat, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi . . . noverunt, quod cuique aetati in baptismate remittatur . . . Quasi parva sit istius

veritatis assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo" (L. c.)

6. *2. Ex theologorum communi suffragio.* — Theologi quoque communiter concordi fidelium sensui in rebus fidei maximam auctoritatem tribuunt. Ita v. g. *Petavius* agens de immaculata B. V. M. conceptione: „Movet autem me, ut eam in partem sim propensior, communis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus alteque defixum habent, et quibus possunt indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse. Tum vero nihil cum inferis horumque rectore diabolo adeoque cum qualicunque Dei offensa et damnatione commune unquam habuisse. Admonet autem nos egregie *Paulinus Nolanus* episcopus, gravis imprimis auctor, epist. 4., „ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat." (De incarn. l. 14. c. 2.).

7. *Gregorius de Valentia*: „Est etiam in definitionibus fidei . . . habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium, quoniam et ii sane, quatenus ex ipsis constat ecclesia, sic Spiritu Sancto assistente divinas revelationes integre ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint. . . . Neque tamen ideirco volo, debere Pontificem de quavis controversia fidelium omnium sententiam inquirere. Hoc enim neque fieri potest neque si posset expediret. Fere enim eiusmodi sunt, quae in controversiam fidei adducuntur, ut captum vulgarium fidelium longe superent. Illud solum contendo: Si quando de re aliqua in materia religionis controversia constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam (solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud christianos populos recepta, vel ex scandalo et offensione communi, quae ex opinione aliqua oritur etc.), merito posse ac debere Pontificem illa niti, ut quae esset ecclesiae sententia infallibilis" (Analys fidei. p. 8.).

8. Denique quanti ponderis habendum sit publicum omnium fidelium suffragium praeclare docet *Ioannes Fisherus*, Rof-

fensis episcopus in libro, quem pro Angliae rege contra Lutherum scripsit. Nimirum inter alia commune institutum communionis sub una specie defendens illud quoque argumentum urget, „quod nulla praeceptorum vi, sed consensu quodam tacito tam populi quam cleri sensim irrepsit dicta consuetudo . . . et quasi tacitis omnium suffragiis recepta fuit, priusquam ullo conciliorum decreto legimus eam fuisse firmatam. . . Apud eum populum haec consuetudo est, qui Spiritu Sancto regitur nisi, quis forte Christi non crediderit evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse Sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in ecclesia maneat in perpetuum, et ut eam doceat et ducat in omnem veritatem, annuntietque, quod Christi est, et quod audierit a Christo" (c. 3.).

9. ***3. Ex suffragio magisterii authentici.*** — Huc imprimis pertinent litterae apostolicae *Ineffabilis Deus,* quibus Pius IX. immaculatam B. V. conceptionem sollemniter definivit. Etenim in iisdem refert Summus Pontifex, se prius inter alia etiam *fidelium sensum* ea de re explorasse atque deinde inter argumenta eiusdem doctrinae vel rationes definitionis *ecclesiae sensum, fidelium conspirationem, catholici orbis desideria* adducit: „Encyclicas litteras die 2. Februarii anno 1849 Caietae datas ad omnes venerabiles fratres totius catholici orbis sacrorum antistites misimus, ut adhibitis ad Deum precibus, nobis scripto etiam significarent, *quae esset suorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas ac devotio,* et quid ipsi praesertim antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut quo fieri sollemnius posset, supremum nostrum iudicium proferremus. . . Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro immaculata sanctissimae Dei genitricis virginis Mariae conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, *perpetuus ecclesiae sensus,* singularis catholicorum antistitum et *fidelium conspiratio* et insignia praedecessorum nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum nobis esse censuimus supremo nostro iudicio imma-

culatam ipsius virginis conceptionem sancire, definire atque ita pientissimis *catholici orbis desideriis* nostraeque in ipsam sanctissimam virginem pietati satisfacere."

10. ***4. Ex relatione consensus fidelium ad magisterium authenticum.*** — Videlicet hoc magisterium authenticum ideo praecise a Christo institutum et infallibilitate donatum est, ut fideles in sana et integra doctrina recte instituerentur atque indefectibiliter conservarentur. Quod, cum ex natura rei iam satis intelligatur, scripturae testimoniis manifestum est ut v. g.: *Euntes ergo docete omnes gentes . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi"* (Matth. 28. 19). „*Ipse dedit quosdam quidem apostolos . . . alios autem pastores et doctores . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*" (Eph. 4, 4—14; cf. Ioan. 17, 20. 21; Matth. 16, 18.) Itaque eo spectat infallibilitas praedicationis Apostolorum eorumque successorum, ut ab errore immunis et una conservetur fides credentium per verbum ipsorum. Iamvero si ita est, consentiens fides credentium aeque infallibilis sit oportet ac consentiens praedicatio magistrorum; nam infallibili medio effectus intentus infallibiliter obtinetur. Ergo communis fidelium consensus in rebus ad fidem pertinentibus infallibile veritatis revelatae criterium est. Atque hac sola ratione etiam ea de ecclesia praedicata verificantur, quae eidem ab ipsa scriptura tribuuntur, ut v. g. quod *portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18.), quod est *columna et firmamentum veritatis* (1. Tim. 3, 15.), quod est *corpus Christi non habens maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi* (Eph. 5, 23. 27.). Si enim tota fidelium multitudo magisterio authentico reluctaretur et a vera fide aberraret, profecto infernus adversus ecclesiam praevaluisset, ecclesia simpliciter iam non esset columna et firmamentum veritatis, et corpus Christi dissensu et errore scissum atque maculatum esset. Ergo.

11. *Confirmatur et illustratur assertio analogia quadam:* „Fidelium communis sensus et consensus in quaestionibus

fidei, ideoque in ordine supernaturali, haud inepte confertur secundum quandam analogiam cum communi naturae humanae sensu et consensu in ordine rationali. Sicut enim hic sponte veluti sua oboritur e communi natura rationali, ac propterea est criterium manifestans veritatem rationalem, quae ad necessariam rationis suppellectilem ac velut depositum inprimis spectat: ita et fidelium mira in quaedam ordinis superrationalis iudicia conspiratio oboritur ex communi fide a Spiritu Sancto (non tamen citra ministerium magisterii ecclesiastici) eorum cordibus inserta et insita, ac propterea criterium censeri debet haud suspectum, quo dignosci possint, quae ad revelationis spectent depositum" (*Hurter*, comp. n. 141. 4.).

Scholion.

12. ***1. Obiectio quaedam expeditur.*** — Contra thesin statutam eiusque demonstrationem opponi potest, cum consensus fidelium in magisterium authenticum eiusque praedicationem tamquam effectus in principium suum refundatur, non apparere, qua ratione fidelium consensus aliquando norma esse possit ipsius praedicationis ecclesiasticae. — R. facile et breviter distinctione aliqua. Nimirum consensus fidelium non ad eandem praedicationem, sed ad aliam tamquam effectus et ad aliam tamquam norma refertur; sic v. g., spectato iterum exemplo supra producto i. e. immaculata B. V. conceptione, consensus fidelium effectus erat praedicationis ordinariae, tamquam norma autem adhibita est relate ad sollemnem eiusdem doctrinae definitionem.

13. ***2. De dicto quodam S. Hilarii.*** — Manifestum est ex thesi statuta aliquando accidere posse, ut consensus fidelium vel unius vel etiam plurium episcoporum iudicio praeferendus sit. Cum nempe vel unus vel plures episcopi in errorem aliquem labi atque a fide deficere possint, consensus fidelium indefectibilis est ideoque in eiusmodi casu praeferatur oportet. Iamvero hoc, non alio sensu interpretandum esse videtur celebre *S. Hilarii* dictum: „Sanctiores sunt aures plebis, quam corda sacerdotum" (Cont. Auxent. n. 6.).

Quaestio secunda.

De scriptura.

Articulus primus.

De inspirationis exsistentia.

Thesis 9. **Collectio librorum illa, quae a christianis generatim scripturae nomine designatur, summam et divinam auctoritatem habere credenda est.**

Declaratio.

1. ***1. De diversis scripturae appellationibus.*** — Quamvis hoc nomine *sacrae scripturae* quivis liber de Deo et de rebus ad Deum pertinentibus tractans, imprimis si ut v. g. catechismus doctrinam revelatam proponat vel explicet, recte insigniri possit, per eminentiam tamen et sensu per usum iam factq omnino proprio eo nomine nota illa librorum collectio denotatur, quos christiani omnes tamquam certissimam fidei regulam venerantur, utpote qui divinitus inspirati et hominibus communicati sint. Vel, ut verbis *conciliorum Tridentini et Vaticani* utar, sacrae scripturae nomine venit illa collectio librorum „qui Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt“ (D. n. 666. et n. 1636.). Eadem collectio etiam appellari solet: *scriptura canonica*, vel simpliciter *scriptura*, *testamentum*, *instrumentum* ac plurali numero *sacrae litterae*, *sacrae scripturae*, *biblia sacra* vel simpliciter *scripturae* seu *biblia*.

2. Et quidem *scriptura canonica* dicitur, quia canon (κανών) tum catalogum tum normam prorsus certam significat: utroque enim sensu sacra scriptura canon dici potest, quia libri in ea contenti tum inviolabilem catalogum constituunt, cui nihil sive addere sive demere liceat, tum infallibilem fidei ac morum normam exhibent. — Praeterea collectio illa dicitur *testamentum*, quia in ea Deus hominibus tamquam filiis legat

haereditatem; necnon *instrumentum*, tum quia nos instruit, tum quia instrumenta dicuntur, quae in pactis vel contractibus authentice notificant; in libris enim illis eiusmodi authenticae certitudinis modus maximus et praestantissimus exhibetur. — Deinde appellatio *sacra* adhibetur tam ratione auctoris, quam ratione argumenti et effectus; etenim Deum ipsum auctorem habet, de Deo agit atque de aliis, quae et quatenus ad Deum referuntur, atque ad Deum instruendo et exhortando ducit; omnia autem, quae singulari quodam modo cum Deo summo bono connexa sunt, apud auctores tum profanos tum ipsos sacros praecise sacra vel sancta vocantur (cf. Zeitschrift für kathol. Theologie, Ihrg. 1896. p. 234.: tract. de Verbo Incarnato th. 24.). — Deinde nomen *scripturae, scripturarum, bibliorum, litterarum* adhibetur ad designandum modum, quo Deus illis libris ad nos loquitur: etenim aliter ac traditiones libri illi verbum Dei *scriptum* continent. — Quod vero iidem libri nominatim sacrae *litterae* nuncupentur, pulchre explicat *Gregorius M.:* „Imperator coeli, dominus hominum et angelorum, pro vita tua tibi epistolas transmisit, et tu gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis? Quid est autem s. scriptura, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?“ (L. 4. ep. 31. al. 40. ad Theodorum medicum.) — Tandem collectio eadem simpliciter vocatur *scriptura* vel *scripturae* vel *biblia*, quia haec vocabula, quamvis cuiusvis generis libros denotent, nihilominus relate ad s. scripturam propter eiusdem in ipsa ratione libri excellentiam et eminentiam nominum quasi propriorum rationem induerunt.

3. Denique notanda est ratio, propter quam nomen scripturae de collectione librorum sacrorum saepe *in numero plurali* adhibetur. Iamvero haec ratio in eo invenitur, quod idem nomen in numero singulari non adeo de tota illa collectione, quam de singulis eiusdem partibus, immo vero de singulis textibus secundum usum ipsius sacrae scripturae adhiberi solet. Cuius usus multa exempla exstant, v. g.: *Hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris* (Luc. 4, 21.) *Alia scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt* (Ioan.

19, 37.). *Omnis scriptura* (πᾶσα γραφή) *divinitus inspirata utilis est etc.* (2 Tim. 3, 16.). *Nec scripturam hanc legistis: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes* (Marc. 12, 10.). *Philippus . . . incipiens a scriptura ista evangelizavit illi Iesum* (Act. 8, 35.). *Oportet impleri scripturam* (τὴν γραφὴν ταύτην) *quam praedixit Spiritus Sanctus,* i. e. Ps. 108, 8. (Act. 1, 16.).

4. ***2. De sacrae scripturae dignitate et praestantia.*** — Sacrae scripturae dignitas et praestantia summa et prope infinita est, sive in se sive in effectibus suis consideratur. In se vero spectari potest vel critice et historice vel dogmatice. Triplex igitur eiusdem dignitas et praestantia breviter exhibenda venit. (Cf. *Hurter* comp. I.[11] n. 153 ss.)

1) *Scripturae excellentia historica et critica.* — Sub respectu historico et critico s. scriptura prae ceteris libris quibusvis longe excellit. Et quidem:

a) *Summa aetate* eminet, utpote qua magna eiusdem pars, i. e. plerique veteris testamenti libri, quoscunque, qui supersunt, antiquitatis libros antecedit, quod in disciplina introductionis luculenter demonstratur.

b) Deinde excellit *doctrinae sublimitate*, quippe quae in multis saltem eiusdem partibus tanta est, ut animum considerantis sponte percellat et rapiat, ut vel increduli, etsi inviti, fatentur.

c) Tandem *forma* quoque praecellens est: etenim vanum verborum fastum ac pompam negligit, atque stili candore et simplicitate necnon rerum et idearum ubertate quandam prae se fert maiestatem, quam nulla unquam humana eloquentia assequi potest. (Cf. *Augustinus*, de doctrina christiana l. 4. c. 6.)

5. 2) *Excellentia theologica scripturae.* — Theologice spectata scriptura verbum Dei scriptum est: unde a S. *Augustino* „cor Dei, scriptura ipsius" dicitur, utpote quae Dei sensa includit, quemadmodum cor hominis sensa continet. (In ps. 36.). Ab aliis vero Patribus scriptura tamquam verbum Dei scriptum cum Verbo Dei personali incarnato pulchre comparatur;

quae analogia pulcherrima atque aptissima esse his momentis consideratis facile intelligitur.

a) Quemadmodum Verbum Dei incarnatum ex B. V. Maria a Spiritu Sancto obumbrata generatum est, ita a Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines (2. Pet. 1, 21.) et verbum Dei scriptum ediderunt (cf. *Rupertus Tuit.* in Is. l. 2. c. 31.).

b) Deinde sicut in Verbo incarnato elementum divinum **6.** et humanum, quo illud tegebatur, rite discerni debent, ita etiam in s. scriptura sub cortice litterae, elemento humano, veritas divina latet; et sicut ad Verbum divinum sub humanitate latens cognoscendum, non sufficiebat cognitio naturalis, sed revelatio Patris requirebatur (Matth. 16, 17.), ita etiam ad veritatem divinam, quae in scripturis est deposita cognoscendam et perspiciendam illustratio divina necessaria est (1. Cor. 2, 14.). Apposite *Rabanus Maurus*: „Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria V. carne vestitum provenit in hunc mundum, et aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud, quod tegebatur, carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis vero et electis dabatur divinitatis agnitio; ita et cum per prophetas vel per legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic litterae velamine tegitur, ut littera quidem aspiciatur tamquam caro, latens vero intrinsecus spiritalis sensus tamquam divinitas sentiatur?“ (Prolog. in Levitic.; cf. Bonaventura, Brevil. prooem. § 5.)

c) Praeterea quemadmodum in humanitate assumpta **7.** plenitudo divinitatis inhabitat (Collos. 2, 9.) atque omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt absconditi (ib. 2, 3.); ita et scriptura divinam veritatem continet et coelesti sapientia abundat, atque non verbis solum sed rebus quoque loquitur et mentes hominum coelesti lumine replet atque collustrat. Unde merito *Augustinus*: „Tanta est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo

otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere" (Ep. 137. n. 3.).

d) Ulterius sicut Christus, Verbum Dei incarnatum Iudaeis fuit scandalum et gentibus stultitia (1. Cor. 1, 23.) et multis lapis offensionis et petra scandali (1. Pet. 2. 8.), credentibus vero Dei virtus et sapientia (1. Cor. 1. 24.); ita verbum Dei scriptum quoque sive s. scriptura multis exosa et contemptibilis evasit atque in scandalum et ruinam versa est necnon haereticis et rationalistis imprimis magis magisque vertitur.

8. e) Insuper sicut in Verbo incarnato sub sensibili natura humana passionibus quoque obnoxia translucebat gloriosa et impassibilis divinitas, ita sub involucro sensibilium litterarum variis vicissitudinibus obnoxiarum indefectibilis et illaesa sapientia divina refulget.

f) Hinc denique, quemadmodum Verbum incarnatum, Christus inter homines eminet tamquam Filius hominis per excellentiam, ita verbum Dei scriptum inter omnia scripta etiam sacra eminet tamquam scriptura sive scriptura sacra per excellentiam.

9. 3) *Praestantia scripturae effectibus manifestata.* — Huc spectant Apostoli verba 2. Tim. 3. 16.: *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Sane utilis est ad docendum, cum infallibilis fidei regula sit; utilis ad arguendum, quia continet verbum Dei, quod teste eodem Apostolo gladius spiritualis est, quo revelationem defendamus et adversarios redarguamus; utilis ad corripiendum, utpote quae leges morales continet et motiva efficacissima subministrat, quibus homines ad vitia emendenda impellantur; denique utilis ad erudiendum in iustitia, quippe cum omnes virtutes in s. scriptura edoceantur atque verbis et exemplis imprimis ipsius Dei-hominis Salvatoris efficacissime commendentur.

10. Quae cum ita sint, s. scriptura summum momentum habet et maximi facienda est imprimis pro universa theologia tam apologetica quam dogmatica, tum morali cum ascetica; quare maxime theologis et sacerdotibus scientia scripturae ne-

cessaria est ideoque ab iisdem imprimis pensari debet, quod emphatice quidem, sed pulchre et vere expressit *Hieronymus:* „Ignoratio scripturarum ignoratio Christi est" (Prooem. in Isaiam ad Eustochium.)

4) *Praestantia scripturae a SS. Patribus praedicata.* **11.** — Cum tanta scripturae sit excellentia, mirum non est, quod SS. Patres magnificis encomiis eam celebrarint. Quorum plura cum iam allata sint, pauca quaedam addere satis erit. Itaque a *S. Chrysostomo* vocatur „thesaurus locupletissimus doctrinarum coelestium" (In genes. hom. 21.), ab *Athanasio* „perennes fontes salutis" (ep. 39.), ab *Ambrosio* „convivium sapientiae" (De offic. l. 1. c. 32.), ab *Augustino* „prata fertilia et amoenissimi horti, in quibus grex dominicus admirabili modo reficitur" (Serm. 26, 24.). Idem *Augustinus* alibi (de doctrina christian. l. 4. c. 5.) asseverat „sapienter dicere hominem tanto magis vel minus, quantum in ss. scripturis magis minusve profecisset"; et iterum alibi: Scriptura „sic loquitur, inquit, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat" (De genesi ad litt. l. 5. c. 3. n. 6.). Tanden *Gregorius M.* scripturae excellentiam pulchre hisce verbis exponit: „Quamvis omnem scientiam atque doctrinam scriptura sacra sine aliqua comparatione transcendat, ut taceam, quod vera praedicat; quod ad coelestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur, quod nec sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat, quod usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur; quod legentis animum humilibus verbis adiuvat, sublimibus sensibus levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis semper nova reperitur; ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas, ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare, et non immutato dicendi genere, cis-

dem ipsis sermonibus novit et ante acta describere et agenda nuntiare" (Moral. l. 20. c. 1. n. 1.). Quare denique *Hieronimus* sacerdotes hortatur, ut continuo sacra volumina volvant: „Divinas scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas . . . sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit" (De vita clericor. ad Nepot. n. 7.).

12. ***2. Quaestionis argumentum circumscribitur.*** — Cum s. scriptura sub diversis respectibus considerari possit atque sub unoquoque eiusmodi respectu amplissimam considerationis materiam suppeditet, diversae disciplinae theologicae circa eam tamquam obiectum suum versantur et universim quidem quattuor: *introductio* biblica, quae in eiusdem originem, auctores secundarios vel humanos, historiam similiave inquirit: *hermeneutica*, qua normae vel regulae in scriptura interpretanda observandae statuuntur: *exegesis*, quae eiusdem sensum scrutatur: denique *dogmatica*, quae eandem considerat, ut fons revelationis et locus theologicus est. Quae cum ita sint, in hac quaestione omnia ea praetermittuntur, quae in tribus illis prioribus disciplinis tractari solent, quamvis quaedam ex illis ad theologiam dogmaticam quoque spectent vel saltem dogmatice tractari possint: quare in praesenti ea solum inquirenda restant, quae strictius et magis proprie dogmatica sunt: haec vero omnia ad divinam sacrae scripturae inspirationem pertinent. Porro tota de inspiratione doctrina facile ad quinque capita revocatur, unde praesens quaestio in quinque articulos commode dividitur:

Articulus primus: De inspirationis exsistentia.
Articulus secundus: De inspirationis natura.
Articulus tertius: De inspirationis extensione.
Articulus quartus: De inspirationis effectu, qui est absoluta scripturae inerrantia.
Articulus quintus: De inspirationis criteriis.

13. Iam articulus primus duas theses comprehendit, quarum prima generatim de summa ac divina scripturae auctoritate, altera de exsistentia inspirationis agit: haec enim duo ut ra-

tionatum cum ratione vel ut effectus cum causa arctissime cum invivem connectuntur. Praestat autem de divina illa scripturae auctoritate distinctim agere nondum considerata eius causa, inspiratione, quia secundum conceptum suum generalem et magis confusum ab inspiratione ita distinguitur, ut absolute aliud quoque fundamentum habere possit; atque hinc propriis et distinctis argumentis demonstrari potest. Praemittenda vero haec thesis de divina scripturae auctoritate est, quia praesertim in re gravissima gradatim procedendum est a generalioribus ad magis particularia, a notioribus ad minus nota.

Denique notandum superest, praesentem thesin propugnare fundamentale religionis revelatae dogma, quod nonnisi negant gentiles et rationalistae, qui s. scripturam libris mythologicis gentilium aequiparare non verentur.

Demonstratio.

1. Probatur ex communi Iudaeorum et Christianorum fide. — 14. Ut tota argumenti vis perspiciatur, tria ex ordine paucis exponenda sunt; primo: fides Iudaeorum: secundo aequalis fides christianorum; tertio conclusio deducenda est.

1) *Fides Iudaeorum.* — Collectionem illam librorum, quae nomine sacrae scripturae aliisque supra notatis venit, Iudaei quavis aetate maxima veneratione circumdederunt eique irrefragabilem omnino et divinam auctoritatem adscripserunt; quod multipliciter constat.

a) Imprimis id patet testimoniis *Flavii Iosephi* et *Philonis*. Et ille quidem sic de scriptura enuntiat: „(Apud nos non cuivis licet historiam scribere, sed) prophetis tantum, qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione (κατὰ τὴν ἐπίνοιαν τὴν ἀπὸ θεοῦ) didicerunt. Non multa millia apud nos sunt librorum discordantium et pugnantium, sed duo tantum supra viginti libri totius temporis descriptionem continentes, quibus merito fidem habemus. Et horum quinque quidem sunt Moysis, qui et leges complectuntur et historiam generis humani ab ortu usque ad interitum eius. Hoc

tempus modice deficit a tribus millibus annorum. Ab obitu autem Moysis usque ad Artaxerxem, qui post Xerxem rex Persarum fuit, prophetae Moysi succedentes suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserunt. Reliqui quatuor libri hymnos ad Deum et vitae praecepta hominibus data continent. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram aetatem omnia quidem scripta sunt, neque vero eadem fide digna habentur atque priora, quia minus manifesta fuit successio prophetarum. Ostenditur autem reipsa, quantum nostris libris confidamus. Cum enim tot saecula iam praeterierint, nemo ausus est quidquam eis addere neque demere neque mutare, sed omnibus Iudaeis inde a prima pueritia statim innatum est credere ea Dei praecepta esse, et iis adhaerere et, si opus est, pro iis libenter mori. Multi enim ex captivis iam saepe visi sunt tormenta et varia mortis genera in theatris sustinere, ne quidquam admitterent contra leges et posteriores scripturas" (Cont. Apionem l. 1. c. 8.). Alibi vero de uno scriptore sacro, Daniele scilicet, scribit: „Haec omnia Deo ipsi monstrante scripta reliquit, ut legentes et impleta videntes mirentur de honore, quem apud Deum Daniel habuit, et ex his intelligant errasse Epicuraeos, qui providentiam e vita tollunt et Deum negant, curam rerum habere" (Antiquit. l. 10. c. 11. n. 7.); simul vero haec monet: „Nemo vitio mihi vertat, quod ita singula scripto mandavi prout inveni in antiquis libris. Nam statim ab initio historiae studiosos rerum et etiam calumniatores praemonui me solum velle Hebraeorum libros graece interpretari, et haec ita proponere, ut rebus gestis nihil de meo addam, nihil subtraham" (Ib. l. 10. c. 10. n. 6.). — Ex quibus testimoniis duo manifesta sunt: *primo* Iosephus non adeo de sua, quam de communi gentis fide luculentus testis exstat: *secundo* hanc fidem enuntiat: sacram scripturam divina praecepta et eloquia continere, utpote quae divinitus inspirata sit, ideoque eidem divinam et inviolabilem auctoritatem convenire ita, ut nihil unquam in ea vel addere vel demere vel quovis modo immutare liceat.

15. Eiusdem communis et firmissimae Iudaeorum fidei testis adhuc luculentior fere exstat *Philo Iudaeus*. Et *primo* quidem

auctores humanos s. scripturae passim prophetas appellat; propheta vero sive loquens sive scribens ei os vel organum Dei est: „Propheta, inquit, a Deo inspiratus oracula et prophetias edit, nihil proprie loquens. Neque enim, si loquitur, capere potest ipse raptus et inspiratus, sed quae inspirantur loquitur, quasi alio insufflante. Prophetae enim sunt interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea, quae vult“ (De monarchia § 9.). Et alibi: „Lex nihil est aliud, quam ratio iubens agenda et vitanda prohibens. Et quoniam utrobique incertum est, quid conducat (accidit enim plerumque per ignorantiam, ut vitanda iubeamus, agenda vetemus), ideo conveniebat tertium adhiberi praemium, prophetiam, ne quid erretur. Nam propheta interpres est Dei dictantis intus oracula: a Deo autem nihil provenit reprehensibile“ (De praemiis et poenis). — Hinc *secundo* eandem librorum collectionem appellat: *sacros libros, sacras scripturas, sacras litteras, propheticum sermonem, oraculum, eloquium Dei, eximia oracula prophetico ore edita,* aliisque similibus nominibus insignit; quae passim fere in eius operibus occurrunt. — *Tertio* denique de septuagintavirali versione loquens, scripturam appellat *leges divinitus oraculis acceptas,* in quibus *neque demere neque addere neque mutari quidquam possit,* atque hinc concludit, eosdem interpretes in versione illa exaranda divinitus inspiratos fuisse, atque hanc communem Iudaeorum fidem fuisse declarat (De vita Moysis l. 2. § 5.). Itaque Philo quoque non solum de sua sed de communi Iudaeorum fide in inviolabilem et divinam s. scripturae auctoritatem testatur.

b) Haec fides deinde *ex ipsa quoque scriptura V. T.* **16.** manifesta est. Huc spectant haec aliave similia testimonia: *„Scripsit autem Moyses universos sermones Domini . . . Assumensque volumen foederis legit audiente populo, qui dixerunt: omnia, quae locutus est Dominus, faciemus et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his“* (Ex. 24. 4. ss.). *„Ascenditque rex templum Domini et omnes viri*

Iuda universique, qui habitabant in Ierusalem cum eo, sacerdotes et prophetae et omnis populus a parvo usque ad magnum legitque cunctis audientibus omnia verba libri foederis, qui inventus est in domo Domini. Stetitque rex super gradum et foedus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent praecepta eius et testimonia et caeremonias in omni corde et in tota anima et suscitarent verba foederis huius, quae scripta erant in libro illo" (2. Par. 34, 30. ss. Cf. Eccli. prol.: 2. Esdr. 8, 8.: 1. Mach. 1, 59; 2. Mach. 2, 13. etc.). Nihil vero obstat, quod haec aliave testimonia ad aliquos solum scripturae libros referuntur; cum enim alii progredienti tempore ad eandem collectionem additi iisdemque nominibus insigniti sint, ad hos quoque illorum testimoniorum vis extenditur.

17. c) Tandem huius communis Iudaeorum fidei testimonium etiam ferunt *novi testamenti libri*. Etenim Christus et Apostoli hanc fidem supponunt, cum contra Iudaeos ex scripturis argumentantur et divinam suam missionem comprobant. „*Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*" (Ioan. 5. 39.). „*Congregatis autem Pharisaeis interrogavit eos Iesus, dicens: Quid videtur vobis de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*" (Matth. 22. 41.: act. 2, 14. ss.: 3, 22. ss. etc.). Iudaei vero contra Christum disputantes etiam ad scripturae testimonia provocant tamquam argumenta inviolabilis et divinae auctoritatis: „*Quidam autem dicebant: Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne scriptura dicit: Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*" (Ioan. 7. 41. 42.) „*Responderunt ergo eis pharisaei: Numquid et vosseducti estis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisaeis? Sed turba haec, quae non novit legem, male-*

dicti sunt. Dixit Nicodemus ad illos . . . Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat? Responderunt et dixerunt ei: Numquid et tu Galilaeus es? Scrutare scripturas, et vide, quia a Galilaea propheta non surgit" (Ioan. 7, 47. ss.).

d) Denique de hac fide etiam posteriores Iudaei testantur, utpote qui diu saltem plerique eandem pie et fideliter conservarunt. cf. *Pesch*, de inspiratione n. 23. ss.: 10. ss.

2) *Fides christianorum.* — Aeque certum est, Christi- **18.** anos quoscunque et quovis tempore divinam scripturae auctoritatem tamquam fundamentale religionis christianae dogma credidisse. Haec fides iam apud vetustissimos scriptores non semel sed frequenter expressa invenitur. Similibus enim atque apud Iudaeos, etiam ab ipsis scripturae libri nominibus insigniuntur et encomiis exornantur: dicuntur videlicet *scripturae sanctae, sermo sanctus, libri sacri, scripturae divinae, libri divinissimi, libri dominici, libri coelestes, verba Spiritus sancti, verba a Spiritu Sancto dicta, Spiritus Sancti oracula, divinae legis instrumenta, volumina et instrumenta dominica etc.;* atque *in scripturis et per scripturas Deus, Verbum, Christus, Spiritus Sanctus loqui dicitur; auctores humani organa, instrumenta ipsius Dei esse declarantur; scriptura donum Dei est hominibus ad salutem datum et inviolabilis auctoritatis, ita ut ne unus apex quidem praeterire possit, quin perficiatur etc.* Multis haec testimoniis ostendi possunt; sed cum traditionis doctrina infra luculentius exponenda sit, pauca hic expressis verbis adducere sufficit: *Clemens Romanus*: „Scripturas diligenter inspexistis, quae verae sunt et datae per Spiritum Sanctum: Non fugit vos, nihil iniustum, nihil perversum scriptum esse in illis" (1. ep. ad Cor. 45.). In 2. ad Corinthios epistola, quae eidem Clementi adscribebatur, exhortatio lectionem scripturae sequens his verbis annuntiatur: „Itaque fratres et sorores, postquam Deus veritatis auditus est, lego vobis exhortationem, ut animum advertentes ad ea, quae scripta sunt, et vosmet ipsos salvetis et eum, qui legit inter vos" (19.). *Theophilus Antiochenus*: „Haec nos docent scripturae sanctae et quotquot

Spiritu Sancto afflati erant, inter quos Ioannes dicit: In principio erat verbum" (Ad Autolycum 2, 22.). *Antiquissimus scriptor anonymus* Artemonis haeresin impugnans: „Aut enim sacras scripturas a Sancto Spiritu dictas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; aut se ipsos Spiritu Sancto sapientiores existimant, ac proinde quid aliud sunt, quam daemoniaci" (Ap. *Eusebium,* H. E. 5, 28.). *Irenaeus*: „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae" (Adv. haeres. 2, 28.); et ibidem de evangelistis et libris eorundem loquens: „Quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem et Christum Dominum, spernit vero et Patrem, et est a semetipso damnatus, resistens et repugnans saluti suae" (2, 3.). *Hippolytus*: „Nihil enim omnino mentitur scriptura, neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus, ut videntes haec fieri, ne fallamur" (In Daniel. 4, 6.). *Tertullianus:* „Primam igitur instrumentis istis (libris s. scripturae) auctoritatem summa antiquitas vindicat . . . Plus iam offerimus, maiestatem scripturarum, si non vetustatem: divinas probamus, si dubitatur antiquas" (Apolog. 18. 19.). *Cyprianus*: „Deus nos per scripturas sanctas erudire et instruere dignatus est, ut a tenebris erroris abducti et luce eius pura et candida luminati viam vitae per salutaria sacramenta teneamus" (Praefat. in libr. testim.). „In psalmis loquitur Spiritus Sanctus" (De habit. virgin.). *Lactantius*: „Haec imprimis causa est, cur apud sapientes et doctos et principes huius saeculi scriptura sancta fide careat, quod prophetae communi ac simplici sermone, ut ad populum sunt locuti . . . Non credunt ergo divinis, quia fuco carent" (Instit. 5. 1.). „Summa providentia carere fuco voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intelligerent, quae ipse omnibus loquebatur" (Ib. 6, 21.). *Marius Victorinus:* „Si ut nomine sic et re Christianus est quispiam, necesse habet venerari scripturas, inclamantes Dominum Iesum Christum. Si igitur necesse tibi est, scripturas recipere, est et necessarium ea, quae in ipsis de Christo dicuntur, sic, quemadmodum dicuntur, accipias et credas" (De generat. divin.

verbi.). *Hilarius Pictaviensis:* „Dominus ait: ‚Erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei.' Ergo scriptum est, et cessare debet ambiguitas, quam auctoritas tanta condemnat" (In Matth. 23.) „Verba Dei sunt, quaecunque prophetae locuti sunt" (In ps. 118.). *Optatus Milevitanus*: „Per iudicia saecularia et leges publicas divinae legis instrumenta exsecutione a plurimis extorquenda esse duxistis (sc. Donatistae) . . . volumina et instrumenta dominica extorsistis, quae iam dudum fuerant in commune posessa, extorsistis cum codicibus pallas" (De schismate Donat. l. 6. n. 5.).

19. Iam ex his paucis testimoniis, quae multis augeri facile possunt, aperte constat, communem antiquitatis christianae fidem fuisse, scripturae summam, inviolabilem, divinam auctoritatem competere. Idem etiam ex summa reverentia patet, quam antiqui christiani practice scripturae exhibuerunt. Sic v. g. multi mortem potius pati, quam sacra volumina gentilibus tradere voluerunt. Cf. Pesch n. 392. Item vel ipsa plebs fidelis studiosissime cavit, ne vel minima unquam mutatio in scripturam induceretur, etc. (cf. de vera relig.-th. 34. n. 5.). Haec vero fides in ecclesia catholica per totam subsequentem aetatem ad nostros usque dies integra et illibata servata est; quod evidenter patet tum ex declarationibus expressis fere innumeris Patrum, Doctorum ecclesiae, theologorum; tum ex ordinaria praedicatione magistrorum authenticorum, episcoporum et Romani Pontificis; tum ex declarationibus sollemnibus conciliorum, nominatim Florentini, Tridentini, Vaticani; tum denique ex multiplici praxi, qua scriptura tamquam divinam auctoritatem faciens adhibetur in liturgia, in decidendis quaestionibus fidei, in iureiurando praestando aliisque similibus causis. Imo vero etiam sectae ab ecclesia separatae, quotquot nomen christianum et fidem in Christi divinam legationem, nedum naturam retinuerunt, eae omnes divinam et inviolabilem scripturae auctoritatem profiteri solent; unde manifesto iterum patet eam auctoritatem fundamentale religionis christianae dogma esse; quod, qui reiecerit, neque nomen Christiani iam mereatur.

20. *3) Argumentum ex praecedentibus deducitur.* — Itaque citra ullam dubitationem manifesto constat, divinam et inviolabilem scripturae auctoritatem inter fundamentalia dogmata tum antiquae Iudaeorum tum christianorum fidei inveniri. Porro christianam fidem sive religionem divinitus revelatam esse, manifesto constat ex sigillis divinis, quibus eam insignitam esse in tractatu de vera religione luculenter demonstratur. Item vero antiqua Iudaeorum religio divinam originem habuit, utpote quae etiam sigillis divinis insignita est et quam insuper tamquam divinam ipse Christus et Apostoli agnoverunt; Christus enim de ea sollemniter declaravit: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*" (Matth. 5, 17. 18.). Et Apostolus dicit: „*Quid ergo amplius Iudaeo est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*" (Rom. 3, 1. 2.). Immo vero antiqua Iudaeorum et christiana religio unam proprie veram religionem constituunt; cum vetus illa lex nonnisi praeparatio, adumbratio, inchoatio novae legis a Christo latae fuerit: „*Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*" (Heb. 10, 1. ss.). „*Nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum*" (Ib. 7, 19.). „*Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur*" (Gal. 3, 24.). Cfr. tractat. de sacramentis in genere n. 21. Iamvero repugnat, quominus religio divinitus fundata et conservata circa fundamentale dogma, quod profitetur, turpiter erret, praesertim si eiusmodi religio ad divinam suam originem et auctoritatem comprobandam ad illa sigilla provocet; Deus enim falsam religionem sive fidem sua auctoritate confirmare vel sigillis suis munire nequit. Ergo infallibiliter verum et certum est, scripturam summam, divinam, irrefragabilem auctoritatem habere.

21. ***2. Ex doctrina Christi et Apostolorum.*** — Fidem, quam Iudaei de divina scripturae auctoritate professi

sunt, ipse Christus Dominus et Apostoli non solum non improbarunt, sed tum expressis verbis, tum tota sua ratione utendi testimoniis scripturae aperte et luculenter confirmaverunt; unde hoc argumentum exstat: *Quidquid Christus Dominus et Apostoli praedicarunt, infallibiliter verum est; atqui Christus et Apostoli divinam et inviolabilem scripturae auctoritatem instanter praedicarunt; ergo infallibiliter verum est, scripturae divinam et inviolabilem auctoritatem competere.* — *Maior argumenti* manifesta est, quin ullo modo scripturae inspiratio aut auctoritas divina supponatur; etenim infallibilis veritas praedicationis Christi et Apostolorum ex divina eorum legatione evidenter consequitur; haec autem in tractatu de vera religione probata est. *Minor facile probatur:*

22. *1) Testimonio ipsius Christi.* — Imprimis ipse Christus Dominus contra Iudaeos ex scriptura tamquam ipsius Dei verbo vel testimonio divinam suam missionem comprobat: „*Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed haec dico, ut vos salvi sitis . . . Ego autem habeo testimonium maius Ioanne . . . Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me . . . Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me . . . Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis!*“ (Ioan. 5, 34 ss.). — Deinde saepe urget singula scripturae testimonia tamquam necessario implenda: „*Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur*“ (Matth. 26, 24.). „*Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis*“ (Ib. 31.). „*Quomodo ergo implebuntur scripturae, quia sic oportet fieri?*“ (Ib. 54.). „*Assumpsit autem Iesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis*“ (Luc. 18, 31.). „*Et*

ipse dixit ad eos: O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant" (Luc. 24, 25. ss.). *„Non de omnibus vobis dico; ego scio, quos elegerim; sed ut adimpleatur scriptura: qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum"* (Ioan. 13, 18.). — Praeterea etiam daemoni tentanti scripturam opponit: *„Qui respondens dixit: Scriptum est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei . . . Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum . . . Tunc dicit ei Iesus: Vade satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies"* (Matth. 4, 4. ss.). — Denique in sermone montano totam scripturam infallibiliter adimplendam esse sollemniter asseverat: *„Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen, quippe dico vobis; donec transeat coelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant"* (Matth. 15, 17. 18.).

23. 2) *Testimonio Apostolorum.* — Aeque manifesta est Apostolorum de divina scripturae auctoritate praedicatio. Et *imprimis* quidem sive totam scripturam sive testimonia scripturae singula tamquam ipsius Dei verba proponunt, vel Deum per scripturam sive scriptores sacros loquentem exhibent: *„Quia credita sunt illis* (Iudaeis scilicet) *eloquia Dei* (i. e. s. scriptura) (Rom. 3, 2.). *„Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit: . . . Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda . . . Scriptum est enim in libro Psalmorum* (Ps. 68. et 108.): *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui inhabitet in ea, et episcopatum eius accipiat alter* (Act. 1, 15. 16.). *„Qui* (Apostoli), *cum audivissent, levaverunt vocem ad Deum et dixerunt: Domine tu es, qui Spiritu Sancto per os David pueri tui dixisti* (Ps. 2.). *Quare fremuerunt gentes"* (Act. 4, 24.). *„Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius non*

reversurum in corruptionem, ita dixit (Is. 55, 3.): *Quia dabo vobis David sancta fidelia. Ideoque et alias dicit* (Ps. 15.): *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*" (Act. 13, 34. 35.). „*Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis . . . Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit* (Ps. 96.): *Et adorent eum omnes angeli Dei*; *et ad angelos quidem dicit* (Ps. 103.): *qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem* (Ps. 44.): *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi. Et* (Ps. 101.): *Tu in principio Domine terram fundasti . . .*" (Heb. 1, 1. ss.). „*Dixit enim in quodam loco de die septimo sic* (Gen. 2, 2.): *Et requievit die septimo ab omnibus operibus suis*" Hebr. 4, 4.).

Hinc *secundo* consuetis citandi formulis: *scriptura dicit,* **24.** *scriptum est*, quae in N. T. centies et pluries occurrunt. scripturae testimonia inducunt tamquam argumenta irrefragabilis auctoritatis, cui plenum mentis obsequium recusare nefas sit: „*Causati enim sumus, Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam*" (Rom. 3, 9. 10.). „*Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam*" (Ib. 4, 3.). „*Dicit enim scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur*" (Ib. 10, 11.). „*Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*" (Ib. 14, 10. ss.). „*Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno*" (Gal. 3, 13.). „*Quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur*" (1. Cor. 1, 31.). „*Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in saeculum saeculi*" (2. Cor. 9, 9.). „*Scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus suum*" (1. Pet. 1, 16.).

Quae cum ita sint, etiam minor argumenti supra facti **25.** manifesta et; quare divina et inviolabilis scripturae auctoritas negari nequit, quin etiam divina Christi et Apo-

stolorum legatio et cum ea veritas fundamentalis ipsius religionis christianae negetur.

Nota: Argumentum ex praedicatione Christi et Apostolorum ductum de scriptura solius veteris testamenti valere videri posset; quia tantum ex vetere testamento testimonia adducunt. Verumtamen argumenti vis indirecte saltem etiam ad novum testamentum extenditur; etenim cum nomine scripturae etiam eiusdem auctoritatem iam Apostoli ad novum testamentum extenderunt. Sic S. Petrus coapostoli sui Pauli epistolas ad scripturas pertinere clare significat: „*Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini*: *sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his*: *in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem*“ (2. Pet. 3, 15. ss.). Ceterum *S. Paulus*, aliquem versum Lucae (10, 7.) formula *scriptum est* (1. Tim. 8, 18.) ideoque tamquam ad scripturam pertinentem citat. Denique ecclesia ab initio in aequali semper aestimatione et reverentia cum vetere testamento etiam novi testamenti libros habuit.

Thesis 10. Scriptura sacra, Spiritu Sancto inspirante conscripta, Deum habet auctorem.

Declaratio.

1. ***1. Argumentum thesis.*** — Cum in praecedenti thesi divina scripturae auctoritas asserta sit, in praesenti iam inquiritur, unde ei tanta auctoritas conveniat et derivetur. Iamvero considerandum est, ex triplici ratione alicui libro divinam auctoritatem convenire posse: Et *primo* quidem liber aliquis divinam auctoritatem habere vel divinus esse potest ratione materiae, quia revelationem divinam continet, quamvis scriptio libri mere humana fuerit; qua ratione v. g. catechismi doctrinam revelatam continentes et exponentes divini dici possunt. *Secundo* aliquis liber divinus esse potest

tum ratione materiae tum ratione scriptionis, quatenus per assistentiam supernaturalem Spiritus Sancti omnis error in scriptione praecavetur, quamvis eadem ceterum ab homine autonome agente procedat, ideoque homo scribens principalis et proprius auctor libri maneat; qua ratione v. g. epistola dogmatica a Summo Pontifice propria manu conscripta divina dici potest. *Tertio* aliquis liber divinus dicitur et est strictiore modo ratione scriptionis, quatenus haec efficienter a Deo tamquam causa principali et ab homine tamquam instrumento ad scribendum moto et in scribendo directo procedit; qua ratione Deus principalis libri auctor in proprio sensu evadit. Haec Dei in hominem operatio inspiratio est, atque eadem, prout in concreto est, primum et secundum modum, quo aliquis liber divinus esse potest, vel supponere vel includere intelligitur.

Porro hoc tertio modo scripturam sacram divinam esse **2.** in praesenti thesi asseritur et vindicatur; haec enim est ipsa doctrina catholica, prout v. g. in *Concilio Vaticano* proposita est. Enumeratis enim libris scripturae, qui in Tridentino canone continentur, sic declarat sacra synodus: „Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt“ (Constit. *Dei Filius* c. 2.). Ad genuinam vero huius declarationis intelligentiam ea conferunt, quae theologi Vaticani ad huius definitionis schema concilio propositum adnotarunt: „Declaratur imprimis, quis sensus non sit genuinus dogmatis, secundum quod omnes libri scripturae credendi sint sacri et canonici. Duplex nimirum error expresse designatur: primum (? . . . s) eorum, qui vel universim vel de aliquibus libris inter illos, quos omnes cum omnibus suis partibus Concilium Tridentinum sacros et canonicos esse definivit, affirmant eos primitus scriptos esse tantummodo ingenio et industria humana, sed propter res, quas continent, ab ecclesia sive iam mosaica sive christiana inter libros canonicos

recensitos esse, et eatenus habendos esse ut sacros: tum excluditur error alter, quo libri scripturae non ratione originis ipsorum librorum, seu ratione scriptionis, sed solum ratione materiae, quod sine errore continent veritates revelatas, sacri et divini esse dicuntur. Sequitur deinde positiva approbatio doctrinae catholicae, quo sensu omnes libri scripturae et ob quam rationem eis intrinsecam fuerint ab ecclesia sacri declarati et iam hoc ipso in canonem relati. Ratio nimirum est ex divina origine sive scriptione ipsorum librorum. Haec vero scriptio divina declaratur, quod 1) libri sunt inspirante Spiritu Sancto conscripti. Erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad ipsos libros scribendos. 2) Ex hoc ipso, quod actio Spiritus Sancti referebatur ad scribendos libros per homines ad hoc opus inspiratos, ipsi libri sunt et ab Apostolo dicuntur scriptura divinitus inspirata. 3) Denique actio illa inspirationis erat huiusmodi, ut Deus sit librorum auctor seu auctor scriptionis, ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant scriptum verbum Dei" (cf. *Granderath*, constitutiones dogmaticae Concilii Vaticani p. 47.).

3. ***2. Obvia explicatio notionum auctoris, inspirationis, verbi Dei.*** — Cum notiones auctoris libri, inspirationis, verbi Dei inferius, ubi de natura vel essentia inspirationis agitur, accuratius explicandae sint, nihilominus hoc loco quaedam circa has notiones praenotanda sunt ad meliorem demonstrationis instituendae intelligentiam.

1) Notio auctoris. — Circa hanc notionem imprimis advertendum est, auctorem alicuius rei non dici quamcunque rei causam efficientem, sed eam solum, quae per intellectum et voluntatem agat. Praeterea, si Deus auctor esse dicitur s. scripturae, non solum universalis ille influxus, quo ad omnes effectus creaturarum efficienter concurrit, sed specialis et supernaturalis influxus asseritur, quo Deus etiam causa particularis proxima et propria scripturae exsistit. Deinde cum causa efficiens proxima et propria in principalem, quae effectum virtute propria attingit, et instrumentalem, quae

in virtute prioris eam moventis agit, recte dividatur: auctor necessario causa principalis esse intelligitur, atque hinc, cum scriptura auctores humanos quoque habeat, Deus eiusdem auctor sive causa principalis esse intelligitur. Denique igitur Deus auctor est s. scripturae, in proprio sensu huius vocis, quatenus auctor non solum principium est doctrinae in libro contentae, sed ipsius libri vel scriptionis quoque causa exstat.

2) Notio inspirationis. — Cum secundum modum loquendi **4.** ecclesiasticum inspiratio generatim dicat supernaturalem Spiritus Sancti influxum, quo homo in iis, quae ad salutem pertinent, moveatur; inspiratio scripturae ea supernaturalis Spiritus Sancti actio in scriptores humanos esse intelligitur, qua praecise ipse Deus scripturae causa principalis sive auctor constituitur, cui scriptor humanus tamquam instrumentum inserviat. Tria vero in hac inspiratione discernenda sunt: causa efficiens est Spiritus Sanctus supernaturaliter operans; ubi notandum est, eam operationem Spiritui Sancto per appropriationem solum tribui, cum tamquam actio Dei ad extra tribus personis realiter communis sit; deinde subiectum inspirationis homo est, qui per eandem organum sive instrumentum Spiritus Sancti evadit; denique terminus inspirationis ipsa scriptura est, quae ea inspiratione et consequenti humani scriptoris tamquam instrumenti operatione efficitur ideoque rationem libri Dei vel verbi Dei habet.

3) Notio verbi Dei. — Sicuti quivis liber verbum vel **5.** locutio quaedam sui auctoris est, ita etiam scriptura rationem locutionis divinae vel verbi divini habet. Cum vero locutio sit actio Dei per se ordinata ad manifestandum conceptum divinae sapientiae hominibus (cf. Tractat. de vera religione th. 14. n. 20. ss.) ideoque tum mere interna tum variis modis externa esse possit, scripturam sacram rationem locutionis divinae vel verbi divini habet, quatenus praecise scripta est; vel verbum Dei non solum continet, sed verbum Dei scriptum est. Hoc enim inde intelligitur, quod secundum verba concilii Vaticani relata scriptura Spiritu Sancto conscripta est et insuper ex demonstratione iam instituenda patebit.

6. *Notandum solum superest*, tria modo explicata, scilicet scripturam habere Deum auctorem, eam esse a Deo inspiratam, atque eandem verbum Dei scriptum esse, formaliter quidem distingui posse; verum, prout ab ecclesia usurpantur, intime connexa et inseparabilia sunt: immo obiective et prout ipsam scripturam afficiunt, plane unum idemque sunt. Quare etiam non singillatim sed per modum unius simul demonstrantur.

Demonstratio.

7. ***1. Probatur ex praedicatione magisterii authentici.*** — Doctrinam catholicam de inspiratione scripturae iam inde ab antiquitate quavis aetate a magisterio authentico propositam esse, clare apparet ex diversis fidei professionibus, sollemnibus definitionibus aliisque documentis. Imprimis[1]) huc pertinet *decretum Gelasianum*, cuius tamen pars de scriptura agens potius ad Damasum papam et concilium Romanum sub eo a. 382. celebratum referenda esse videtur. In prologo vero huius de scripturis declarationis haec leguntur: „Ad discutiendas vel intelligendas scripturas, quas in novo vel in vetere testamento a pluribus editas (novimus) illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: Prophetias, inquit nolite spernere, omnia autem probate, ut *plenius Dei operatione credamus illas esse conditas*" (Migne 59, 165.).

8. In *„statutis ecclesiae antiquis"*, quae immerito quidem concilio carthaginensi IV. tribuuntur, sed eiusdem fere aetatis esse videntur, haec quaestio episcopo ordinando facienda praescribitur: „Quaerendum etiam ab eo, si *novi et veteris testamenti, i. e. legis et prophetarum et apostolorum, unum eundemque credat auctorem et Deum*" (Mansi, coll. conc. 3, 950.). Haec quaestio contra Manichaeos aliosque dirigebatur, qui Deum solius novi testamenti auctorem, antiqui vero testamenti malum spiritum conditorem esse affirmabant (cf. *Augustinus*, c. Faustum; et *Epiphanius*, haeres. 66.): quare illa quaestione doctrina catholica certo exprimitur.

[1]) Antiquiora quaedam documenta, sc. symbolum Constantinopolitanum atque aliud ab Athanasio relatum conferri possunt apud Pesch n. 135.

Patres *Concilii oecumenici V.* reiecerunt Theodori Mopsue- **9.**
steni opinionem, secundum quam libri Salomonis „*scripti non sint per gratiam propheticam,* sed per gratiam prudentiae, quae evidenter altera est praeter illam"; item improbarunt eundem haereticum, quod reiecerat librum Iob „*contra conscriptorem eius, idest, Spiritum Sanctum,* dicens, quod pagana sapiens hunc librum conscripsit"; denique iterum eundem reiecerunt asserentem: „Non oportet collaudare codicem Cantici Canticorum, sicut *habentem propheticam dictationem* bonorum ecclesiae" (Mansi, l. c. 223. ss.). Quamvis vero in his Patrum illorum effatis definitio dogmatica non contineatur, nihilominus eorundem et communem illius aetatis de inspiratione scripturae fidem clare manifestant.

In professione fidei a Leone IV. Petro patriarchae electo **10.**
Antiocheno proposita haec leguntur: „*Credo etiam novi et veteris testamenti, legis et prophetarum et apostolorum, unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem*" (D. n. 296.). Haec verba, ut ex litterali consensione patet, nihil aliud sunt, quam responsio ad quaestionem in „*statutis ecclesiae antiquis*" propositam et supra relatam; item eadem verba in *professione Michaelis Palaeologi* continentur (D. 386.): atque tandem eadem verba etiam in *Pontificale Romanum* transierunt, utpote in quo ultima quaestio examinis episcoporum est: „*Credis et prophetarum et apostolorum, unum esse auctorem, Deum et Dominum omnipotentem?*" Denique etiam professio fidei praescripta Waldensibus ad ecclesiam reducibus ab Innocentio III. eandem circa scripturam sacram fidem fere iisdem verbis complectitur: „*Novi et veteris testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum,* qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit" (D. n. 367.). Illi enim haeretici Manichaeorum absurdum de scriptura errorem renovaverunt.

In *Concilio Florentino* eadem fides verbis adhuc clari- **11.**
oribus et expressioribus proposita est in decreto pro Iacobitis: „Sacrosancta Romana ecclesia . . . *unum atque eundem Deum veteris et novi testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem*

Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: (Sequuntur libri canonis). Praeterea Manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium; et alium novi testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerunt" (D. n. 600.). Cum enim in hoc decreto Deus *auctor utriusque testamenti* dicitur, auctor librorum utriusque testamenti esse declaratur. Id enim primo patet ex inciso declarationis causa immediate submisso: *hoc est, legis et prophetarum atque evangelii*; quia terminus *auctor prophetarum* nonnisi de libris propheticis accipi potest; quare ex aequo etiam librorum legis et evangelii auctor dicitur. Praeterea idem eluget ex eo, quod *Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti locuti esse* dicuntur; nam de locutione non ore, sed scripto edita sermonem esse ex contextu patet, utpote in quo illa inspiratio tamquam ratio exhibetur, ob quam ecclesia eorum *libros suscipit et veneratur*.

12. Synodum Florentinam excepit atque presse secutum est *Concilium Tridentinum* in suis de s. scriptura declarationibus: „Sacrosancta, oecumenica et generalis Tridentina synodus . . . perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi testamenti, *cum utriusque unus Deus sit auctor* necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur" (Sess. 4.). „. . . Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit" (Ibid.). Iamvero ex hoc decreto quaenam mens Patrum congregatorum de scripturae inspira-

tione fuerit, satis patet, etsi expressa definitio de inspiratione eodem decreto non proponatur. Videlicet eandem ac praecedentia concilia fidem profitentur. Etenim *primo* decretum hoc Tridentinum efformatum est ad normam concilii Florentini; ab hoc autem concilio terminus *auctor veteris et novi testamenti* intellectus est *auctor* librorum novi et veteris testamenti; ergo eadem ratione idem terminus a concilio Tridentino adhibitus interpretandus est. *Praeterea* quod Deus utriusque testamenti auctor est, tamquam ratio exhibetur, ob quam libri utriusque testamenti ut sacri et canonici suscipiendi sint; iamvero haec ratio eatenus subsistit, quatenus auctor utriusque testamenti idem dicit atque auctor librorum utriusque testamenti; ergo. *Denique* concilio imprimis propositum erat, praeter scripturam etiam traditionem eiusque valorem dogmaticum inculcare, unde dicit, se „pari pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari omnes libros tam veteris quam novi testamenti, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas". Cum igitur traditiones, sane ut primo communicatae sunt, a Spiritu Sancto dictatae sive verbum Dei traditum esse dicantur, etiam scripturae, ut primo communicatae vel conscriptae sunt, a Spiritu Sancto dictatae vel verbum Dei scriptum sint oportet. Quae interpretatio ex actibus concilii eiusque historia optime confirmatur (cf. *Theiner*, acta concilii Tridentini I, 71. ss.; *Pallavicinus*, historia concilii Tridentini, l. 6. c. 14. n. 13.).

13. Denique *concilium Vaticanum* doctrinam a praecedentibus synodis iam propositam sollemnioribus verbis definivit. Decreto iam supra allato, hoc loco solum addendus est canon quartus de revelatione: „Si quis sacrae scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos *divinitus inspiratos* esse negaverit, anathema sit" (D. n. 1656.).

14. Iam ex his omnibus magisterii authentici declarationibus evidenter fluit conclusio, quam ponit *Cardinalis Franzelin:* „Formula igitur, Deus est auctor librorum scripturae sacrae,

dogmatica est ad exprimendum modum, quo scriptura haberi debeat divina" (Thes. 2, I. in fine.).

15. *2. Ex sacra scriptura.* — Imprimis facile huc accommodantur et in argumenta convertuntur plura scripturae documenta in praecedenti thesi iam allata. Verum ne in nimiam argumentatio excrescat molem, ea hic innuere tantum satis erit. Itaque *primo* Christus et Apostoli Iudaeorum fidem de sacra scriptura nunquam improbarunt, sed potius luculenter confirmarunt; iamvero Iudaei eam scripturae inspirationem credebant, qua Deus scripturae principalis causa efficiens sive auctor est, cui humani scriptores nonnisi ut organa vel instrumenta inserviunt; quod facile patet testimoniis Iosephi Flavii, Philonis aliisque paulo accuratius consideratis: ergo. — *Secundo* Apostoli et generatim Iudaei in pari reverentia omnes libros habebant atque parem omnibus auctoritatem tribuebant, qui ad illam collectionem nomine scripturae, scripturarum etc. appellatam pertinebant; atqui de nonnullis horum librorum ipsa veteris testamenti scriptura testatur, eos divinitus inspiratos Deum habere auctorem, ut patet v. g. ex Ex. 17, 14; 34, 27; Is. 8, 1.; 30, 8; 34. 16.; praes. 36. per tot.; Hab. 2, 23.; Ez. 24, 2.; Dan. 8, 26; 12, 4; Ierem. 30, 2. Ergo tota scriptura sacra Spiritu Sancto inspirante Deum auctorem habet. — *Tertio* Christo et Apostolis scriptura sacra est scriptura ipsius Dei, singula eiusdem testimonia ipsius Dei oracula sunt, unum idemque est, quod scriptura dicit et quod Deus dicit; iamvero haec omnia eatenus sibi constant, quatenus s. scriptura divinitus inspirata Deum auctorem habet; ergo. Cf. *Franzelin*, th. 2.; *Pesch*, n. 1. ss.; 12. ss.; 377. ss.; *De San* n. 257. ss. — Verum iam expressius et enucleatius thesis ex scriptura demonstratur argumento triplici:

16. *1) Ex modo citandi scripturas in novo testamento.* — Quod argumentum fere coincidit cum ultimo ex tribus modo indicatis, vel eiusdem luculentiore evolutione continetur. Eiusdem vero vis in eo est, quod testimonia scripturae, formaliter quatenus in scriptura consignata sunt, a Christo et Apostolis Deo tamquam proprio et principali auctori tribuuntur. Quod

ut pateat, quadruplex citandi modus notandus et considerandus est:

Itaque *primo* Deus exhibetur in scripturis et per scripturas loqui ita, ut Deus tamquam auctor principalis in recto, homo vero tamquam instrumentum in obliquo ponatur: „*Oportet impleri scripturam* (τὴν γραφὴν ταύτην), *quam praedixit Spiritus Sanctus per os David*“ (Act. 1, 16.). Deinde: *Domine . . ., qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: quare fremuerunt gentes*“ (Act. 4, 25.). Item: Deus „*promiserat* (evangelium) *ante per prophetas in scripturis sanctis*“ (Rom. 1, 2.).

Secundo ordine inverso homo in recto, Deus vero in **17.** obliquo ponitur ea tamen ratione, ut Deus tamquam causa principalis, homo tamquam instrumentum appareat. „*Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: dixit Dominus Domino meo*“ (Matth. 22, 43.). „*Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo*“ (Marc. 12, 36.). Hac vero inversa forma eundem sensum prodi ex communi usu loquendi per se manifestum est; insuper id ipsum constat ex 2. Reg. 23, 2: „*Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam;*“ utpote quibus verbis declaratur, quid sit: *loqui in Spiritu, dicere in Spiritu Sancto.*

Iamvero hi duo citationis modi non intelliguntur nec subsistunt, nisi Deus testimoniorum citatorum per hagiographum tamquam instrumentum auctor sit, quatenus eadem scripta sunt. Etenim testimonia citata secundum externam formam non sunt verba Dei ab hagiographo relata, sed sententiae ab hagiographo scriptae (scriptio enim quoque modus locutionis est); iamvero eiusmodi sententiae ab hagiographo scriptae falso Deo tribuerentur, nisi eorum per hagiographum tamquam instrumentum auctor proprius et principalis esset: ergo. — Idem adhuc magis dicendum est de sequentibus citationis modis.

Tertio enim quae scriptura dicit vel hagiographus **18.** scripsit, simpliciter tamquam a Deo dicta exhibentur: „*Dixit*

Deus in quodam loco de die septima sic: et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis . . . Iterum terminat (ὁρίζει *determinat*) *diem quendam: . . . Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*" (Heb. 4, 4. ss.). „*Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis prae participibus tuis. Et: in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli etc.*" (Heb. 1, 6. ss.).

19. *Quarto* imo vero ordine inverso, quae nec dici possunt nec dicta sunt nisi a Deo, a scriptura dicta esse perhibentur: „*Providens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: quia benedicentur in te omnes gentes*" (Gal. 3, 8.). „*Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*" (Ioan. 7, 38.). „*Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra*" (Rom. 9, 17.). „*Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae*" (Gal. 4, 30.).

Atqui his quoque citandi modis Deus tamquam proprius scripturae auctor exhibetur, ut facile patet modo loquendi in quotidiano exemplo considerato. Sic sententiae in opere Ciceronis scriptae tamquam verba Ciceronis non considerantur neque termino citationis: *Cicero dixit* vel *dicit*, inducuntur, nisi quia et quatenus Cicero eiusdem operis proprius auctor est; et vice versa verba, quae a solo legislatore procedere possunt, libro alicui tribui non possunt, nisi quia et quatenus hic liber a legislatore procedit.

20. *Quinto* denique Deus verba scripturae nunc, forma temporis praesentis adhibita, enuntiare exhibetur. Huc pertinent plura ex testimoniis modo allatis atque insuper multa alia, ut v. g.: „*Non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis:*

ego sum Deus Abraham . . .:" (Matth. 22, 31.). „*Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas*" (Heb. 10, 15. ss.). „*Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*" (Heb. 1, 7.).

Iamvero in praesenti vel forma temporis praesentis adhibita per sententias alicuius libri simpliciter loqui non dicitur nisi auctor eiusdem libri considerati praecise, ut scriptus est. Quod manifesto patet considerato iterum modo loquendi vel citandi communi: *Cicero dicit de officiis*, l. 3. c. 2.: *Horatius dicit de arte poëtica* l. 1. v. 25. etc. Ergo Deus hoc ultimo modo citandi manifestissime tamquam auctor sacrae scripturae exhibetur praecise, quatenus ea scripta est.

2) *Ex 2. Tim. 3, 14.* — Apostolus hoc loco discipulum **21.** suum Timotheum hortatur, ut constans in fide perseveret; tamquam rationem vero vel medium huius perseverantiae lectionem scripturae a Timotheo institutam proponit, atque eiusdem scripturae excellentiam praedicat: „*Tu vero* (Timothee) *permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris; et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*". In textu graeco ultima sententia sic habet: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρός ἐλεγμὸν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Iamvero hoc testimonio divina totius scripturae inspiratio claris et expressis verbis ab Apostolo docetur, quod evidentius patet his secundum ordinem notatis.

a) Terminus *omnis scriptura* sumi nequit modo indefi- **22.** nito et abstracto vel conditionali ita ut sensus sit: Si qua scriptura divinitus inspirata est etc., sed manifesto sensu con-

creto et determinato ad collectionem ss. librorum refertur. Etenim *primo* hic terminus, ut supra dictum est, iam ea aetate, nomen excellentiae erat, quo illa concreta ss. librorum collectio designabatur eisque singularis et divina auctoritas tribuebatur; maxime vero ipse Apostolus perpetuo in suis epistolis nomen scripturae hoc modo tamquam nomen excellentiae usurpat. *Praeterea* idem ex elogio patet, quod de scriptura, quae in quaestione versatur, Apostolus facit: hoc enim elogium rationabiliter tantum ad concretos libros referri potest, de quorum praestantia constat, non vero in abstracto librum quemvis inspiratum respicit, quia illa praestantia laudata non essentialiter et necessario inspirationem qua talem consequitur. *Deinde* eodem hoc elogio Apostolus rationem reddit dignitatis et praestantiae sacrarum litterarum, de quibus immediate antea dixit: „*sacrae litterae, quas ab infantia nosti, te possunt instruere ad salutem*", ideoque hae *sacrae litterae* et illa scriptura unum idemque sunt: terminus sacrae litterae vero ad totam collectionem sacrorum librorum ea aetate exstantem refertur; ergo pariter terminus *scripturae. Denique* ille sensus conditionalis excluditur a textu graeco, utpote in quo terminus θεόπνευστος aliter ac in textu latino terminus *divinitus inspirata* non est appositum subiecti, sed praedicatum.

23. b) Dubitatio nulla esse potest, Apostolum docere scripturam inspiratam esse *sub formali ratione scripturae* sive quatenus scripta est. Etenim singulos illos effectus salutares, quos simul cum inspiratione eiusdem extollit, scriptura in Timotheo nec habet nec habere potest, nisi quatenus legitur ideoque quatenus praecise scripta est. Ceterum verba Apostoli in se spectata idem satis enuntiant.

24. c) Scriptura dicitur divinitus inspirata θεόπνευστος. Hoc vocabulum θεόπνευστος in sacra scriptura hoc solo loco adhibetur. Item apud alios auctores antiquos rarissime occurrit; in summa quatuor tantum loci a lexicographis citantur: *primo* apud Plutarchum (de plac. philos. 5, 2.) legitur: τοὺς ὀνείρους τοὺς θεοπνεύστους κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι, τοὺς δὲ φυσικοὺς ἀνειδωλοποιουμένης ψυχῆς τὸ συμφέρον

αὐτῇ etc.; hoc autem opus recenter ex philosopho Aëtio c. a. 100. p. Chr. n. compilatum esse dicitur. *Secundo* in Phokilidea (v. 121.) haec sententia invenitur: τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος; haec vero Phokylidea carmen didacticum est, a Iudaeo Alexandrino circiter inter saeculum secundum et Neronis aetatem compositum; nomen autem inde habet, quod falso Phokylidi poëtae tributum est. *Tertio* idem terminus θεόπνευστος bis in carminibus Sybillinarum occurrere videtur (l. 5. v. 308. et v. 406.). Quaecunque autem in his duobus ultimis locis eiusdem termini significatio est, in prioribus duobus locis θεόπνευστος certo idem est ac *inspiratus*, cum in primo de somniis a Deo immissis sive inspiratis, in altero de sapientia a Deo inspirata manifesto sermo sit.

Quae cum ita sint, terminus θεόπνευστος apud S. Paulum **25.** idem significare *potest*, etiamsi solus usus profanus huius vocabuli attendatur. Item eandem significationem habere *potest* spectatis ethymologia et forma grammatica: etenim ex θεὸς et πνέω vel potius huius verbi adiectivo verbali πνευστός compositum est, quae prima forma adiectivi verbalis sensum participii perfecti passivi habet; unde θεόπνευστος eodem plane modo formatum est ac θεοδίδακτος, qui terminus item solum apud S. Paulum et semel quidem occurrit (1. Thess. 4, 9.) et nihil aliud significat, quam *a Deo instructus*. — Si vero testimonium 2. Tim. 3, 16 cum aliis eiusdem s. scriptoris de scriptura testimoniis iam allatis comparemus, omnino certum est, S. Paulum terminum θεόπνευστος in sensu statuto i. e. pro *inspiratus* reipsa usurpare. Insuper idem dogmatice saltem certum est ex authentia Vulgatae editionis, utpote quae secundum decretum Tridentinum textus dogmaticos fideliter reddere credenda est.

Haec de termino θεόπνευστος notanda erant propter **26.** rationalistas quosdam, qui significationem statutam reiicientes significari volunt: *spiritu Dei afflatus*, *spiritu Dei insignitus*, *Spiritum Dei spirans*. Verum huius suae assertionis rationes solidas nullas reddunt. Dicunt quidem *primo* apud Plutarchum probabiliter fuisse scriptum θεοπέμπτους et terminum

θεοπνεύστους non auctori, sed scribae cuidam potius adscribendum videri, et pariter totum illud incisum ex Phokylidea tamquam interpolatum delendum esse. Sed haec potius suspicantium et coniicientum, quam demonstrantium verba sunt. Ceterum etsi apud Plutarchum fuerit θεοπέμπτους, tunc saltem consequitur ex θεός et πέμπω regulariter omnino et optime formari θεόπνευστος = divinitus inspiratus, sicut ex θεός et πέμπω recte formatur θεόπεμπτος = divinitus missus. — *Secundo* dicunt, in locis ex carminibus Sybillinarum adductis termino aliam significationem subesse. Id vero nequaquam illico clarum et certum est illis textibus accuratius consideratis. Praeterea significatio a rationalistis adducta non excludit eam, quae a nobis statuta est, sed potius ex eadem consequitur vel eam supponit. Ceterum nihil refert, si in carminibus Sybillinarum terminus in significatione illa consequenti adhibeatur, cum apud Plutarchum et in Phokylidea certissime in significatione *divinitus inspiratus* adhibeatur. Denique significatio, quam adversarii urgent, ideo etiam textui Paulino vix supponi potest, quia omnis scriptura (i. e. omnis liber et omnis textus) nequaquam dici potest *spiritu Dei insignitus, spiritum Dei spirans*, cum saepe valde modesta potius sit et nonnumquam non res sublimes neque sublimi stilo sed res humiles potius et stilo humili tractet.

27. d) Affirmat Apostolus scripturam esse inspiratam quoad omnes partes. Etenim terminus *inspiratus* θεόπνευστος aut sumitur ut praedicatum, ut fit in antiquis editionibus Vulgatae ante Clementinam factis et in graecis editionibus et codicibus: πᾶσα γραγή (ἐστιν) θεόπνευστος καὶ ὀφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν etc. aut vero sumitur tamquam adiectivum vel appositum subiecti proprietatem declarans, ut habetur in Clementina Vulgata editione: iamvero in utroque casu proprietas iam implicite comprehensa in ipso nomine *scripturae* explicite de eadem affirmatur sive in recto per praedicatum sive in obliquo per appositum. Si terminus *divinitus inspirata* θεόπνευστος tamquam adiectivum sumitur res ita concipienda est: Omnis scriptura utpote divinitus inspirata, utilis est etc.; si vero tamquam praedicatum, ut evidens

est, sic: Omnis scriptura est divinitus inspirata, utilis etc. Haec inspiratio ab Apostolo singulis scripturae partibus tribui intelligitur. Etenim terminus *omnis* aut secundum phrasin graecam πᾶσα γραφή sine articulo sumitur distributive et tunc sensus est: Unaquaeque scriptura ex tota illa collectione inspirata est (Jede Schrift): aut collective pro tota collectione sumitur ita ut sensus sit: Tota illa collectio librorum sacrorum divinitus inspirata est (Die ganze Schrift). Manifestum igitur est, in alterutro casu non proprie aliam et aliam significationem, sed alium et alium modum significandi haberi: altero inspiratio immediate singulis partibus et mediate toti collectioni, altero vero immediate toti collectioni et mediate singulis partibus tribuitur.

e) Denique ex his omnibus manifesta est conclusio in- **28.**
tenta: Tota scriptura ita Spiritu Sancto inspirante conscripta est, ut Deum auctorem habeat. Etenim libri, qui Deo inspirante ab homine conscribitur, causa principalis non homo inspiratus, sed Deus inspirans est, utpote qui homine in ea operatione tamquam organo vel instrumento utitur. Quod aperto confirmatur ex descriptione huius influxus inspirativi, quam scriptura alibi exhibet. Videlicet propheta vel scriptor sacer dicitur *vir spiritualis vel spiritus* ἄνθρωπος πνευματόφορος, quia *Spiritum habet et ab eo movetur et agitur.* Actio vero haec in prophetam in eo est, quod *Spiritus Dei irruit, insilit in prophetam*, et in eum quidem finem *ut hominibus divinae sapientiae consilia communicet.* Hinc propheta est *velut os Domini, habet verba Dei in ore suo, numine plenus, afflatus, actus est, in spiritu Dei loquitur.* (Os. 11, 7.; Ez. 11, 5,; ib. 4. 16.; 1. Reg. 10, 10.; Ier. 15, 19.; 1, 9.; 5, 14.; Is. 6, 7.; 58, 14.; Num. 2, 1.; 2. Reg. 23, 2.; Mich. 3, 8,; Zach. 7, 2. 12.; Esd. 9, 30.).

Quae cum ita sint, „satis apparet, inspirationem active **29.**
esse ipsam supernaturalem actionem Dei in hominem, qua eum evehit, promovet et permovet ad manifestandum seu efferendum id, quod Deus vult: passive esse ipsum statum hominis ita affecti; denique verbum ipsum, quod homo inspiratus effert sive per actionem symbolicam sive per locu-

tionem sive per scriptionem, esse et dici inspiratum terminative, quatenus est effectus divinae operationis et inspirationis activae. Consequenter quando scriptura ipsa dicitur inspirata, inspiratio seu actio Dei intelligi debet terminative ut causa efficiens scripturae et scriptura ut effectus Dei inspirantis" (*Franzelin*, Thes. 2. n. II, 3.).

30. *3) Ex 2. Pet. 1, 19. ss.*: „*Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* — Τοῦτο πρῶτον γινγώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι. — Quibus verbis S. Petrus aeque ac S. Paulus luculentus divinae totius scripturae inspirationis testis est. Quod item facile patet nonnullis animadversionibus in hunc textum subiectis:

31. a) Apostolus hoc loco (i. e. a v. 16.) de absoluta evangelicae doctrinae certitudine agit, utpote quae non doctis fabulis, sed certo et infallibili divino testimonio innitatur. Duplex autem eiusmodi testimonium adducit: primo vocem Dei Patris in transfiguratione delapsam, quam ipse Petrus praesens audierat atque secundo propheticum sermonem sive scripturam sanctam. Hoc alterum autem testimonium Apostolus firmius dicit, non absolute et in se, cum utrumque divinum sit, sed secundum quid et relative ad Iudaeos, utpote qui divinam scripturae auctoritatem admittebant, de S. Petri vero testimonio, quamvis immerito, dubitare poterant. Ita rem explicat *S. Augustinus*: „Certiorem (firmiorem) sane esse dicit, non meliorem, non veriorem (propheticum sermonem). Tam enim verus ille sermo de coelo allatus, quam sermo propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid est ergo *certiorem*, quam ille, in quo magis confirmatur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detra-

hunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse, quae fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de coelo per coniecturas et illicitas curiositates ad magicas artes referre, sed prophetae ante fuerunt, non dico antea, ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur et mortuus, numquid magus erat, antequam natus?" (Serm. 27. de verbis Domini, c. 4.).

b) S. Petrus terminis *propheticus sermo* et *omnis pro-* **32.**
phetia scripturae primo totam sacram scripturam non vero tantum eius partes stricte propheticas designat. Quod *imprimis* patet ex more loquendi Iudaeorum, qui iam supra ex Philone relatus est; *praeterea* idem elucet ex usu loquendi ceterorum quoque Apostolorum, utpote qui etiam collectionem sacrorum librorum eadem vel simili ratione appellant *scripturas propheticas*, (Rom. 16, 26.); *scripturas prophetarum*. (Matth. 16, 56.); *Dei locutionem in prophetis* (Heb. 1, 1.): *denique* idem inde confirmatur, quod sermo est de prophetia scripturae, qua nova oeconomia a Christo fundata confirmatur; haec autem non solum libris V. L. stricte propheticis, sed etiam historicis et moralibus, saltem quatenus sensum mysticum vel typicum habent, confirmari potest et a Christo et Apostolis confirmata est. — *Secundo* Apostolus scripturam considerat non solum, ut divinam revelationem continet, sed formaliter ut est scriptura sive litteris consignata. Quod item *imprimis* ex modo loquendi Iudaeorum et ipsorum Christi et Apostolorum intelligitur; *praeterea* ex eo quoque sequitur, quod Apostolo idem est propheticus sermo et prophetia scripturae; *denique* inde etiam patet, quod ille propheticus sermo tamquam aliquid praesens et permanens exhibetur, ut verba in forma temporis praesentis adhibita ostendunt: habemus, bene facitis attendentes.

c) Iam his suppositis S. Petrus clare divinam totius **33.**
scripturae inspirationem docere intelligitur: „*Non enim voluntate humana aliquando allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*"

Cum qua sententia egregie congruit, quod alibi (Ex. 4, 16: Ierem. 15, 19; 58, 14.) sacri scriptores *os Dei* et scriptura *eloquia Dei* vocantur. Etenim tria profecto in illa S. Petri sententia exprimuntur: *Primo* tum Deus tum homo sacrae scripturae causa est. *Secundo* Deus et homines alia et alia ratione causa scripturae exstant: homo enim hac in re non autonome quidquam agit, sed tamquam organum a Spiritu Sancto sustentatum et motum operatur: quod optime exprimitur verbo φερόμενοι, cuius quippe significatio est: elevando et portando movere. Hinc *tertio* scriptura etiam ut est litteris consignata principaliter et ultimatim Deo non hominibus tamquam causae adscribenda est: *Non enim voluntate humana aliquando allata est prophetia.* Iamvero his tribus manifeste continetur, relate ad s. scripturam inter Deum et hagiographos exstare relationem causae principalis ad instrumenta. Ergo ex testimonio S. Petri s. scriptura Spiritu Sancto conscripta Deum auctorem habet.

34. *Notetur primo*, termino *voluntate humana* non esse intelligendam voluntatem presse dictam, ut ab intellectu ceterisque potentiis distincta est, sed generatim naturalis et autonoma hominis agendi potestas designatur, sive voluntate solum sive quacunque alia etiam potentia exseritur: quod satis patet ex oppositione, quae inter primum hoc et alterum illius sententiae incisum constructione intercedit.

35. *Notetur secundo*, nullam contra argumentum factum difficultatem inde oriri, quod sacri scriptores Dei inspirante *locuti esse* dicantur: ut enim iam supra dictum est, terminus *loqui* tum ex usu scripturae ipsius tum ex usu communi manifestationem non solum per vivam vocem, sed etiam per scriptionem designat (cf. Luc. 1, 63.). Qua ratione v. g. testimonia scripta S. Augustini vel S. Thomae allegamus verbis: Dicit S. Augustinus, loquitur Thomas etc. Et concilium Florentinum dicit de ipsa scriptura agens: „quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti locuti sunt.“

36. *Notetur tertio*, verba illa: „*quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit*“ ab aliis aliter explicari. Partim enim auctores asserunt, iis verbis quoque na-

turalem et humanam scripturae originem negari; partim autem ponunt doceri, interpretationem humanam scripturae non sufficere, sed in interpretatione eius Spiritus operam esse necessariam, a quo tamquam ab auctore procedit. Multo autem probabilior, immo vix non certa prima illa interpretatio esse videtur.

Notetur quarto, immerito contra hoc atque praecedens **37.** argumentum opponi, iisdem petitionem principii committi, quatenus inspiratio scripturae ex una parte illud sit, quod in quaestione versetur et demonstrandum sit, ex altera vero parte eadem inspiratio ad demonstrationis valorem supponenda sit. Etenim inspiratio scripturae nequaquam ad valorem demonstrationis supponitur, quia, ut iam dictum est, textus scripturae adducti vim demonstrativam habent, quatenus mere ut testimonia Christi et Apostolorum, legatorum divinorum considerantur. Ceterum, cum iam in praecedenti thesi divina auctoritas scripturae vindicata sit, in hac thesi et sequentibus textus scripturae merito tamquam ipsius Dei testimonia adhibentur. Insuper ea iterum conferri possunt, quae supra (th. 1. n. 12. ss.) notata sunt.

2. Ex ss. Patrum doctrina. — Quamvis iam plura **38.** Patrum testimonia in decursu huius tractatus, nominatim supra (th. 9. n. 12. ss.) adducta sint, nihilominus argumentum ex eorum auctoritate et consensu petitum hoc loco ex professo et paulo accuratius et enucleatius exponendum est ex tribus praesertim vel quatuor rationibus: *primo*, quia agitur de re gravissima vel de dogmate fundamentali religionis christianae, quod contra insultus rationalistarum ex praecipuis saltem fontibus theologicis validissimis argumentis vindicandum est; *secundo* quia ss. Patrum doctrina praecedens demonstratio ex scriptura petita maxime confirmatur, cum Patrum consensus norma interpretationis scripturae sit et synodus Tridentina decreverit, ne quis „contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam interpretari audeat“ (Sess. 4.): *tertio*, quia ex ss. Patrum testimoniis iam satis fere elucet, qua ratione inspiratio divina scripturae concipienda sit, atque sic via praeparatur et munitur ad sequentem thesin, in qua

iam essentia vel interna ratio inspirationis explicanda erit: *quarto* denique ad commendandam vel confirmandam ipsorum Patrum auctoritatem et venerationem, quia luce clarius apparebit, quanta consensione ss. Patres, sicut in alia dogmata ita etiam et imprimis in hoc inspirationis dogma inde ab origine ecclesiae semper convenerint. — Iam igitur, ut de antiquitatis fide nulla plane possit esse dubitatio, testimonia Patrum omnis aetatis et omnis regionis vel scholae producenda sunt certo tamen ordine servato et conspectu aliquo exhibito, et in fine conclusio inde deducenda est. Quae vero in praecedenti thesi iam adducta sunt testimonia, hic supponuntur.

39. 1) *Testimonia Patrum primorum saeculorum. — Iustinus M.* docet, quae in scriptura leguntur, *ab ipso Spiritu Sancto* dici atque eadem non adeo hominum hagiographorum, quam *Spiritus Sancti verba esse* (Dial. c. Tryph. n. 33. 36. 38. ss.). Unde alibi gentiles hortatur: „Quando verba prophetarum tamquam a persona aliqua dicta auditis, nolite putare ab ipsis inspiratis (ἀπ' αὐτῶν ἐμπδεπνευσμένων) dici, sed *a verbo divino, quod eos movebat.* Interdum enim praenuntiando futura loquitur, interdum tamquam ex persona Domini omnium et Dei Patris loquitur, interdum tamquam ex persona Christi" (Apol. 1. n. 36.). Denique in „cohortatione ad Graecos" si quidem ipsi non autem eius aequali adscribenda est, expressis verbis declarat, *prophetas vel hagiographos a Deo scientiam accepisse* eamque nos docuisse: quare opus fuisse dicit eos „puros se ipsos divini Spiritus operationi praebere, *ut divinum illud de coelo delapsum plectrum velut quodam citharae aut lyrae instrumento iustis hominibus utens,* divinarum nobis et coelestium rerum cognitionem recluderet" (n. 8. 9. 10.).

40. *Irenaeus* saepius inculcat, *Spiritum Sanctum per scripturam loqui*: „Praevidens Spiritus Sanctus depravatores et praemuniens contra fraudulentiam eorum per Mattheum ait" (Adv. haer. 3, 16.): immo etiam *Christi et Dei Patris verba scripturae sunt*: „Quoniam autem Moysi litterae verba sint Christi, ipse ait ad Iudaeos, quemadmodum Ioannes in evan-

gelio commemoratus est: *Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi* . . . manifestissime significans Moysi litteras suos esse sermones. Ergo Moysi et reliquorum sine dubio prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus" (Ib. 4, 2.). „Quomodo testabantur de eo scripturae, nisi ab uno et eodem essent Patre, praeinstruentes homines et praenuntiantes salutem, quae est ab eo . . . Quomodo autem scripturae testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus" (Ib. 4. 10. 11.)

Clemens Alexandrinus saepe asseverat *Deum per scrip-* **41.** *turam loqui vel eandem eloqui et eas dare*: „Sapientissimus propheta Ieremias; seu potius Sanctus in eo Spiritus Deum ostendit" (Coh. ad gent. 8). „Ipse Dominus in Isaia loquitur ipse in Elia, ipse in ore prophetarum" (Ib. 1.) „Qui in Apostolo erat, Sanctus Spiritus, Domini voce utens, dicit mystice: Lac vobis potum dedi" (Paedag. 1, 6.). „Possem tibi scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus! (Cohort. 9.) „Qui divinis ergo scripturis firmo iudicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei videlicet, qui scripturam nobis dedit, vocem accipit" (Strom. 1, 2.). Deinde sicut alii quidam Patres, ipse quoque cum Philone opinatur, sicuti ipsos hagiographos ita etiam septuaginta interpretes in vertenda scriptura inspiratos fuisse: „Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tamquam graecam efficeret propheticam" (Strom. 1. 22.)

Origenes clarissime docet divinam scripturae inspirationem **42.** atque hanc esse communem ecclesiarum fidem testatur: „Hic Deus iustus et bonus, Pater Domini nostri Iesu Christi, *legem et prophetas et evangelia ipse dedit*, qui et Apostolorum Deus est et veteris et novi testamenti . . . Sane, quod iste Spiritus (Sanctus) *unumquemque sanctorum vel prophetarum vel apostolorum inspiraverit*, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur . . . Est

praeterea in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus sit . . . tum demum, *quod per Spiritum Dei scripturae conscripta sint,* et sensum habeant non eum solum, qui in manifesto est, sed et alium quendam latentem quam plurimum" (De princ. 1, 4.). „Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros Verbi ista subiecit, ne unquam nobis latere posset ratio, secundum quam divina sapientia *omnem scripturam divinitus inspiratam* vel ad unam usque litteram attigit" (In. ps. 1. n. 4.). „Nam *operam suam conferente Spiritu Sancto accurate conscripta esse evangelia* credimus" (In Matth. 1, 16. n. 12). „Si nos accurate respondere oportet ad Celsum, opinantem eandem nostram esse ac Iudaeorum de his rebus sententiam, dicemus in confesso esse apud utrosque, *libros divino Spiritu fuisse conscriptos,* de illorum autem librorum interpretatione non eadem dicimus" (Cont. Cels. 5, 60.).

43. *Hippolytus* de prophetis loquens ait: „Hi namque omnes *Spiritu prophetico aptati et ab ipso Verbo honorati ad instar organorum habentes in se semper Verbum ut plectrum,* quo moti ea, quae Deus volebat, prophetae annuntiabant. Non enim ex sua facilitate loquebantur, neque quae ipsi volebant, haec annuntiabant, sed prius per Verbum recte instruebantur, deinde per visiones futura rite praedicebantur, tum ita certitudine accepta loquebantur ea, quae ipsis solis a Deo revelata, reliquis autem abscondita erant. Nam qua ratione propheta vocaretur propheta, nisi Spiritu praevideret futura? . . . Unde et nos ab iis praedicta bene edocti loquimur, non ex proprio nostro sensu. Neque enim ea, quae olim praedicta sunt, invicem mutare tentamus, sed eorum scripta in lucem proferentes legimus iis, qui credere possunt" (De Christo et Antichristo 2.). Quare Deus „*dedit legem et prophetas et danda coëgit hos per Spiritum Sanctum loqui,* ut *accipientes virtutis paternae inspirationem,* consilium et voluntatem Patris annuntiarent. In his igitur Verbum versabatur loquens de seipso. Iam enim ipsum suus praeco erat" (Contra Noët. 11.). Denique scripturas a Deo procedere et Deum per eas docere sic de-

clarat: „Unus Deus est, quem non aliunde, fratres, agnoscimus, quam ex sanctis scripturis. Quemadmodum enim, si quis vellet sapientiam huius saeculi exercere, non aliter hoc consequi poterit, nisi dogmata philosophorum legat: sic quicunque volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde discemus, quam *ex scripturis divinis* (ἐκ τῶν λογίων τοῦ θεοῦ). Quaecunque ergo divinae scripturae dicunt, sciamus, et quaecunque docent, cognoscamus: et sicut Pater vult credi, sic credamus, et sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus, et sicut vult donari Spiritum Sanctum, sic accipiamus. Non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes iis, quae a Deo data sunt; sed quomodo ipse per sanctas scripturas docere voluit, sic intelligamus" (Ib. n. 9.).

2) *Testimonia magnorum doctorum graecorum.* — *S. Athanasius* a quodam sene studiosissimo haec sibi de scriptura atque imprimis de psalmis praescripta esse refert atque approbat: „Omnis nostra, o fili, scriptura, cum vetus tum nova *divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est*, ut scriptum habetur . . . At liber psalmorum omnium reliquorum fructus quasi insitos in se continens cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet . . . Ceterum se non ignorare aiebat in singulis scripturae libris eadem de salvatore potissimum significari, esseque illud omnium ipsorum commune argumentum, eandemque Spiritus concordiam. Etenim sicut ea, quae in aliis exstant libris, in hoc reperire licet; ita quae in hoc sunt, in aliis saepenumero inveniuntur . . . Idem namque Spiritus est in omnibus, et secundum divisionem eius in singulis factam, unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet, sive prophetia sit, sive legislatio, sive historiae commemoratio, sive psalmorum gratia. Cum autem unus atque idem sit Spiritus, cuius sunt omnes divisiones, et qui secundum naturam indivisus est, ideo in se totus atque integer est: sed secundum subministrationem manifestationes et divisiones Spiritus singulis fiunt ac deinceps iuxta praesentem necessitatem Spiritu edoctus quisque sermonem administrat" (Ep. ad Marcellin. n. 2. 9.). **44.**

45. *Basilius* in eundem fere modum de scriptura et nominatim psalmis loquitur: „*Omnis scriptura est divinitus inspirata atque utilis,* ideo *a Spiritu Sancto conscripta*, ut velut in communi animarum curandarum officina nos omnes, quotquot sumus homines ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus. At quidquid in ceteris utile est, hic unus psalmorum liber complectitur . . . (Spiritus Sanctus) dogmatis immiscuit harmoniae dulcedinem, ut rerum auditarum iucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem nescientes perciperemus . . . O sapiens magistri inventum, qui artem, qua simul caneremus et utilia disceremus, excogitavit" (Hom. in ps. 1. init.). Et alibi: „Quod si *Spiritus in Apostolis et Prophetis loquitur, omnisque scriptura divinitus inspirata est,* dicite impiis: Quomodo Spiritus Sanctus Deus non est, cuius scriptura divinitus inspirata sit?" (Adv. Eunom. n. 5.).

46. *Gregorius Naz.* in carmine quodam de scriptura orat: „Audi Pater Christi omniscie, has preces meas. Indulge servo tuo cantum coelestem . . . Nunc veni huc et *ex libro sacro et puro sagina animam verbis divinitus inspiratis* . . . ." (carm. 35.). Et alibi de eventibus historicis in vetere testamento relatis agens dicit: „Neque putemus, haec temere conscripta esse . . . At nos, qui *diligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram extendimus* nunquam admittemus: nefas est enim, vel minima facta temere a scriptoribus enarrari et memoriae usque nunc tradi . . ." (Orat. apol. 2, 104.).

47. *Gregorius Nyssenus* sic Apostoli testimonium commentatur: „Divinitus inspirata scriptura, sicut ipsam divinus Apostolus nominat, *Sancti Spiritus est scriptura.* Huius autem voluntas et intentio hominum est utilitas. *Omnis*, inquit, *scriptura divinitus inspirata et utilis* . . . Sic nos . . . edocti ab eo qui in paradiso arcana ineffabilia didicit, quod *quaecunque sacra scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata.* Praeclare certe *Spiritus Sanctus locutus est per Isaïam* prophetam prophetans Patribus nostris (Act. 28, 25.). Hoc ad Iudaeos, qui Romae erant, cum dixit, Isaiae voces infert (Is. 6, 9. ss.). Et ad Hebraeos, cum praeposuisset Spiritum, in quibus ait: *Quapropter sicut dicit Spiritus* (Heb.

3, 7.); ille sanctus psalmi verba subiicit ex persona fuse et late dicta (Ps. 94, 84.). Et ab ipso Domino idem didicimus, quod David non in se manens, id est non secundum humanam naturam personans, coelestia annuntiabat mysteria. Quomodo enim quis homo exsistens coeleste colloquium Patris cum Filio novisset? Sed Spiritu afflatus dixit, etiam Dominum Domino loqui, quae dixit. *Si enim David in Spiritu,* inquit, *vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est?* (Matth. 22, 45.). Ergo Numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur: et *ideo omnis scriptura inspirata dicitur, quia sit divinae inspirationis doctrina.* Si corporeum involucrum circum auferatur, reliquum Dominus est, vita et spiritus, iuxta magnum Paulum et evangelii vocem" (Cont. Eunom. l. 7. init.).

Cyrillus Hierosolymitanus: „Ista vero (sc. fidei dog- **48**
mata) nos docent *divinitus inspiratae Veteris et Novi testamenti scripturae.* Unus est enim utriusque Testamenti Deus" (Catech. 4. n. 23.). „Ipse *Spiritus Sanctus elocutus est scripturas,* ipse de seipso quoque dixit, quaecunque voluit seu quaecunque capere potuimus . . . Ille et in prophetis, ille et in apostolis, in Novo Testamento. *Odio habeantur, qui Sancti Spiritus operationem separare audent.* Unus Deus Pater, Veteris et Novi Testamenti Dominus; et unus Dominus Iesus Christus, qui in Vetere prophetatus est et in Novo advenit, et unus Spiritus Sanctus, qui per prophetas de Christo praedicavit et post adventum Christi descendit eumque demonstravit. Nemo igitur a Novo Testamento Vetus separet; nullus dicat alium ibi, alium hic Spiritum esse; alioquin offendet in ipsum Spiritum Sanctum, qui cum Patre et Filio honoratur" (Ibid. 16.).

Chrysostomus imprimis luculentus traditionis testis est: **49.**
„Deus humani generis conditor, ab initio per seipsum hominibus loquebatur, eo quo homines poterant audire modo . . Sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam ergo illos amicitiam innovare volens quasi longe absentibus *litteras mittit* conciliaturus sibi universam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem

Moses . . . Igitur, obsecro, ita auscultemus, ita nostris ratiociniis longum vale dicamus, quasi haec non iam a Mose, sed per linguam Mosis ab ipso universorum Deo audiamus. (Hom. 2. in Gen. n. 2.). „Neque enim sunt verba simpliciter, *sed Sancti Spiritus verba*, et ideo magnum thesaurum invenire licet etiam in una syllaba. Attendite igitur quaeso cum diligentia . . . perpendat unusquisque nos per prophetarum linguam audire Deum nobiscum colloquentem" (Ib. 15. 1.). „Nihil scriptum est (in scripturis), quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo, *utpote a Spiritu scriptae*, ingentem in se continent thesaurum . . . Neque enim syllaba neque unus apex est in scriptura, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus. Proinde par est, nos divina gratia ductos et a Spiritu Sancto illustratos eloquia divina adire" (Ib. 21, 1.). Et iterum declarans nihil supervacaneum in scripturis inveniri ideoque eam totam consideratione dignam esse: „Quomodo enim non inconcinnum est, eum, qui ab amico epistolam acceperit, non corpus tantum epistolae legere, sed etiam salutationem in fine positam, et inde maxime scribentis affectum coniicere, cum vero scribat Paulus, vel potius non Paulus, sed *Spiritus gratia epistolam dictet* ad integram civitatem ac tantum populum et per illos ad terrarum orbem universum, arbitrari aliquid eorum, quae in ea sunt. esse supervacaneum, et simpliciter praetercurrere neque cogitare sic omnia perverti" (In verba: *Salutate Priscillam et Aquilam.* hom. 1. 1.). Similiter iterum alibi: „Deus loquitur et tu audes dicere: Nulla est dictorum utilitas" (Homil. 2. in illud *vidi Dominum* n. 2.). Denique iterum de Moyse agens: „Attende quaeso, prophetae huius (Moysis) admirabilis sapientiam: imo S. Spiritus doctrinam. Ab illo enim, ut saepe dictum est, *afflatus haec omnia eloquitur*: et linguam quidem propheta commodavit, gratia autem Spiritus Sancti per illam omnia humanum genus manifeste docet" (Ib. 21, 5.).

50. *Cyrillus Alexandrinus:* „Unus enim liber est tota scriptura et *dicta est per unum Spiritum Sanctum* . . . valde convenienter liber *scripturae divinitus inspiratae* obsignatus

est. Neque enim consentaneum erat cognitione scripturae divinitus inspiratae ditari eos, qui eam despiciebant" (In Isaiam l. 3. t. 2. v. 13.). „Qui in scripturis divinitus inspiratis historiam ut inane quid repudiant, videntur nolle ea, quae scripta sunt, eo quo decet modo intelligere. Speculatio enim spiritualis pulchra quidem est et utilis et oculos intelligentiae maxime collustrans, cordatissimos efficit. Quando vero aliquid historiae gestum per sacras litteras nobis affertur, tunc ex historia utilitatem capere decet, ut undique nos scriptura divinitus inspirata salvans et iuvans appareat" (Ib. l. 1, or. 4. c. 7. v. 1.) „Salutis fontes esse dicimus sanctos prophetas et evangelistas et apostolos, qui verbum supernum et coeleste et salutare mundo impertiunt, *assistente illis Spiritu Sancto* et ita totum orbem sublunarem laetificant . . . Quasi ex agro scripturae divinitus inspiratae habemus mystagogiam per Spiritum Sanctum ad Christum ut florem immarcessibilis pulchritudinis et suaveolentiae" (De recta fide or. 2, 1.). „Nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspirata scriptura dicimus. Fabulosum namque in ea prorsus nihil, veritatis plena sunt omnia" (Cont. Iulian. 3.)

51. 3) *Testimonia aliorum quorundam scriptorum graecorum.* — Quorum sequuntur testimonia scriptores non ea quidem auctoritate et gloria eminent, sicut priores: verum ipsi quoque una vel altera ratione excellunt.

Eusebius Caesariensis de aliquibus novi testamenti libris eorumque inspiratione ex communi suae aetatis fide testatur: „Lucas . . . duos nobis *libros divinitus inspiratos* reliquit. Alter eorum evangelium est . . . alter liber inscribitur actus Apostolorum" (H. E. 3, 4.). „Ioannes, omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse *divino Spiritu afflatus*, spirituale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit" (Ib. 6, 14.)

52. *Theodoretus*: „Psalmos non omnes ipsius Davidis quidam esse dixerunt, sed quosdam aliorum . . . Ego autem de his nihil affirmo. Quam enim mihi utilitatem praebet, sive huius omnes, sive illorum nonnulli sint, cum manifestum sit,

omnes *ex divini Spiritus operatione conscripsisse*; et beatum enim David prophetam esse scimus, et illos prophetas Paralipomenon historia vocat. Est autem prophetae proprium linguam suam ministram exhibere gratiae Spiritus Sancti secundum illud Psalmorum dictum: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis*" (In ps. praef.). Alibi de sacra scriptura loquens dicit: „*Nihil temere dicitur a Spiritu Sancto*" (In cantic. 4, 9.). Et iterum alibi scripturae sententias simpliciter *divina verba* appellat (Graec. affect. cat. serm. 5.).

53. *Leontius Byzantinus* contra Theodorum Mopsuestenum disputans: „Quia, inquit, parum ei erat cum hominibus certare, aggreditur et petit gloriam Spiritus, omnes ab eo *inspiratas divinorum vatum scripturas* excelsas humiliter interpretans et ex numero a Deo constituto sacrorum librorum (quosdam) eximens. Magnum Dei servum Iob . . . convitiose arguebat et scripturam Spiritus Sancti de eo abrogabat, quam magnus Iacobus in epistola sua catholica confirmans ait: *Patientiam Iob audistis* . . ." (Cont. Nestor. et Eutych.).

54. *Ioannes Damascenus* tandem sicuti alibi, ita etiam hic Patrum praecedentium doctrinam compendio resumit: „Unus atque idem Deus est, quem tum vetus tum novum testamentum praedicant, quique in Trinitate laudatur et celebratur, cum Dominus dixerit: *Non veni solvere legem, sed adimplere* (Matth. 5, 17.). Ipse enim salutem nostram operatus est, propter quam *omnis scriptura et mysterium omne revelata sunt.* Ac rursus: *Scrutamini scripturas; ipsae enim testimonium perhibent de me* (Ioan. 5, 39.). Itemque dicente Apostolo: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus nostris in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio* (Heb. 1, 1.). Quocirca *per Spiritum Sanctum et lex et prophetae et evangelistae et apostoli et pastores et doctores locuti sunt. Omnis* igitur *scriptura divinitus inspirata est ac prorsus utilis* (2. Tim. 3, 16.)". (De fide l. 4. c. 17). „Laudabilis est scripturarum perscrutatio. Sed hic diligenter animum attendite. Impossibile est, dilectissimi, mentiri Deum. Unus porro Deus est, unus veteris et novi testamenti legislator, qui multifariam multisque modis olim locutus est patribus

in prophetis, et in novissimis temporibus in Filio suo unigenito. Vestrum sensum adhibete. Non mea verba sunt, sed quae *Spiritus Sanctus per sanctum Apostolum effatus est*" (De imag. or. 1, 7.).

4) *Testimonia Patrum syriacorum.* — *S. Ephraem.* im- **55.**
primis egregius catholicae fidei testis exstat. Sic v. g. episcopum defunctum laudat, quod fuerit „os utriusque testamenti, exponens *Spiritus Sancti libros*, explicans vitam novam" (Carm. 11.). Monachos vero exhortatur: „Multam vestram ad bonum propensionem considerantes et desiderium consummatae virtutis videntes, breviter exhortationem facere non recusavimus, ex *ipsis scripturis divinitus inspiratis* argumenta cogitationum sumentes, simulque ipsa scripturae testimonia ad plenam indubitatae fidei confirmationem apposuimus . . . Finis pietatis propositus est credere secundum sanctas evangeliorum et ceterarum sacrarum scripturarum annuntiationes dantes se ipsos ad omne opus bonum et ad omnem virtutis exercitationem" (Institut. ad monach.). „Quo pacto audes, miser contueri coelum? Et Christum a te violatum invocare? Qua fiducia, miser, teipsum Christianum nuncupas? Christum sprevisti, Spiritum Sanctum contumelia affecisti. Quomodo te manifestabis Apostolis et Prophetis, miser, qui annuntiarunt nobis resurrectionem et in omnes fines terrae? Quomodo iam ingredi audebis ecclesiam ubi Isaias propheta exclamat dicens: Resurgent mortui? . . . Omnia in vetere et in novo testamento falsa sunt, quemadmodum dicis . . . Vides, miser, quot sanctos mendaces impuro tuo ore feceris, neque sanctos tantum, sed et Dominum omnium sanctorum . . . *Clamat Dominus per prophetas et per apostolos et per evangelia* et ex multis pauci attendunt . . . Vae iis, qui contumelia afficiunt scripturas sacras!" (De resurrect. mortuor.).

Aphraates: „Si (legens scripturam) quaestiones repe- **56.**
rerit suis viribus sublimiores, quarum significationes non percepit, ita dicat: Quaecunque scripta sunt, optime scripta sunt; at eorum intelligentiam assequi nequeo . . . Simile est enim *verbum Dei* margaritae; sub qualibet inspectatione

eam convertas, iucundam praebet speciem. Recordare, o discipule, quid dicat David: *Ab omnibus praeceptoribus meis edoctus sum* (Ps. 118, 99.). Et rursum Apostolus ait: *Omnem scripturam, quae in Spiritu Dei est, lege* (2. Tim. 3. 16.) . . . Si enim vita hominis per spatium omnium dierum mundi ab Adam usque ad consummationem temporum prolataretur, et sedens scripturas sanctus meditaretur, totam intelligentiam altitudinis verborum non contingeret. Ut in decimo sermone scripsi, Dei sapientiam nemo potest assequi" (Demonstrat. 22.). — Notetur cum Syris catholicis Syros nestorianos et monophysitas, quod dogma inspirationis attinet, penitus consensisse, cf. Pesch, n. 107. ss.

57. 5) *Testimonia magnorum theologorum ecclesiae latinae.* — Aeque egregie ac doctores graeci, etiam latini doctores magni de inspiratione scripturae testantur: ex multis testimoniis pauca tantum hic referenda sunt:

Ambrosius: „Scriptura divina θεόπνευστος omnis ex hoc dicitur, quod *Deus inspiret, quae locutus est Spiritus*" (De Spiritu Sancto 3, 16.). „Bibe Christum, ut bibas sermones eius; *sermo eius testamentum est vetus, sermo eius testamentum est novum.* Bibitur scriptura divina et devoratur scriptura divina, cum in venas mentis ac vires animae succus Verbi descendat aeterni" (In ps. 1, 33.). „Negant plerique, nostros (sacros scriptores) secundum artem scripsisse. Nec nos obnitimur; non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae super omnem artem est: *scripserunt enim, quae Spiritus eis loqui dabat*" (Ep. 8. ad Iustum). Hinc a Deo auctore scripturae eius intelligentia petenda est: „Pete ἀπὸ τοῦ αἰτίου i. e. *ab autore*, . . . pulsa et aperit tibi Deus Verbum" (Ib.). Solum speciali charismate donati sacri scriptores libros scripturae conscribere potuerunt: „Multos coepisse nec implevisse etiam S. Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens (1. 1.) multos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes et gratia Dei, quae, ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthaeus, non conatus est

Marcus, non conatus est Ioannes, non conatus est Lucas, sed *divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante* sine ullo molimine compleverunt" (In Luc. 1, 3.).

S. Hieronymus, doctor scripturae merito appellatus, im- **58.**
primis multis modis de inspiratione testatur. Obiicientibus sibi, quod in versione sua quaedam mutaverit sic respondet: „Ne nos superbiae, ut facere solent, arguant, ita responsum habeant. Non adeo me habetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis, (quam illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco sancti sint, si nihil sciverint,) ut aliquid de *dominicis verbis* aut corrigendum putaverim, aut non *divinitus inspiratum*; sed latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare" (Ep. 27. ad Marcellum). Et alibi totam scripturam unum librum esse sic declarat: „Leo autem de tribu Iuda Dominus Iesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, psalmorum David, sed omnium scripturarum, quae *uno scriptae sunt Spiritu Sancto* et propterea unus liber appellantur. De quo Ezechiel c. 2. mystico sermone testatur, quod scriptus fuerit intus et foris, in sensu et in littera. De quo et Salvator loquitur in psalmis (Ps. 39, 9.): *In capitulo libri scriptum est de me:* non Ieremiae, non Isaïae, sed in omni scriptura sancta, quae unus liber appellatur" (In Is. 29, 9.). Iterum alibi commentans verba prophetae: *Consurgit nurus adversus socrum suam* (Mich. 7, 6.), dicit: „Qui legerit canticum canticorum, et sponsum animae Dei sermonem intellexerit . . . non dubitabit dicere, sermonem Dei ortum esse de Spiritu, et animam, quae sponsa sermonis est, habere socrum Sanctum Spiritum, quia apud Hebraeos dicitur genere feminino. Haeretici ergo, cum ante crediderint in scripturis, quae *a Spiritu Sancto conscriptae sunt et editae*, transferunt se ad novas doctrinas et fermentum Pharisaeorum et mandata hominum; dumque sermonem Dei contemnunt, socrui suae faciunt iniuriam" (In Mich. 7, 5. ss.). Denique: „Omnis ad Romanos epistola interpretatione indiget et tantis obscuritatibus invo-

luta est, ut ad intelligendam eam Spiritus Sancti indigeamus auxilio, qui *per Apostolum haec ipsa dictavit*" sc. Tertio. (Ep. 120, 10.).

59. *Augustini* quoque doctrina de scripturae inspiratione valde luculenta est: „De illa civitate, unde peregrinamur, *litterae nobis venerunt*: ipsae sunt scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus" (In ps. 90. serm. 2.). „Qui prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et Apostolos post ascensionem misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. *Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium et in divinis officiis concordiam membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit" (De consensu evangelist. 1, 35, 54.). „Sola est (scriptura) adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse Deus et homo: quo itur, Deus: qua itur homo. Hic prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos, quantum esse iudicavit, locutus *scripturam condidit*, quae canonica nuncupatur, eminentissimae auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nos idonei sumus" (De civit. Dei l. 11. c. 2, 3.). „Fidelis Dominus in verbis suis. Quid enim promisit, quod non dedit: Fidelis Dominus in verbis suis. Possemus illi credere tantummodo dicenti, sed voluit teneri *scripturam suam*: quomodo si diceres alicui, cum aliquid promitteres: Non mihi credis, ecce scribo tibi. Etenim quia generatio vadit et generatio venit, et sic transcurrunt ista saecula cedentibus succedentibusque mortalibus, *scriptura Dei* manere debuit, et *quoddam chirographum Dei*, quod omnes transeuntes legerent et viam promissionis eius tene-

rent. Et quanta sunt, quae reddidit ex isto chirographo?" (Enarr. in ps. 144. n. 17.). „Audiamus ergo, quid Spiritus Sanctus per os prophetae sancti dicat in isto sermone psalmi" (In psalm. 33. serm. 2, 1.). „O Domine, *nonne ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?*" (Confess. 13, 29.). „Audeo dicere, fratres mei, forsitan nec ipse Ioannes dixit. ut est, sed et ipse, ut potuit, quia de Deo homo dixit, et quidem *inspiratus a Deo*, sed tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid: si non inspiratus esset, dixisset nihil. Quia vero homo inspiratus, non totum, quod est, dixit: sed quod potuit homo, dixit" (In Ioan. tract. 1, 1.).

Leo M. pauca quidem de s. scriptura habet; verum- **60.**
tamen ex iisdem eius fides de inspiratione satis colligitur: Videlicet ex eius sententia, quia „sacra et *digito Dei evangelia scripta*" (serm. 69, 3.) sunt. et cum „indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio" (serm. 52, 1.), ideo „ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat discedere aut aliter de scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt" (Ep. 82, 1.).

Gregorius M. tandem iterum maxime egregius ecclesia- **61.**
sticae fidei et traditionis testis est. Huc pertinet imprimis testimonium iam supra (th. 9. n. 15.) allatum, quo scripturam *epistolam omnipotentis Dei* ad suam creaturam scriptam appellat. Alibi vero haec habet: „Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Iob habeatur scriptor. Et alii quidem Moysen. alii unum quemlibet ex prophetis scriptorem huius operis fuisse suspicantur . . . Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen *auctor libri Spiritus Sanctus* fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et illius operis inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis, legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus. ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem

tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur? Arbitrari tamen verius possumus, quod idem beatus Iob, qui certamina spiritalis pugnae sustinuit, etiam consummatae suae victoriae gesta narravit. Nec movere debet, quod in eodem libro dicitur: Dixit Iob, vel haec atque illa pertulit Iob. Moris enim scripturae sacrae est, ut ipsi qui scribunt, sic de re in illa quasi de aliis loquantur . . . Scriptores igitur sacri eloquii, quia *impulsu Sancti Spiritus agitantur*, sic de re in illo testimonium quasi de aliis proferunt. Ergo Sanctus Spiritus per Moysen locutus est de Moyse, Sanctus Spiritus per Ioannem locutus est de Ioanne" (In Iob praef. 1. ss.).

62. 6) *Argumentum deducitur.* — Ex testimoniis productis, iam facile derivatur certa et per se solam sufficiens dogmatis inspirationis demonstratio. Etenim ex SS. Patrum sententia scriptura sacra *primo* est scriptura ipsius Dei, divina est, a Deo ipso condita, data, dicta, scripta, conscripta est. *Secundo* scriptores humani relate ad scripturam tantum instrumenta ipsius Dei sunt, per eos Deus loquitur, Deus scripturam ipsis dictavit; iidem hagiographi in ss. libris conscribendis relate ad Deum se habent ut calamus vel manus ad scriptorem, ut cithara vel lyra ad plectrum vel musicum. Hinc *tertio* scriptura sacra nequaquam scriptum vel verbum humanum est, sed vere et proprie verbum Dei, eloquium Dei, oraculum Dei, epistola Dei ad homines est. *Quarto* denique iisdem prorsus, ac nunc solemus, verbis sacram scripturam Spiritu Sancto inspirante conscriptam esse et Deum habere auctorem expresse asserunt. — *Apprime vero animadvertendum est*, SS. Patres non tantum aliquos, sed universos mire consentientes, non ut privatos doctores, sed ut testes traditionis eam doctrinam proponere: unde eorum suffragium certissimum traditionis criterium est.

Iamvero his doctrinae capitibus clarissime dogma catholicum de inspiratione scripturae continetur. Ergo inspirationis dogma perfecta cum certitudine ex traditione demonstratur.

Scholion.

1. Quaeritur, num argumentis ex scriptura petitis novi quoque testamenti inspiratio demonstrata sit vel demonstrari possit? — *R.* Huc pertinet nota supra (thesi 9. n. 15.) subiecta; verum haec res paulo accuratius hoc loco explicanda est. Itaque: **63.**

1) Testimoniis scripturae productis ex 2. Tim. et 2. Pet. aliisve directe non probatur inspiratio nisi librorum veteris testamenti et eorum quoque novi testamenti librorum, qui tunc temporis, quando testimonium, ex quo arguitur, latum est, iam scripti et in canonem scripturae recepti erant, vel qui ab ipsa scriptura ad scripturam pertinere exhibentur. — Iamvero pauci solum novi testamenti libri ab ipsa scriptura ad scripturam pertinere notantur.

a) Et *primo* quidem huc pertinent plures S. Pauli epi- **64.** stolae, utpote de quibus constat testimonium S. Petri: *„Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in iis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant sicut et ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem“* (2. Pet. 3, 15. ss.). His S. Petri verbis epistolae S. Pauli tunc iam scriptae sacris scripturis certe annumerantur. Etenim *primo* id per ipsam earum citationem suadetur, cum Apostoli ad solas scripturas apellare soleant; *secundo* idem confirmatur per illud: *secundum datam sibi sapientiam,* quippe quibus verbis omnino charisma inspirationis indicari videtur; *tertio* denique certo evincitur ex verbis *sicut et ceteras scripturas,* quia hoc termino technico αἱ γραφαί constanter sacra scriptura designatur ideoque ceteris eiusdem libris epistolae S. Pauli saltem tunc iam scriptae aequiparantur et annumerantur. Si vero quaeratur, quaenam S. Pauli epistolae tunc iam scriptae fuerint, respondendum est vel omnes simpliciter vel omnes excepta secunda ad Timotheum, utpote quam ultimam v. an. 66. S. Paulus scripsit (primam ad Tim. an. 65. scripsit), dum S. Petrus secundam

suam epistolam versus finem vitae suae ann. 66. vel 67. scripsit.

65. b) *Secundo* huc pertinet evangelium S. Lucae, utpote quod a S. Paulo ad sacram scripturam refertur. Etenim Apostolus verbis: *dicit enim scriptura* aliquod huius evangelii testimonium refert: *Dicit enim scriptura: non alligabis os bovi trituranti, et: dignus est operarius mercede sua* 1. Tim. 5, 18.). Videlicet postremum hoc incisum non occurrit, nisi Luc. 10, 7. vel secundum sensum apud Matth. 10, 10., cum primum ex Deuteron. 25, 4. desumptum sit. Excipiunt quidem aliqui, Apostolum in secundo inciso forte vel probabiliter ea respicere, quae de mercede operariis reddenda Deuter. 24, 14. constituuntur. (Stentrup, Franzelin). Verum improbabilis apparet haec obiectio, quia ex una parte verba ab Apostolo citata apud Lucam l. c. accurate prorsus tum in textu graeco tum in versione latina habentur, ex altera vero parte verba Deuteronomii notata longe diversa sunt, ut obvia inspectio docet: *Dignus est* (*enim*) *operarius mercede sua*: ἄξιος (γὰρ) ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ (Luc.). — *Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra et intra portas tuas est; sed eodem die ei reddes pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum et reputetur tibi in peccatum:* οὐκ ἀποδικήσεις μισθὸν πένητος καὶ ἐνδεοῦς ἐκ τῶν ἀδελφῶν σου ἢ ἐκ τῶν προσηλύτων τῶν ἐν ταῖς πόλεσί σοῦ. αὐθημερὸν ἀποδώσεις τὸν μισθὸν αὐτοῦ, οὐκ ἐπιδύσεται ὁ ἥλιος ἐπ' αὐτῷ, ὅτι πένης ἐστί καὶ ἐν αὐτῷ ἔχει καὶ καταβοήσεται κατὰ σοῦ πρὸς κύριον καὶ ἔσται ἐν σοὶ ἁμαρτία (Deuter.).

66. c) *Denique* S. Ioannes ipse in Apocalypsi testari videtur, se hunc librum ex divina inspiratione scripsisse. Etenim *primo* mandatum commemorat divinitus acceptum scribendi visiones suas: *„Fui in spiritu in dominica die et audivi post me vocem magnam tamquam tubae dicentis: Quod vides scribe in libro et mitte septem ecclesiis . . .“* (1, 10. ss.; cf. 1, 19.; 2, 1. 8. 12. 18.; 3, 1. 7. 14.; 19, 9.); *secundo*

librum hunc Apocalypsis prophetiam appellat: „*Et postquam audissem et vidissem, cecidi, ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi haec ostendebat, et dixit mihi: Vide, ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum, qui servant verba prophetiae libri huius. Deum adora. Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiae libri huius; tempus enim prope est*“ (22, 8. ss.). *Tertio* denique eidem libro tantam auctoritatem vindicat, ut sine ira Dei nihil ei addi nihil demi liceat: „*Contestor enim omni audienti verba prophetiae libri huius: Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae, et de civitate sancta, et de his, quae scripta sunt in libro isto*“ (22, 18. ss.).

67. 2) *Sed mediate et indirecte illis scripturae testimoniis etiam ceterorum N. T. librorum, i. e. omnium, qui deinceps in canone ab ecclesia admissi sunt, inspiratio probatur.* — Etenim, ut iam supra dictum est, sacra scriptura apud Iudaeos collectio librorum erat determinati generis, peculiaris excellentiae et dignitatis, ita ut eidem collectioni nihil alienum addere, nihil ex ea demere cuiquam liceret; atque hanc fidem Apostoli approbarunt, necnon christiani suam fecerunt. — Si igitur illi collectioni ss. librorum alios deinceps addiderunt, hos libros additos eiusdem excellentiae et dignitatis esse, persuasum sibi habuerunt. Ergo cum libri ad canonem Iudaeorum spectantes divinitus inspirati sint, item libros omnes novi testamenti eidem canoni postea additos divinitus inspiratos esse tenendum est. Qua ratione argumentandi in subsidium quidem vocatur traditio; neque tamen ideo dici potest, inspirationem s. scripturae etiam N. T. ex sola scriptura demonstrari non posse; etenim tota haec difficultas, ut facile intelligitur, non spectat quaestionem, num s. scriptura divinitus inspirata sit, sed ad alteram potius quaestionem pertinet, quinam libri omnes et soli illam sacrorum librorum collectionem constituant, quae est quaestio de canone alibi tractanda.

Corollarium.

68. ***Charisma inspirationis ad gratias gratis datas pertinet atque recte Spiritui Sancto tamquam causae efficienti per appropriationem tribuitur.*** — Ratio *primae partis assertionis* manifesta est. Etenim inspiratio scripturae per se et ex primaria Dei intentione non personalem hagiographi sanctitatem et salutem spectat, sed ad ordinem supernaturalis ministerii pertinet, quod in communem utilitatem ecclesiae vel bonum supernaturale omnium totius ecclesiae membrorum ordinatum est: quare charisma inspirationis cum gratia sanctificante non necessario coniunctum est. *Porro* idem charisma ad donum prophetiae generice acceptum revocatur, quia propheta generatim est, qui pro Deo loquitur, vel per quem ipse Deus loquitur (cf. tract. de vera religione, th. 30. n. 5. ss.). Item ad gratiam sermonis revocari potest, quia Deus scripturam inspirans hagiographo etiam assistit in eligendis verbis, quibus divinae mentis sensa fideliter et sincere exprimantur; quod ad gratiam sermonis spectat. *Denique* cum aliae gratiae gratis datae etiam nunc in ecclesia perseverent, inspiratio post apostolorum mortem cessavit; quia scilicet inspiratio concessa est ad doctrinam revelatam solum impertiendam, cum eidem conservandae et explicandae aliis mediis provisum sit.

69. Patet etiam *altera assertionis pars.* Videlicet inspiratio sicut omnis operatio Dei ad extra reipsa quidem tribus personis divinis communis est, merito autem Spiritui Sancto speciali modo attribuitur. Etenim sicut Spiritus Sanctus ex amore Patris et Filii vel tamquam amor subsistens procedit, ita etiam charismata supernaturalia speciali modo et analoga ratione terminus amoris divini sunt: inter ea autem charismata inspiratio scripturae invenitur; ergo sicut alia charismata, ita etiam inspiratio scripturae propter illam cum processione Spiritus Sancti analogiam merito Spiritui Sancto appropriatur. Vel, quod idem est, quia Spiritus Sanctus etiam vi processionis suae subsistens sanctitas est, ideo dona, quae hominibus sanctificandis inserviunt, atque hinc inspiratio quoque Spiritui Sancto appropriantur.

Articulus secundus.

De natura inspirationis.

Thesis 11. Inspiratio, qua Deus auctor scripturae est, tribus constituitur: primo illustratione intellectus, qua hagiographus veritates communicandas mente concepit; secundo voluntatis motione, qua ad veritates ita conceptas easque solas scripto consignandas determinatus est; tertio assistentia, qua ad rectam veritatum conceptarum expressionem manuductus est.

Declaratio.

1. Argumentum huius articuli. — Demonstrata 1.
existentia inspirationis, iam eiusdem natura sive interna ratio explicanda venit. Vel, cum hucusque luculenter demonstratum sit, scripturam ita Spiritu Sancto inspirante esse conscriptam, ut Deum proprium et principalem auctorem habeat, cui humani scriptores ut instrumenta inserviverint, quae est obvia inspirationis notio; in praesenti articulo accuratius inquirendum est, qualis sit ille influxus a Deo in hagiographum exercitus, ratione cuius Deus vere et proprie auctor scripturae, homo vero nonnisi instrumentum Dei sive auctor secundarius est; quae erit inspirationis notio magis expolita et philosophica. Itaque, cum inspiratio generatim sumpta varia esse queat, non quaecunque, quae fieri possit, sed ea scripturae inspiratio inquirenda et in sua elementa resolvenda est, qua Deus vere et proprie auctor scripturae est. Qui igitur in notionem inspirationis inquirens hoc elementum, sc. Deum scripturae auctorem esse, attendere nollet et negligeret, absone procederet, atque insuper contra dogma catholicum offenderet, ut ex praecedenti tractatione satis liquet. Imo vero hoc elementum principaliter attendendum et ab initio tamquam norma vel principium deductionum prae oculis haberi debet. Ratio est, quia haec notio, Deum auctorem scripturae esse, alteram notionem, Deum scripturam inspirasse, tamquam differentia specifica determinat et essentialiter constituit. Hinc

enim eadem notio Dei auctoris scripturae magis concreta est et satis obvia et facilis, ut vel creber eiusdem usus ostendit. ad quem illustrandum praeter multa testimonia et documenta supra adducta etiam hoc *S. Isidori Hispal.* testimonium pertinet: „Hi (hagiographi) sunt scriptores sacrorum librorum . . . auctor autem earundem scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit" (De ecclesiastic. offic. 1, 12. 13.). Contra vero notio inspirationis magis vaga est et indeterminata, cum non solum scriptura, sed quaevis bonae mentis cogitationes, piae voluntatis affectiones, atque etiam actiones salutares a Deo inspiratae esse dicantur; immo a SS. Patribus etiam libri inspirati dicuntur, quibus nullatenus divinam scripturae originem tribuere voluerunt: sic v. g. *Gregorius Naz.* (In Hexaëm. prooem.) commentarium S. Basilii in Hexaëmeron divinitus inspiratum vocavit et *Gregorius M.* 1. Reg. commentaturus scribit: „Opus spe divinae inspirationis aggredior" (Prooem. n. 3.). Iamvero ratio rectae inquisitionis praesertim analyticae id postulat, ut a conceptibus facilioribus, magis obviis et concretis procedatur. Ergo.

2. Quae cum ita sint, in praesenti thesi imprimis per analysin notionis *Dei auctoris scripturae* vel formulae: *Scriptura Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum auctorem habet* vera et communis iam doctrina de natura inspirationis scripturae demonstratur, quam Leo XIII. in encyclicis litteris *Providentissimus Deus* sua auctoritate munivit simul innuens, eandem recta ratione et legitima consequentia ex praedicta formula per analysin deduci: „Supernaturali ipse (Deus) virtute ita eos (hagiographos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor scripturae universae". — In subsequenti vero thesi falsae et insufficientes de natura inspirationis sententiae reiicientur.

3. *2. Notio auctoris libri.* — Priusquam ipsa demonstratio instituatur, notio *auctoris libri,* ex qua demonstratio procedit, accuratius explicanda est; in hunc vero finem con-

ducit, prius elementa huius notionis compositae, scilicet notiones *auctoris* et *libri*, paucis considerare.

1) Notio auctoris. — Circa hanc notionem iam plura supra (th. 10. n. 3.) notata sunt, verum maioris claritatis causa quaedam addere, vel si notata iam sunt, paulo aliter et accuratius explicare oportet. Itaque nomine auctoris, ut iam supra (l. c.) dictum est, universim intelligitur causa efficiens libera, quae intellectu et voluntate operans exsistentiam eius rei determinat, cuius auctor nominatur. Porro causa efficiens duplex est: causa principalis, quae propria et insita virtute exsistentiam rei determinat, et causa instrumentalis, quae a principali mota vel virtute ab ea transeunter accepta operatur. Proprio sensu solum eam *causam, quae propria et insita virtute operatur auctorem dicimus* ideoque causa principalis quidem, non vero causa instrumentalis auctor est; quare etiam auctor libri proprio sensu is est, qui propria et insita virtute libri exsistentiam determinat, sive aliquod instrumentum in hac efficientia adhibeat sive non.

Hinc quidem Deus *causa instrumentalis sane esse non* 4.
potest, sed causa efficiens triplici modo esse intelligitur. Et *primo* quidem Deus conservatione et concursu causa prima et universalis omnium effectuum a causis secundis productorum est, quatenus non solum causas secundas creavit, sed easdem etiam conservat et cum ipsis in operando concurrit; *secundo* causa particularis et unica est quoad eos, effectus, quos ipse solus sine concursu causae secundae producit; *tertio* causa particularis et principalis est, quando causis secundis ad effectus quosdam producendos tamquam instrumentis utitur.

Iamvero *quod s. scripturam attinet*, Deus certe eiusdem 5.
causa efficiens particularis et unica non est, cum scriptura concurrentibus causis secundis i. e. hagiographis conscripta sit. *Praeterea* Deus auctor sacrae scripturae non est tamquam causa prima et universalis, quatenus scilicet causas secundas earumque vires creavit, conservat, in agendo iuvat; secus enim Deus omnium librorum, qui unquam scripti sunt vel scribentur, auctor dicendus esset; id vero falsum est vel

Deus certe speciali prorsus modo auctor sacrae scripturae esse dicitur. Insuper hoc generali influxu Dei tamquam causae primae supposito causae secundae in suo ordine retinent rationem causae principalis et auctoris, cum, quamvis a Deo adiuventur, nihilominus ex propria et insita virtute agant et effectuum exsistentiam determinent. Idem vero, quod de concursu generali naturali, hac in re dicendum est etiam de concursu generali supernaturali vel de influxu generali gratiae: neque per hunc influxum Deus auctor libri constituitur; secus enim multi libri a viris iustis et sanctis conscripti dicendi essent Deum auctorem habere, cum influxus gratiae communis in eiusmodi opus certe non desit; illud nemo tamen dicit, quia scriptores humani in ea efficientia, quamvis adiuti gratia communi, ex propria tamen et insita virtute procedunt, et effectus exsistentiam determinant. Apposite *Cardinalis Franzelin*: „Si Deus (causa prima) dicitur auctor (adeoque per se causa) libri, excluditur causa secunda agens ut causa per se, h. e. virtute propria sibi inhaerente: unde vicissim, si homo (causa secunda) sensu proprio est et dicitur auctor libri, eo ipso negatur Deum (causam primam) esse libri auctorem, non tamen excluditur, ut per se constat, generalis concursus causae primae, qui nullatenus importat Deum esse auctorem libri, nisi absurde loquendo Deum dicere velis auctorem omnium librorum. Sive vero Deus sive homo sit auctor libri, in neutra hypothesi excluditur causa instrumentalis, per quam causa principalis (Deus vel homo) agat et efficiat sui libri exsistentiam" (Thes. 3. n. 1). *Restat igitur*, ut Deus, quando auctor scripturae dicitur, causa principalis eiusdem intelligatur, quae humanis scriptoribus tamquam instrumentis utens eius exsistentiam determinaverit.

6. Denique quod attinet *habitudinem inter causam principalem et instrumentalem* animadvertenda adhuc est res maximi momenti. Cum enim dicitur, instrumentum agere virtute non propria sed communicata ab altiore agente, intelligendum non est, instrumentum nihil agere per se et propria virtute, sed solum sibi et propriae virtuti relictum effectum non attingere, quia haec virtus effectui proportionata non est.

Ad rem *S. Thomas:* „Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum“ (S. th. 1. p. q. 45. a. 5.). „Instrumentum autem agit ut motum ab alio et ideo competit sibi virtus proportionata motui“ (In 4. d. 1. q. 1. a. 4 q. 2.). Causa igitur principalis causa instrumentali ea ratione utitur, ut vires eius insitas et ad effectum producendum aptas moveat, applicet, elevet ad effectum producendum. (Cf. de sacramentis in genere th. 8. n. 4. ss.) Quod autem causa principalis generatim facit, hoc a fortiori Deus pro sua sapientia facere solet, quando creaturis tamquam instrumentis utitur. Itaque Deus auctor scripturae facultates naturales hagiographorum ad librorum scriptionem aptas movisse, applicasse, elevasse ad ss. librorum scriptionem dicendus est. Ut vero, qua ratione id fecerit, explicari possit, prius videndum est, quae sit propria ratio vel notio tum *libri* tum *auctoris libri* generatim.

2) *Notio libri.* — Secundum communem acceptionem 7.
liber nihil aliud est, quam summa quaedam signorum scriptorum, quae velut ectypi summam iudiciorum vel sensorum tamquam proprium typum repraesentant; sive etiam liber est collectio quaedam iudiciorum vel sensorum scripto expressorum. Plura igitur elementa in quovis libro discerni possunt: *Primo* res et sententiae, quae in ipso proponuntur vel exprimuntur, ut eventus historici in libro historico, theoremata philosophica in libro philosophico, consilia practica vitam christianam spectantia in libro ascetico et alia eiusmodi; quae omnia uno verbo sensa sive significata sive verba formalia dici possunt. — *Secundo* signa externa, quibus sensa illa interna exprimuntur; et haec quidem vocabulis vel verbis materialibus continentur; haec vero sicut quaevis alia signa arbitraria inter se differre possunt aliquando et differunt manente eodem verbo formali vel eadem significatione. — *Tertio* ordo vel dispositio, qua res et verba disponuntur; quo pertinent: constructio syntactica, stilus, dispositio et alia similia. — *Quarto* finis,

qui libro obtinendus praestitutus est. Secundum eum liber disponitur eiusque natura determinatur. Finis autem libri generatim est, ut auctor per ipsum lectoribus suis conceptus, iudicia, sensa sua manifestet. Prout vero haec diversa sunt vel etiam eorum manifestatio ulterius in alium et alium scopum dirigitur, alia et alia erit indoles libri v. g. philosophici, dogmatici, ascetici, poëtici, oratorii aliorumque. Nam secundum finem obtinendum liber disponendus et exarandus est ideoque natura eius et indoles determinatur.

8. Iam his suppositis in quovis libro *distinguendum esse intelligitur elementum essentiale ab accidentali*, vel ut alii loquuntur elementum formale ab elemento materiali. Ad elementum essentiale vel formale ea omnia pertinent, quae mutari nequeunt, quin liber protinus alius a priori efficiatur: ad elementum accidentale vero vel materiale ea omnia spectant, quae mutari possunt, quin liber hic idem liber esse desinat. Si vero quaeritur, quae in concreto vel in individuo essentialia et quaenam accidentalia sint, explicatio ex fine libro interno et per se intento, qui finis operis dicitur, recte derivatur. Iam ex natura rei et per se auctor libri intendit, per eundem suos conceptus vel iudicia vel sensa manifestare: signa autem in individuo, quibus illa sensa repraesentantur, ut singula vocabula, constructio grammatica vel etiam dispositio et stilus plerumque per se non intenduntur; haec enim omnia mutari et diversimode se habere possunt, dum salvi manent conceptus, iudicia, sensa, quae auctor exprimere voluit. Sic v. g. omnibus consentientibus liber per versionem in aliud idioma alius non evadit; imo neque per grammaticas vel syntacticas mutationes, si nimiae non sint, liber aliquis essentialiter mutatur ita, ut idem liber non sit, quod satis patet in libris auctorum mortuorum iterum editis. Si vero in libro historico eventus, in libro philosophico doctrinae mutentur, mutatio libri tamquam essentialis consideratur. — Dixi, signa in individuo et concreto spectata plerumque non ad elementum essentiale, sed potius ad accidentale spectare. Quandoque enim etiam per se intenta sunt et tunc ad essentiam libri pertinent; quod facile patet exemplis quibusdam consi-

deratis. Sic v. g. in definitionibus dogmaticis, vocabula etiam in individuo spectata per se intenta esse possunt et saepe sunt, ut vocabula ὁμοούσιος, *transubstantiatio*, et tunc essentialia esse intelliguntur. Insuper in libro poëtico quoque etiam forma externa, ut metrum aliave similia ad scopum intentum per se tendunt ideoque essentialia sunt; et similiter ordo rerum narratarum per se intentus ideoque essentialis est, si quidem scopus libri chronologicus imprimis est.

3) Notio auctoris libri. — Ex praecedentibus iam facile **9.** notio auctoris libri derivatur. Videlicet *ut aliquis libri cuiusdam recte auctor censeatur, saltem ea praestare debet, quae ad essentiam libri pertinent et per se intenduntur;* necesse igitur est, ut tum summam idearum conscribendarum conceperit tum eandem vel per se vel per alium litteris consignaverit; etenim quamvis haec individua signa, ut supra dictum est, libro plerumque accidentalia sint, generatim tamen consignatio aliqua idearum per apta signa facta libro essentialis est. Hinc, ut aliquis per alium tamquam per causam instrumentalem alicuius libri auctor sit, causa principalis *primo* ideas scribendas menti instrumenti communicare debet; *secundo* voluntatem eiusdem ad eas omnes et solas reipsa ita scribendas movere debet, ut summa signorum scriptorum vere tamquam ectypus summam idearum tamquam proprium typum exhibeat; denique *tertio* invigilare et curare debet, ne ideae suae litteris consignandae ab instrumento ineptis signis vel terminis exprimantur, et ne suis ideis aliae addantur; et si quidem aliquando certa vocabula, certa constructio, certa dispositio ab auctore sint per se intenta, ea omnia ab auctore instrumento subministranda sunt, quia iam ad essentiam libri pertinent. Et haec quidem omnia ita necessaria sunt, ut cui vel unum eorum desit, auctor simpliciter esse censeri non possit. Sic qui alteri ideas communicavit, quas hic proprio marte litteris consignat, auctor non est. Pariter, qui tantum ideas ab altero dictatas scribit, auctor non est. Item, qui alterius quidem voluntatem ad opus conscribendum determinat, ideas vero litteris consignandas non communicat, auctor non est. Tandem si instrumentum quae-

dam proprio marte superaddat vel signis aliis exprimat ab iis, quae a causa principali per se intenta sunt, horum instrumentum quidem, non autem causa principalis auctor censendus est; in his enim, quod in aliis instrumentum est, a ratione instrumenti deficit et causa principalis est.

10. Ex altera parte vero *necessarium non est, ut ab auctore ipso summa eorum quoque signorum procedat, quae ab ipso per se intenta non sunt.* Etenim ad essentialem rationem auctoris libri postulari nequit, ut id quoque ab eo procedat, quod extra et praeter essentiam libri est. Atqui determinata in individuo summa signorum plerumque vel tunc semper extra essentiam libri est, quando ad finem libri non requiritur ideoque ab auctore per se intenta non est. Etenim eidem summae idearum ut typo non una tantum numero summa signorum tamquam ectypus respondet, sed plures summae sive ratione vocabulorum sive ratione grammaticae constructionis et rethoricae dispositionis eorundem diversae illam repraesentare possunt. Etsi igitur aliquis determinatae formae summae signorum scriptorum auctor non sit, dummodo ideas scribendas menti instrumenti communicaverit et voluntatem eiusdem ad eas omnes et solas scribendas determinaverit et curaverit, ut summa aliqua signorum aptorum typum suum recte exhibeat, verus et proprius libri auctor censetur esse et reipsa est.

Demonstratio.

11. ***1. Probatur ex analysi notionis auctoris libri.*** — Propter rei gravitatem hoc argumentum pluribus modis exponitur:

1) *Primus modus.* — Secundum doctrinam catholicam in praecedentibus demonstratam sacra scriptura Spiritu Sancto inspirante ab hagiographis conscripta Deum auctorem habet. Atqui ut Deus vere sit auctor librorum sacrae scripturae per hagiographos tamquam instrumenta, ex praestituta notione auctoris libri hagiographi charisma divinum accipiant necesse est, quod tria complectitur: *primo* collustrationem divinam mentis humanae, qua haec ideas mentis divinae scribendas

concipiat; *secundo* motionem divinam voluntatis humanae, qua haec ad illas ideas omnes et solas litteris consignandas permoveatur; *tertio* denique assistentiam in exsecutione, qua hagiographus praeservetur, ne alias praeter ideas illas divinitus conceptas neve easdem ineptis vocabulis vel inepto ordine vel inepta constructione, quae iisdem ideis non respondeat, litteris consignet. Si vero vel unum horum deesset, Deus non esset auctor in vero et proprio sensu, sed auctor solum esset sensu universali et latiori quodam. Ergo inspiratio scripturae tribus his elementis essentialiter constituitur: illustratione mentis, motione voluntatis, assistentia in ipsa scriptione a Deo hagiographo impensa.

Quae cum ita sint, homo hagiographus causa quidem 12.
scripturae non est nisi quatenus collustratione, motione, assistentia divina evectus et constitutus est θεόπνευστος, θεοφερούμενος, πνευματοφόρος atque ut talis scribit. Quare *non seorsum Deus et seorsum homo scripturam efficit, sed Deus in homine et per hominem et homo in Deo et per Deum.* Eo enim ipso, quod homo toto scriptionis tempore constitutus sub charismate inspirationis causa librorum est, Deus ipsorum principalis, homo instrumentalis causa est; atque eo ipso, quae scribuntur Dei sunt ac divina, sed in forma terrestri ac humana apparent, cum ab homine, quamvis viribus divinis instructo, proficiscantur. Quamobrem Deus et homo non alia et alia, sed una eademque operatione causa scripturae exstant: quae actio Deo quidem tribuenda est, quatenus charismate supernaturali evehendo hominem collustrat et movet eique assistit; homini vero, quatenus ab eo divinitus evecto, collustrato, moto, adiuto libri conficiuntur. Quare minus apte vel etiam perverse quidam inspirationem concipientes hominem auctorem librorum immediatum, mediatum vero Deum esse dicunt. Deus enim non minus immediate effectum attingit, quam homo, cum hic eum attingat viribus divinis, quae permanente Dei operatione in ipso exsistunt (*Stentrup*, th. 22.).

2) *Alter modus.* — Paulo aliter idem argumentum pro- 13.
poni potest prae oculis habitis verbis *Leonis XIII.* supra iam relatis. Pontifex enim inspirationem sic declarat: „Super-

naturali virtute (Deus) ita eos (hagiographos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus astitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor scripturae universae." Reipsa enim, si Deus vere et proprie auctor scripturae est, scriptor humanus in sacris libris conscribendis instrumentum Dei est. Homo autem hagiographus instrumentum non inanimatum, sed animatum et rationale est; quare ut hagiographus tamquam homo vel convenienter ad suam naturam instrumentum in scriptura conscribenda esset, intellectu et voluntate in ea operatione procedere et scriptionem verbi Dei revelati per propriam suam conceptionem et volitionem causare debuit; et reipsa etiam scriptura testatur homines hagiographos „non mente perturbata et sicut arreptitios" (*S. Thomas*, 2. 2. q. 173. a. 3. ad 4.), sed scientes et volentes sacros libros conscripsisse. Iamvero, ut Deus hominibus ita agentibus tamquam instrumentis uteretur, necessario ipsas illas rationales hominis facultates sibi subiecit atque per eas sacros libros effecit. Quare Deus influxu speciali in hagiographis ipsam conceptionem idearum scribendarum necnon voluntatem eas omnes et solas scribendi efficere iisque tamquam virtute instrumentali ad sacros libros conscribendos uti debuit. Ergo inspiratio divina scripturae tum *primo* illustrationem intellectus tum *secundo* motionem voluntatis complectitur. Insuper vero *tertio* assistentiam in ipsa scriptione postulat, ne videlicet ideis per divinum influxum conceptis et scribendis aliae admisceantur vel ne vocabula inepta ad sensa inspirata exprimenda adhibeantur. Ratio manifesta est, quia eiusmodi sensa a Deo non inspirata vel inspirata quidem, sed per inepta vocabula in alium sensum conversa Deo tamquam auctori tribui non possent, sed hagiographo autonome in iis agenti adscribenda essent. Ergo,

14. 3) *Tertius modus.* Idem argumentum exemplo aliquo confirmari et illustrari potest. Videlicet sit aliquis theologus qui iam pridem librum theologicum edendum mente concepit; omnes et singulas theses, argumenta earundem, obiectiones

earumque solutiones, ordinem et dispositionem iam determinavit. Profecto in scribendo et edendo libro adhuc diversimode procedere poterit:

a) *Ponatur igitur,* illum theologum propria manu librum conscribere nolle. Scribam igitur sibi asciscit, eidem suum consilium communicat eumque ad scriptionem determinat; ipse vero theologus scribenda dictitat, atque invigilando curat, ne quid praeter dictata aut aliis, quam subministratis vocabulis litteris consignetur: libri hac ratione conscripti auctor profecto non scriba sed theologus est.

b) *Ponatur casus paulo aliter.* Theologus librum edi- **15.**
turus nec scribere nec ad verbum dictare vult vel potest; quare scribam theologice excultum sibi procurat, atque ipsi totum suum consilium communicans theses, argumenta, obiectiones earumque solutiones, ordinem quoque et dispositionem libri edendi notificat; atque eum rogat, ut haec omnia in librum componat atque sic conceptum opus conscribat; scribae vero illi obsequenti et librum scribenti assistit et invigilat, ne quid a suis conceptionibus alienum, sive thesis sive argumentum sive quidquam aliud simile est, litteris consignetur, neve quidquam ineptis vel incongruis vocabulis exprimatur vel ad alium sensum detorqueatur. Iam in hoc casu theologus ille adhuc causa principalis et auctor esse intelligitur, cui scriba tamquam instrumentum subditus est et servit.

c) *Adhuc casus immutari potest:* Scriba electus ingenio **16.**
praestans et in argumento tractando versatus sit. Tum necesse non erit, ut theologus ipse accurate omnia in individuo immediate et directe determinet, sed aliqua per ipsum indirecte vel mediate, quamvis accurate et in concreto et individuo determinari poterunt; v. g. fontes notificare potest, ex quibus aliqua ex scribendis haurienda sint simul notificatis normis, secundum quas his fontibus utendum est necnon aliqua ratione rebus determinatis, quae ex ipsis hauriendae sint. Simul vero ipse theologus dispositionem et ordinem indicat et praescribit, necnon iterum scribenti invigilando curat, ne quid praeter vel contra vel minus quam ea, quae in-

tendit, vel ineptis verbis exprimantur. Qua ratione theologus procedens adhuc satis certus esse posse videtur, talem fore librum scribendum, qualem ipse intendit, ut scilicet nihil in eo desit, nihil abundet, nihil cum sua mente vel suis conceptionibus pugnet: neque tamen singulas phrases grammaticas determinavit, imo neque singulos conceptus, singula iudicia, singula sensa omnia in individuo directe et immediate, sed aliqua magis indirecte et mediate scribenti communicavit. Iam etiam in hoc casu adhuc theologus ipse, non vero scriba quamvis ingeniosus auctor esse videtur.

17. d) Denique *adhuc casus paulo immutari potest:* Theologus scribae maiorem libertatem concedat atque in ideis et sensis suis communicandis simulque in ipsa scriptione invigilanda minus accuratus sit. Tum profecto accidere potest vel vix non accidet, ut scriba generatim quidem directionem a theologo acceptam sequatur atque in plerisque mentem vel conceptiones eius exprimat et reddat, sed etiam ingenio suo indulgens ex proprio penu admisceat aliqua, quae theologus in individuo et concrete neque directe et immediate neque indirecte et mediate determinavit, imo quae eius mens forte ne concepit quidem. Iam in hoc casu, si, quae scriba ex proprio penu addit, valde pauca sunt, moraliter loquendo totius operis adhuc theologus auctor dici potest; eorum vero, quae praeter eius mentem addita sunt, auctor sane non est. Si vero a scriba plura vel multa addita sunt, liber potius duos, scilicet theologum et scribam, auctores habere dicendus est.

18. Iam ex his facile fit illatio ad sacrae scripturae inspirationem. Etenim Deus ipse et solus auctor scripturae est in vero et proprio sensu et quidem tota scriptura simpliciter ad ipsum tamquam auctorem referenda est: cum igitur in hac efficientia homines hagiographos tamquam instrumenta adhibuerit; necesse est Deus in condenda scriptura uno ex tribus prioribus modis processerit; etenim ut Deus simpliciter et proprie auctor scripturae dici possit, tertius modus adhibitus sufficere videtur, certo vero primus et secundus sufficiunt, quartus autem non sufficit. Atqui tum primus tum secundus tum tertius modus *primo* illustrationem intel-

lectus, *secundo* motionem voluntatis, *tertio* assistentiam in ipsa scriptione complectitur. Ergo his tribus elementis divina scripturae inspiratio constituitur. — Insuper vero consequitur, totam scripturam hac ratione inspiratam esse; si enim in scriptura aliqua essent, quae ea ratione inspirata non sint, Deus neque proprie et simpliciter scripturae auctor esset, neque tota scriptura inspirata recte diceretur.

4) *Quartus modus.* — Adhuc alio modo argumentum **19.** proponi potest, quo diversa inspirationis elementa magis singillatim attinguntur. Videlicet, ut Deus auctor librorum sacrae scripturae vere et proprie dici possit, necessario requiritur:

a) *divina mentis hagiographi illustratio.* Etenim generatim auctor libri est, qui per ipsum ad lectorem loquitur; qui vero per librum ad lectorem loquitur praecise per librum suas ideas, sua iudicia et sensa communicat. Ergo ut auctor, qui amanuensem in libro conscribendo adhibet, adhuc per librum loqui censeatur, plane necesse est, ut sensa eiusdem auctoris aliqua saltem ratione in amanuensem adhibitum et per ipsum ut instrumentum in librum deriventur. Atqui hoc nulla ratione fieri potest, nisi auctor amanuensi sensa sua determinate in ordine ad scribendum communicaverit; secus enim amanuensis sua propria non vero auctoris sensa litteris consignabit, quamvis ab auctore iussus scribat. Ergo cum Deus auctor scripturae sit, veritates et sensa, quae in scripturis consignari voluit, menti hagiographorum communicare vel mentem eorum ad ea in ordine ad scribendum concipienda excitare debuit; nihil autem aliud est illustratio mentis, quae asseritur; inspiratio igitur sacrae scripturae primo illustrationem mentis hagiographi necessario complectitur.

b) *Motio quoque voluntatis sive inspiratio presse dicta* **20.** *requiritur.* Nam auctor libri, ut dictum est, per librum ad lectorem loquitur. Iamvero ut auctor per librum ad lectorem loquatur, amanuensis auctori tamquam instrumentum subditus esse debet ideoque voluntas amanuensis a voluntate auctoris in libro scribendo dependeat necesse est. Ergo auctor suam voluntatem voluntati instrumenti intimare vel eam ad scribendum movere sive eam inspirare debet. Et profecto

nisi ita fiat, per librum instrumentum solum loquitur, quamvis forte ideas et sensa communicet, quae non a semetipso sed ab alio habet. Neque enim dici potest, auctorem eum esse, cuius ideae et sensa in libro consignantur, quia auctor libri non est, qui per eum non loquitur; per librum autem non loquitur, qui librum neque per se neque per alium scripsit: per alium vero non scribit, nisi qui eiusdem voluntatem ad scribendum determinat. Sic v. g. si discipulus sponte sui magistri praelectiones scribendo excipiat, libri hac ratione orti, saltem prout scriptus est, magister auctor dici nequit. Quare, cum Deus auctor scripturae sit, voluntatem hagiographorum ad sacros libros scribendos movit; quae motio nihil aliud est, quam inspiratio presse dicta. Ergo inspiratio s. scripturae praeter illustrationem mentis etiam voluntatis motionem sive inspirationem presse dictam complectitur. Aliis verbis et breviter: Non potest Deo ut auctori adscribi liber, qui praeter eius voluntatem conscribitur; ergo.

21. c) *Assistentia quoque in ipsa scriptione requiritur.* Etenim ut aliquis simpliciter auctor libri sit et per eum ad lectores loquatur, necesse est, ut ipsa scriptio ab eo efficienter procedat atque ut ex una parte nihil ab eo non intentum in libro consignetur, et ex altera parte sensa intenta non inepte exprimantur vel in falsam acceptionem detorqueantur; si enim quaedam ab auctore non intenta a scriba consignentur vel quaedam intenta quidem in alienum sensum per ineptas expressiones detorqueantur, ea auctori tribui sane nequeunt neque ipse per ea ad lectorem loquitur. Atqui eiusmodi scribae aberratio per illustrationem mentis et voluntatis motionem sufficienter exclusa non est. Ergo praeter illustrationem mentis et voluntatis motionem insuper assistentia requiritur, qua eiusmodi aberratio a scriba arceatur. Quare inspiratio sacrae scripturae, quia Deus simpliciter eiusdem auctor est et per eam loquitur, tamquam tertium elementum assistentiam complectitur, qua Deus hagiographis in ipsa quoque scriptione assistit.

22. ***2. Confirmatur ex sacra scriptura.*** — Demonstratio hucusque instituta vel doctrina ea demonstrata etiam

ex ipsa scriptura variis modis confirmari potest. Quaedam argumenta breviter indicasse satis erit:

1) *Ex testimonio scripturae inspiratio sacrorum scriptorum comprehendit intellectus illustrationem.* — Quod non una ratione patet. Et *primo* quidem, ut iam aliquoties notatum est, ss. scriptores non solum ii, qui vaticinia de futuris ediderunt, sed generatim omnes etiam ii, qui de rebus mere historicis scripserunt, prophetae vocantur eorumque libri, etiamsi prophetias stricte dictas non contineant, prophetici vocantur (cf. Eccli. 44, 3. 5.; 46, 1. 16.: 47, 1.: 48, 1. 25. 26; 49, 8—15.). Iamvero propheta Iudaeis non erat, nisi qui lumine prophetico accepto ex divina mentis illustratione loquebatur vel scribebat, et libri prophetici pariter non erant, nisi qui ex lumine divino vel divina illustratione concepti et conscripti erant, quod ipsa scriptura confirmat (cf. 3. Reg. 22, 7—28.). Ergo inspiratio scripturae divinam mentis hagiographi illustrationem comprehendit.

Praeterea ss. scriptores ea, quae scripserunt, visione 23.
divinitus immissa se accepisse asseverant, etiamsi de rebus agatur, quae naturales vires intellectus humani non excedunt. Ita v. g. scriptor proverbiorum: „*Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus et qui Deo secum morante confortatus est*“ (30, 1.). His videlicet ea inducit, quae deinceps exponit, in quibus plura saltem inveniuntur, quae naturalem hominis intelligentiam non excedunt. Visio autem hominis, cum quo Deus est et qui Deo secum morante confortatus est, manifesto illustrationem divinitus acceptam dicit. Ergo scriptor proverbiorum ex divina illustratione scripsit. Quod autem de uno scriptore sacro vel de uno libro scripturae valet, id ipsum propter aequalem eorundem dignitatem de omnibus dicendum est. Ergo.

Denique idem inde patet, quod ss. scriptores in ipsa scriptura dicuntur loqui verba Dei, sermones Dei, vel quod Deus per ipsos et in ipsis loqui exhibetur cf. Ezech. 3,10. 11.: Zach. 7, 12. etc.

2) *Ex scripturae doctrina inspirationis charisma item* 24.
voluntatis motionem comprehendit. — Huc *imprimis* pertinet

testimonium S. Petri supra iam adductum: „*Non enim humana voluntate aliquando allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*“ (2. Pet. 1, 21.). His enim verbis imprimis et directe voluntas humana autonoma ab efficientia sacrae scripturae excluditur; cum tamen ss. scriptores profecto non ut instrumenta inanima, sed volentes sacros libros conscripserint, significatur, voluntatem eorum ad scriptionem divinitus motam esse; quod egregie confirmatur, quia Spiritu Sancto inspirati ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι locuti esse dicuntur. Terminus enim φερόμενοι imprimis voluntatem hagiographorum respicit eamque a Deo inflatam vel inspiratam significat.

25. *Secundo* huc etiam ea scripturae testimonia spectant, quibus sacri scriptores a Deo iussi scribere exhibentur: „*Dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus*“ (Ex. 34. 27.). „*Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis*“ (Is. 8. 1.). „*Respondit mihi Dominus et dixit: Scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur*“ (Habac. 2. 2. 3.). „*Factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino dicens: Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israël et Iudam, et adversum omnes gentes, a die, qua locutus sum ad te, ex diebus Iosiae usque ad diem hanc . . .*“ (Ier. 36. 1, ss; cf. Apocal. 1, 3; 4, 2. etc.).

26. 3) *Inspiratio denique assistentiam quoque divinam in ipsa scriptione comprehendit.* — Id intelligitur tum ex testimoniis supra (th. 10.) iam adductis, quibus libri sacri, quatenus scripti sunt, simpliciter ipsi Deo tribuuntur, tum ex iis, quibus hagiographi tamquam organa Dei in ipsa scriptione exhibentur: „*Verba, quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum priorum*“ (Zach. 7, 12.).

27. ***3. Item confirmatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Videlicet in testimoniis eorum supra iam adductis plerisque duo priora saltem inspirationis elementa, in nonnullis etiam tertium distincte notantur. Quare hoc loco ceteris praeter-

missis sufficit. egregium solius *Augustini* testimonium iam supra adductum iterum proponere et in eo illa tria element notare sufficit: „Itaque cum illi (discipuli) scripserunt, quae ille ostendit et dixit (en *illustratio intellectus*) nequaquam dicendum est. quod ipse non scripserit; quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt (en iterum *illustratio mentis*). Quidquid enim de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis membris imperavit (en *inspiratio* vel *motio voluntatis*). Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordiam membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat scribentem (en etiam *assistentiam* in scriptione indicatam) conspexerit" (De cons. Evang. l. 1. c. 54.).

Scholion.

28. ***1. De impugnatione quadam praecedentis demonstrationis.*** – Principalem thesis demonstrationem ex notione auctoris libri per analysin derivatam, quam Cardinalis Franzelin primus accuratius evolvit, recenter *D. Zanecchia O. P.* magno cum apparatu logico impugnavit quinque rationes urgens, quibus methodum illam evidenter irrationalem, illogicam, erroneam demonstrari imaginatur et gloriatur. Fundamentum vero vel summa totius impugnationis in eo est, quod *primo* diversis modis quis auctor libri esse possit, quin sit eiusdem inspirator, et quod *secundo* prius sit inspirare, quam auctorem esse; hinc enim evidenter consequi contendit ille, ex notione inspirationis potius explicandam esse notionem auctoris libri, opposito vero modo i. e. methodo supra adhibita totam logicam perverti. – Ad repellendam totam hanc impugnationem sufficit quidem breviter haec duo animadvertere: *Primo* sicut aliquis auctor libri esse potest, quin sit eiusdem inspirator, ita etiam quis inspirator libri esse potest, quin auctor eiusdem sit; ergo sub hoc respectu in eadem conditione uterque procedendi modus invenitur. *Secundo* manifesto nihil repugnat.

quominus aliquid prius altero sit et tamen ex hoc altero explicari possit; ita Deus prior mundo creato est atque nihilominus ex mundo creato exsistentia, natura, proprietates Dei demonstrantur et explicantur; ergo etsi inspiratorem esse prius sit, quam auctorem esse, nihilominus ex hac posteriore notione illa prior explicari poterit. His, inquam, brevibus animadversionibus totum illius impugnationis aedificium logicum subvertitur; quia tamen ipsa res, de qua agitur, satis gravis momenti est, singulas rationes obiectas in specie accuratius considerare praestabit:

29. 1) „*Prima ratio* haec est. Deus vere et proprie auctor alicuius scripturae esse potest, quin inspirator illius sit. Sic ex eo quod actiones sunt suppositorum, quando Christus in templo inclinans se deorsum digito in terra scribebat (Ioan. 8. 6. 8.), Deus vere et proprie auctor illius scripturae exstitit, cuius tamen inspirator non fuit. Insuper quis negabit Deum sive per semetipsum sive per ministerium hominum vel angelorum, gratuita etiam virtute, posse producere scripturas ad bonum universalis ecclesiae non ordinatas, id est scripturas non canonicas, quemadmodum, uti traditur, in pluribus sanctis contigit, ut etiam in superficie parietis regis Baltassaris evenit (Dan. 5, 3.), necnon in duabus tabulis lapideis egit (Deut. 5, 22.). Patet enim postremas huiusmodi scripturas in pariete et in tabulis lapideis exaratas, canonicas non fuisse, sed tales evasisse, cum ab hagiographis in libris Danielis et Moysis relatae fuerunt. Et tamen Deus illarum scripturarum vere et proprie auctor exstitit, nullatenus vero inspirator fuit, saltem inspiratione, de qua loquimur, hoc est inspiratione biblica, nam haec posterius scripturis illius supervenit. Ex hoc ergo, quod Deus est auctor alicuius scripturae, deduci logice non potest, quod inspirator illius sit“ (p. 11.).

30. *R.* Tota haec obiectio falso supposito innititur et confusione laborat. Nimirum Cardinalis Franzelin et qui cum ipso hac in re sentiunt, nequaquam ex abstracto et communi conceptu *auctoris libri* inspirationem deducunt, quod sane ineptum esset; sed ex veritate certa, antea probata, per magisterium authenticum definita: *scripturam Spiritu Sancto inspi-*

rante per homines tamquam instrumenta conscriptam Deum habere auctorem, per analysin notionis auctoris libri elementa constitutiva inspirationis deducunt vel eiusdem naturam declarant; quod a defectu obiecto penitus diversum est. Aliis verbis, cum secundum illam formulam dogmaticam ab ipsa ecclesia sancitam inspiratio scripturae talis fuerit, ut Deus per hagiographos tamquam instrumenta rationalia auctor eiusdem sit, praecise per analysin notionis auctoris libri per instrumenta rationalia librum conscribentis determinandum est, qualis inspiratio, quae per se et abstracte sumpta varia esse potest, reipsa fuerit; ergo per eandem analysin elementa constitutiva inspirationis biblicae deduci possunt et legitime et logice deducuntur. Hinc exempla adducta obiectionem non fulcire facile intelliguntur. Et *primo* quidem auctor scripturae illius a Christo scriptae Deus erat, quia Christus Deus, non vero solum instrumentum rationale Dei est. *Item* scripturae in pariete regis Baltassaris scriptae Deus non per instrumentum rationale, sed per semetipsum auctor fuit. *Praeterea* de scriptura in tabulis lapideis idem dicendum est. *Denique* si Deus per ministerium angelorum vel hominum tamquam instrumentorum rationalium vel per inspirationem exsistat auctor aliquorum librorum, tum eadem ratione, qua supra factum est, ex notione auctoris libri omnino legitime natura eiusdem inspirationis explicatur; neque quidquam deest, ut eiusmodi liber canonicus sit, nisi ut ecclesiae tamquam divinitus inspiratus tradatur, quod inspirationi ut tali plane extraneum est.

2) „*Secunda ratio* . . . Conceptus pluribus rebus com- **31.**
munis illogice assumitur ut medium ad declarandam naturam unius rei, prout ab aliis distinguitur. Hoc inconveniens invenitur in thesi a Franzelin posita. Licet enim ipse recte statuat primo quod nomen *auctoris*, per se et seorsum sumptum, significationem genericam habet, et ideo plures significationes specifice inter se distinctas comprehendat; statuit tamen secundo quod hic terminus complexus *auctor libri* ratam ac fixam significationem specificam habet. Et hoc etiam verum est. Attamen Franzelin non animadvertit ratam ac fixam significationem *auctoris libri* eo ipso, quod specifica

est, communem esse, nam species singularia distincta sub se habet; et ideo non potest logice assumi ut medium ad intimam naturam singularium convenientium in communi illa significatione declarandam, prout unum ab altero distinguitur. Etenim esse auctorem libri, aequali modo auctori libri per inspirationem et auctori libri sine inspiratione convenit. Quomodo igitur per analysin auctoris libri perveniri potest ad *distinctam* declarationem notionum inspiratoris et inspirationis libri, cum conceptus auctoris libri omnino indifferenter ad inspiratorem et non inspiratorem se habeat? Sicut per conceptum specificum hominis est impossibile pervenire ad distinctam Petri notionem, quia talis conceptus distinctiva Petri elementa minime includit: ita per significationem auctoris libri impossibile est ad distinctam notionem inspiratoris ac inspirationis libri pervenire, quia dicta significatio differentialia atque propria inspiratoris inspirationisque elementa nequaquam includit" (p. 12.).

32. *R.* Etiam hoc argumentum totum quantum ex mera confusione procedit: quod facile patet, si res accuratius consideretur. Itaque processus deductivus institutus, de quo agitur sic habet: scopus inquisitionis est, determinare, qualis inspiratio scripturae fuerit; cum autem ea inspiratio per se varia esset possit, constat tamen per doctrinam catholicam, eandem talem fuisse, ut per eam Deus mediis hagiographis tamquam instrumentis rationalibus vere et proprie auctor scripturae sit; quare, quae auctor, ut auctor sit, essentialiter praestare debet, in hoc casu media inspiratione vel mediis hagiographis tamquam instrumentis rationalibus praestare debet: auctori vero ut tali essentiale est, ut autonome agens suas ideas et sua sensa circa certum argumentum sive per se sive per alium ut instrumentum scripto consignans exsistentiam libri determinet. Deus igitur per inspirationem vel per hagiographos tamquam rationalia instrumenta scripturae auctor, suas ideas et sua sensa per inspirationem vel mediis hagiographis tamquam rationalibus instrumentis scripto consignans exsistentiam scripturae determinavit; ad hoc vero necessarium fuit, ut hagio-

graphorum menti ideas et sensa scribenda communicaret, ut voluntatem eorum ad scriptionem moveret, ut denique, quod ipsam scriptionem attinet, ei saltem invigilaret, ne quid a sua mente alienum exprimeretur vel ineptis expressionibus ad alienum sensum perverteretur; ergo inspiratio, per quam Deus auctor scripturae est, haec tria elementa necessario complectitur. *En processus institutus*, qui nonnisi irrationabiliter et absurde tamquam irrationalis et illogicus traduci potest. Non enim ex notione abstracta et generica auctoris libri notio magis specifica auctoris per inspirationem deducitur, ut ille logicus semper confuse supponit; sed notione generica auctoris libri prae oculis habita, dicitur inspiratorem non esse auctorem, nisi elementa constitutiva huius in illo inveniantur: vel determinatur, quae elementa in inspiratore necessario insint, ut auctor dici possit; determinatur igitur, num aliqua concreta vel individua res ad certam speciem pertineat, sive determinatur, qualis esse debeat, ut pertinere possit. Pari ratione notione hominis prae oculis habita determinatur, num hoc individuum Petrus ad speciem humanam pertineat; videlicet pertinet tum solum, si elementa constitutiva hominis i. e. animalitatem et rationalitatem contineat; absurde autem quis ex notione specifica hominis individualitatem Petri deducere vellet. Hinc exemplum adductum, prout adducitur vel applicatur, ineptum et absonum est.

3) „*Tertia ratio* . . . Ratio vel causa formalis constitutiva inspiratoris libri non consistit in eo, quod quis auctor libri exsistat; imo res e converso se habet, videlicet ex eo, quod aliquis est auctor alicuius libri, non sequitur, quod illius inspirator sit. Quot enim auctores librorum adsunt, quin illorum inspiratores sint. At ex eo, quod aliquis inspirator libri est, is legitime infertur illius auctor esse. Sicut Petrus non ideo est homo, quia est animal, sed ideo est animal, quia homo est: quapropter animalitas non est ratio vel causa formalis cur Petrus sit homo, est tamen humanitas vera ratio formalisque causa cur animal sit; ita Deus non ideo est inspirator scripturae, quia illius est auctor, sed ideo est scripturae 33.

auctor, quia inspirator illius est. Quod ergo his verbis auctor libri significatur, non est ratio vel causa formalis, cur Deus inspirator libri sit, dum e contra, quod significatur his aliis verbis *inspirator libri* est vera causa, cur auctor illius exsistat. Horum ratio in hoc reposita est, quod animalitas solummodo potentialiter humanitatem continet; et quoniam a posse non valet illatio ad esse, ideo animalitas non est vera ratio formalisque causa, cur suppositum sit homo; seu ex hoc, quod aliquid est animal, quod sit homo minime sequitur. E contra humanitas actualiter animalitatem continet specifica differentia contractam, ideoque est vera ratio formalisque causa cur individuum sit animal. Unde ex hoc quod aliquis est homo, legitime, quod sit animal, infertur. Similiter significatio auctoris libri dumtaxat potentialiter significationem inspiratoris libri continet, et ideo haec posterior significatio illegitime ex illa deducitur: attamen significatio inspiratoris libri actualiter rationem auctoris libri contractam per propriam differentiam continet; et ideo ex hoc quod aliquis est inspirator libri legitime deducitur, tamquam a vera ratione vel formali causa, auctorem libri esse. Methodus ergo a cl. Franzelin excogitata rem subvertit, quia pro causa formali inspirationis eiusque effectus id accipit, quod nonnisi effectus et consequentia inspirationis est" (p. 13.).

34. *R.* En iterum speciosus apparatus logicus, quo quidem illud demonstratur, quod nemo negat, vel illud refutatur, quod nemo sanus unquam affirmavit: scopus vero intentus per hunc lusum logicum neque a longe attingitur, utpote qui totus quantus iterum in falso supposito exstructus est. Etenim, quod iam dictum est, ab illo vero logicae magistro nunquam attenditur, Cardinalis Franzelin, sicut quivis alius cordatus theologus, ne somnians quidem, ex hoc solo quod Deus est simpliciter auctor scripturae, unquam deduxit, eiusdem scripturae eum esse etiam inspiratorem: sed ex eo, quod secundum doctrinam catholicam Deus auctor scripturae est per inspirationem vel per hagiographos tamquam instrumenta rationalia, deducit, inspirationem scripturae, quae per se diversa esse posset, comprehendere tria elementa supra notata; nisi

enim inspiratio haec tria elementa contineat. Deus per eam auctor in vero et proprio sensu non est. Qua sola animadversione tota illa obiectio logica explosa est. Insuper vero haec utiliter animadverti possunt: *Primo* falsum est, ex eo, quod aliquis inspirator est, legitime inferri, eundem etiam auctorem libri in vero et proprio sensu esse; etenim terminus inspiratoris latitudinem quandam habet vel inspiratio diversa esse potest; sic qui alteri persuadet, ut de certo argumento librum componat, atque etiam eundem ideas quasdam subministrando vel alio modo adiuvet, inspirator quidem eiusdem libri dicitur et est, auctor autem eiusdem in vero et proprio sensu non est, nisi tria illa, quae supra explicata sunt, plene et perfecte verificentur; pariter SS. Patres, ut supra notatum est, quaedam scripta divinitus inspirata vocaverunt, quorum Deum verum et proprium auctorem certissime non habuerunt. *Secundo* falso vel ambigue asseritur, animalitatem non esse rationem vel causam formalem, cur Petrus sit homo; etenim animalitas humanitatis Petri causa formalis quidem non adaequata, sed inadaequata est, cum adaequate homo per animalitatem et rationalitatem simul constituatur. *Tertio* quod dicitur, significationem *auctoris libri* dumtaxat potentialiter significationem *inspiratoris libri* continere, verum est, si terminus auctor libri abstracte sumitur: falsum vero est, si de auctore libri per rationalia instrumenta sermo est. *Quarto* item falso asseritur, Cardinalem Franzelin pro causa formali inspirationis eiusque effectus id accipere, quod nonnisi effectus atque consequentia inspirationis est. Videlicet solum ex eo, quod Deus auctor scripturae per inspirationem vel per homines tamquam rationalia instrumenta est, inspirationis elementa constitutiva deducit, de habitudine vero inter notiones auctoris libri et inspiratoris libri nihil statuit. Reipsa autem hae notiones se invicem determinant ita, ut sub uno respectu *inspirator* tamquam genus et *auctor* tamquam differentia specifica et sub alio *auctor* tamquam genus et *inspirator* tamquam differentia specifica concipi possint; cum autem differentia specifica relate ad genus se habeat tamquam determinans ad determinabile, sive actus

ad potentiam, sive causa formalis ad effectum formalem, consequitur, sub alio et alio respectu tum auctorem esse causam formalem inspiratoris tum inspiratorem causam formalem auctoris. — Sed novam rationem ex relatione inter causam et effectum petitam logicus noster efformat:

35. 4) „Insuper ab effectu, qui ex diversis causis oriri potest, praesumit, ad distinctam notionem naturae unius causae assurgere, prout illa causa ab aliis distinguitur. Ex hoc accipitur *quarta ratio*. Etenim si ageretur de causa univoca, quae est eiusdem ordinis cum effectu, tunc ex cognitione et analysi effectus legitime ad cognitionem intimae naturae causae assurgi posset, quia tunc effectus causae adaequatus esset. Sed quando effectus a diversis causis provenire potest, non univoce cum causa convenit, ut ex se patet, et ideo, cum non sit causae adaequatus, ex eius cognitione atque analysi assurgi nequit ad intimam notionem unius causae, prout ipsa ab aliis distinguitur. Ex dictis vero constat *auctorem libri* esse effectum, qui a diversis causis oriri potest, videlicet ab omnibus efficienter concurrentibus ad compositionem libri sive principaliter sive instrumentaliter, sive inspiratione sive absque inspiratione; nequit igitur ex huiusmodi effectu fieri logica deductio quoad divinam inspirationem biblicam sive active sive passive acceptam, hoc est tam ex parte Dei inspirantis, quam ex parte scriptoris inspirati. Quapropter methodus, quae apud Franzelin in investiganda natura inspirationis reperitur, tamquam irrationalis reiicienda est“ (p. 15.).

36. *R.* Etiam haec satis confusa ratio plane inefficax est. Ut vero totalis eius inanitas perspiciatur, iterum accurate considerandum est, qualis sit processus ea ratione impugnatus. Itaque cum ex doctrina catholica constet, Deum per inspirationem hagiographorum vel per eosdem tamquam rationalia instrumenta in vero et proprio sensu auctorem scripturae exstare, ex notione auctoris libri determinatur, qualis illa inspiratio fuerit. Videlicet cum auctor libri in vero et proprio sensu non sit, nisi qui suas de certo argumento ideas vel sensa scripto consignans exsistentiam libri determinat, Deus auctor scripturae per inspirationem vel per hagiographos

tamquam rationalia instrumenta non est, nisi quatenus hac ratione suas ideas vel sensa scripto consignans exsistentiam scripturae determinat: hoc ipsum autem non facit, nisi inspiratio ab eo procedens tria elementa statuta contineat; ergo. Quo processu quidem ex natura effectus ad naturam causae, vel potius ex natura rationati ad naturam rationis concluditur: verum haec illatio plane legitima esse illico perspicitur. Sic etiam ex eo, quod aliquis vere et proprie filius Petri est, recte infertur, eundem a Petro generatum esse. Quae vero opponit logicus, absona et confusa sunt. Et *primo* quidem falso asserit, ex effectu naturam solius causae univocae determinari posse; quod manifeste patet, quia v. g. ex mundo creato exsistentiam naturam proprietates divinas demonstramus, cum tamen Deus mundi causa aequivoca non univoca sit. *Secundo* absone inspirationem tamquam causam aequivocam τοῦ *auctorem esse* designat, quia causa aequivoca vel univoca non dicitur nisi efficiens: inspiratio autem non causa efficiens, sed ratio est τοῦ *auctorem esse*. *Tertio* item inepte opponitur, ex effectu, qui ex pluribus causis provenire potest non posse determinari naturam unius causae prae alia. Quando enim effectum ex certa et individua causa provenire constat, huius praecise causae natura ex effectu determinatur: ratio est, quia quaelibet causa suum effectum aliqua ratione praecontinere debet. Itaque ex notione *auctoris libri* tamquam effectu vel consequenti vel rationato natura inspirationis tamquam causae vel rationis convenienter determinatur. Ceterum neque agitur de inspiratione explicanda, ut est distincta ab aliis causis τοῦ auctorem esse, sed ut in se est et ut elementa continet, quae aequivalente ratione in quovis libri auctore adesse debent. Denique *quarto* per transennam notandam est, falso item a logico nostro asseri instrumentalem causam libri unquam in vero et proprio sensu auctorem libri vel vocari vel esse. Quare non methodus Cardinalis sed impugnatio eiusdem per logicum nostrum manifesto irrationalis est.

5) „*Quinta ratio.* Si huiusmodi propositiones considerentur: aliquis inspirator scripturae est auctor scripturae; omnis inspirator scripturae est auctor scripturae, manifeste apparebit 37.

utramque veram esse, praesertim si influxus inspiratoris non sit moralis, sed physicus, ut in casu nostro habetur. Insuper patebit earum subiectum, id est *inspirator*, necessario includere in proprio significatu conceptum praedicati, nempe *auctoris scripturae*, non quidem universaliter acceptum, sed particulariter sumptum. Cum enim ambae propositiones affirmativae sint, ex eis non solum identitatem inter subiectum et praedicatum adesse asseritur, sed insuper vi regulae enuntiationis affirmantis, quae exigit, ut praedicatum vi propositionis non universaliter accipiatur, opus est, ut praedicatum *auctor* in illis non sumatur secundum totam extensionem suae significationis, sed particulariter, ita nempe ut intra suum ambitum non tantummodo subiectum in propositione expressum contineat, sed alia quoque subiecta amplectatur. Hinc quod saepius diximus, videlicet conceptum *auctoris* latius patere conceptu *inspiratoris*, confirmatur. — Praefata tamen identitas inter praedicatum et subiectum in allatis propositionibus, efficere nunquam potest, ut praedicatum, id est auctor, per se proprium inspiratoris conceptum exhibeat: quemadmodum apparebit, si in illis enuntiationibus praedicatum loco subiecti ponatur, dicendo: aliquis auctor libri est inspirator eiusdem: omnis auctor libri est inspirator illius. Si enim auctor libri vi sui, hoc est in sua specifica significatione, necessario includeret proprium inspiratoris conceptum, tunc ambae postremae enuntiationes non minus verae essent, quam priores, quia utraque postrema idem subiectum habet, sicut ambae priores. Patet autem ultimam enuntiationem falsam esse: plures si quidem dantur auctores libri, qui tamen inspiratores libri non sunt. Unde notio auctoris libri vi propria non includit notionem inspiratoris. Quod proinde ista propositio: aliquis auctor libri est inspirator libri, sit vera, hoc non ex conceptu *auctoris libri*, sed aliunde repetendum est, ex trita scilicet illa suppositionis regula, qua statuitur subiectum in propositione supponere iuxta exigentiam praedicati. Etenim inter multos ac varios auctoris libri significatus hic etiam recensetur, ut quis posset esse auctor libri per inspirationem. Et profecto hunc sensum habere debet subiectum *aliquis auc-*

tor libri in allata propositione, ut supponat iuxta exigentiam praedicati; quo modo habetur veritas propositionis atque extremorum identitas. Cum igitur auctor libri vi proprii significati non includat inspiratoris conceptum, quando assumitur ut medium ad distinctam notionem inspiratoris assequendam vel declarandam, irrationali methodo veritas inquiritur" (Ib. p. 15.).

R. Etiam hac ultima obiectione, quam tanto cum apparatu **38.** dialectico adversarius opponit, nihil nisi aërem verberat. Semper enim falso supponit, ex abstracta notione auctoris libri notionem inspiratoris libri deduci; secus enim nihil efficitur. Qua ratione vero per analysin notionis *auctoris libri* elementa inspirationis deducantur, iam evidens est. Cum enim vario modo Deus scripturam inspirare potuerit, eam reipsa ita inspiravit, ut auctor eiusdem evaderet; hinc notione *auctoris libri* considerata determinatur, quibusnam elementis concreta scripturae inspiratio constituatur. Simili ratione etiam in aliis quaestionibus theologi merito procedere solent: sic v. g. ex notione sacrificii determinant, quibusnam elementis celebratio missae essentialiter constituatur; necnon ex notione peccati communiter sumpti quaedam originalis peccati constitutiva accuratius definiunt. Ceterum de his satis dictum est. Solum superest, ut quaedam alia etiam in hac obiectione falso a logico nostro asserta notentur: Itaque *primo* falso asseritur, notionem inspiratoris scripturae necessario includere in propria significatione notionem auctoris scripturae hoc termino quidem non universaliter, sed particulariter sumpto. Etenim, ut supra demonstratum est, Deus scripturam ea ratione inspirare potuit, qua eius auctor in vero et proprio sensu non fieret. Hinc *secundo* etiam falso asseritur, conceptum auctoris libri simpliciter latius patere, quam conceptum inspiratoris libri; etenim ex una quidem parte non omnis auctor libri etiam eiusdem inspirator est ideoque sub hoc respectu conceptus auctoris latius patet: ex altera vero parte neque omnis inspirator libri eiusdem auctor in vero et proprio sensu est ideoque sub hac ratione conceptus inspiratoris latius patet. Quae quidem ex dictis facile omnia intelliguntur.

39. Atque his satis superque de argumentis illius theologi Romani dictum est; raro autem contigerit, ut argumentatio aliqua simul tanto cum apparatu dialectico institueretur et simul tam labilis imo tam inepta et absona esset. Atque hoc ipsum ideo paulo fusius ostendendum fuit, ut exemplo aliquo ad oculos demonstraretur, qua ratione certi quidam scriptores auctoritatem tanti theologi, quantus est Cardinalis Franzelin, labefactare conentur.

40. ***2. Num hagiographi auctores ss. librorum vocari possint?*** — *R.* Non eadem penitus ratione ad hanc quaestionem theologi respondent. Si vero tradita et explicata notio auctoris libri et doctrina catholica de inspiratione prae oculis habeantur, responsio vera satis facilis et certa esse videtur. Etenim secundum eam doctrinam Deus tamquam causa principalis per homines hagiographos tamquam instrumenta scripturam produxit: iamvero secundum plenam vim vocis sola causa principalis in vero et proprio sensu auctor libri dici solet: quare solus Deus secundum plenam vim vocis scripturae auctor est; hagiographi igitur secundum plenam vim vocis in vero et proprio sensu auctores scripturae non sunt. Vel auctor secundum plenam vim vocis in vero et proprio sensu non est, nisi qui autonome agens suas circa certum argumentum ideas et sensa per se vel per alium scripto consignans exsistentiam libri determinat: atqui hagiographi primario non suas, sed Dei ipsius ideas et sensa scripto consignarunt: atque in hac scriptione non autonome sed tamquam instrumenta Dei ab ipso mota egerunt: ergo hagiographi secundum plenam vim vocis in vero et proprio sensu auctores scripturae non sunt. Huc pertinere videntur verba *S. Isidori Hispalensis* iam supra relata: „Hi sunt scriptores sacrorum librorum . . . Autor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit" (De ecclesiast. offic. 1, 12. 13.).

41. Ex altera tamen parte hagiographi in scribendis libris sacris non se habuerunt tamquam instrumenta inanima, sed scientes et volentes scripserunt; neque meri amanuenses

fuerunt, verum sua quoque iudicia et sensa expresserunt, librum scribendum mente et voluntate conceperunt et ordinem servandum disposuerunt, vocabula et expressiones elegerunt; nihil tamen horum, nisi sub inspiratione divina constituti peregerunt. Iam cum hagiographi hac ratione fere magis vero auctori quam instrumento inanimo vel etiam simplici amanuensi assimilentur, etiam ipsi quadantenus auctores ss. librorum dici possunt et a SS. Patribus v. g. Augustino (ep. 82, 3.) dicti sunt; melius vero et accuratius est, eosdem restrictione addita *auctores secundarios*, Deum autem auctorem simpliciter vel etiam primarium appellare; atque hunc modum loquendi reipsa multi theologi servant eumque adoptavit etiam Leo XIII. in suis de sacra scriptura encyclicis litteris *Providentissimus Deus*. Ex theologis hunc loquendi morem proponit simulque rationem eius reddit *Henricus Gandavensis*: „In artificialibus, ubi est unus artifex, qui opus dirigit et regulat, et alius manu operans secundum regulas ab artifice traditas, manu operans non dicitur auctor operis, sed artifex, maxime ab hoc, quia hic rationes et regulas operandorum novit, ille autem non . . . Similiter ergo erit in aliis artibus et scientiis, quod, secundum quod describens artem novit vel non novit regulas artis, secundum hoc debet dici auctor artis vel non auctor, ut ille, qui per se novit rationes et regulas artis, quas alteri describendas dictat et proponit, debeat dici auctor principalis et primus scientiae, non autem, qui eam immediate describit. Nunc autem ita est, quod rationes et regulas huius scientiae (supernaturalis) solus Deus per se et de se novit, nec potuit creatura ulla ex puris naturalibus ad eam attingere, sed secundum regulas et rationes eius sibi inspiratas a Deo prophetae et apostoli eam conscripserunt et conscribere potuerunt . . . Solus ergo Deus potest dici auctor huius scientiae. Quia tamen per homines ministratae sunt scripturae, qui eos conscripserunt, et contemplati sunt ipsam sapientiam, quantum potuit humanis cordibus contingi, et sic regulas artis huius, quam conscripserunt, perfectissime intellexerunt, non solum organa et canalia, ut per quae transierunt verba huius scientiae . . . immo vero, licet secundarii, debent dici auctores ex

thesauro artis sibi infusae eam describentes . . . Sicut enim in prophetarum potestate non erat, semper habere spiritum, semper futura praedicere, ita non erat potestatis eorum, ut quaecunque vellent docerent, sed ea sola docebant, quae a Spiritu didicerant . . . ut possit quoad hoc homo dici auctor secundarius et ministerialis" (Summa, a. 9. q. 2.).

42. *Ex his intelligitur*, falso asseri a criticis quibusdam catholicis quoque, *primo libros scripturae tam humanos esse ac si divini non essent.* Profecto enim liber a Deo tamquam auctore simpliciter vel auctore principali, ab homine tamquam instrumento Dei vel auctore secundario procedens, non tam humanus est, quam ille alius, qui ab homine tamquam auctore simpliciter vel auctore principali originem ducit. Secus enim etiam dici posset, librum, quem scriba tamquam instrumentum alterius scribit, tam esse scribae proprium, quam eum, quem autonome agens proprio marte composuit: quod absurdum est. Neque igitur dici potest, sacros libros tam humanos esse, ac si divini non essent, quin negetur, eosdem libros Spiritu Sancto conscriptos Deum auctorem habere. — *Pariter* falso ab iisdem asseritur, *sensum ss. librorum non minus esse proprium hagiographis, quam sensum v. g. oratoris Ciceroni, sensum Iliados Homero.* Videlicet sensus ss. librorum ita imprimis Deo principali auctori proprius est, ut ad plura se extendere possit, quam quae ab hagiographis intellecta vel intenta sint. Apposite *S. Thomas*: „Sciendum, quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens (respectu principalis agentis, id est Spiritus Sancti), etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis, Spiritus Sanctus intendit" (2. 2. q. 17. 3. a. 4. .

Thesis 12. Ad rationem libri inspirati neque sola assistentia divina errorem a scribente avertens, neque subsequens Spiritus Sancti approbatio sufficit.

Declaratio.

1. Postquam vera et catholica de natura inspirationis doctrina exposita et demonstrata est, iam considerandae et refu-

tandae veniunt quaedam explicationes inspirationis falsae vel insufficientes; qua refutatione veritas demonstrata adhuc magis splendebit. Earum autem falsarum sententiarum duae solum ex professo examinandae sunt, quippe quibus refutatis ceterae quoque, quae propositae sunt, vel fingi possunt, refutatae intelliguntur.

2. ***1. Sententia a Chrisman, Jahn aliisque proposita.*** — Hi auctores ponunt, divinam inspirationem librorum sacrorum non dicere positivum ullum influxum a Deo in hagiographum exercitum, sed in mera assistentia negativa scriptorem ab errore praeservante consistere. Ita ipse *Jahn* hanc sententiam exponit: „Divinam assistentiam ad praemuniendos errores appellamus suggestionem seu inspirationem, quae appellatio usu loquendi consecrata est, quamvis non valde apta sit; exprimit enim aliquid positivum, cum tamen notio subiecta sit negativa. In hoc ipso quippe haec divina praemunitio ab errorre differt a revelatione, quod scriptori nullas novas cogitationes suppeditat, cum nihil docet sed tantummodo impedit immixtionem erroris in iis, quae iam novit; revelatio autem doctrinas, cognitiones et intelligentiam divinorum consiliorum subministrat. Haec definitio inspirationis et distinctio a revelatione diligenter animadvertenda est; frequenter enim una cum altera permiscetur, ex qua confusione magnae deinde oriuntur difficultates“ (Introduct. ad vet. testam. tom. 1. § 19.).

3. ***2. Sententia, quam Bonfrerius primus proposuit, alii deinceps acceptarunt et defenderunt.*** — *Bonfrerius* hunc in modum suam de inspiratione scripturae mentem exponit: „*Tribus modis* potest concipi Spiritum Sanctum sese cum sacris scriptoribus habere, antecedenter videlicet, concomitanter et consequenter; qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit scriptura sacra et verbum Dei. *Antecedenter* se habet Spiritus Sanctus, cum inspirat. revelat, demonstrat, quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt, ad eum modum, quo discipulus magistro dictante exci-

pit, quae ab eo proferuntur . . . etiam ad eum modum, quo, qui scribere discit, ad formandos characteres permittit sibi a magistro, manum tenente et dirigente, eandem manum et calamum, non quo et quomodo ipse velit, sed quo et quomodo vult is, qui dirigit et impellit, moveri: hoc est ad eum modum, ut non sit in potestate loquentis et scribentis aliud loqui et scribere, quam quod Spiritus Sanctus inspiraverit" (Praeloqu. in scripturam sacram c. 8.). Hoc vero modo Spiritum Sanctum se habuisse quoad illas sacrorum librorum partes putat, in quibus veritates supernaturales humani intellectus vires excedentes proponuntur.

4. *Deinde* vero „*concomitanter* se habet Spiritus Sanctus, cum non ad modum dictantis et inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo quis alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus Sanctus scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat. Cum enim praesciat, quid ille scripturus sit, ita ei adstat, ut sicubi videret eum erraturum, inspiratione sua illi esset adfuturus." Hinc in scriptoribus, qui sub hac concomitante Spiritus Sancti actione versantur est „determinatio quaedam ab extrinseco, ut diversa vel contraria iis, quae scribunt, scribere non possint, cum scribentes Spiritus Sanctus non patiatur errare, semper adstet scribentibus in actu primo illis, quae scribenda sunt, inspirare paratus (?), sicubi sibi relicti essent aberraturi. Ab intrinseco tamen liberi sunt, cum reipsa illis Spiritus Sanctus non determinet, nec quidquam antecedenter in illis operetur nisi sicubi operatio divina illis est necessaria." Hunc vero modum generatim ad partes scripturae historicas refert: „Hic modus videtur a Spiritu Sancto conservatus in historiis, dictis aliorum factisque referendis, quae vel visu cognita vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant. Ita evangelia, ita acta apostolorum, ita Machabaeorum libri, ita ceteri libri historici, a prophetis aliisve conscripti, nisi cum res ob antiquitatem vel remotionem temporis aut locorum arcanae et inognitae referendae fuerunt, uti factum a Moysi in Genesi" (Ib.). Notandum adhuc est quoad hunc modum „non deesse

scriptori initio inspirationem quandam generalem scribendi talem historiam, vel pulchras gnomas ad vitam moresque bene componendos, vel quid aliud, licet haec inspiratio sit fere interna et occulta."

Tandem „*consequenter* se habere posset Spiritus Sanctus, **5.** si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse. Certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus Sancti conscripta essent, quemadmodum tam est regis verbum et paris auctoritatis, cum quis a secretis vel notarius proprio marte mandatum aliquod regium vel instrumentum publicum concipit, quod postea rex probat vel sigillo suo impresso munit, cum eo, quod rex ipse concipit, scribit, dictat. Hoc tertio modo, etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, sacrae scripturae libris, absolute tamen nihil vetat, uti vel etiam aliquando usum forte in iis libris nonnullis ac scriptis, quos supra . . . diximus fuisse scripturam sacram et postea tamen intercidisse." Denique addit, Spiritum Sanctum hoc modo Arati et Epimenidis dicta approbasse (Act. 17, 28.; Tit. 1, 22.) et concludit: „Pari modo integram unam historiam vel librum aliquem sive de moribus sive de re quapiam alia tractantem, quamquam initio profano spiritu scriptum, potest Spiritus Sanctus scripturam sacram reddere asserendo vera esse omnia, quae in eo libro haberentur" (Ib.).

3. Sententia ab Haneberg aliisque proposita. **6.** — Longius quam *Bonfrerius* processit cum aliis quibusdam recentioribus *Haneberg* (Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung, Abschn. 9. Kap. 4. § 8.). *Primo* refert, *Bonfrerium* triplicem inspirationem distinxisse, nimirum: inspirationem antecedentem, inspirationem comitantem, inspirationem subsequentem. Deinde pergit: „Quae ex his tribus speciebus inspirationis huic vel illi libro, huic vel illi versiculo applicanda sit, vix in individuo determinari potest. Hoc unum dicere licet, eos locos, quibus directe effertur: ‚*haec*

dicit Dominus' etc. potissimum ad primam classem (librorum stricte inspiratorum), relationes vero historico-empiricas ad ultimam classem (librorum per solam subsequentem approbationem sacrorum) pertinere. Libri poëtici ad secundam maxime classem (librorum sub sola assistentia divina factorum) annumerandi videntur." Tum de inspiratione subsequenti haec notat: „Fieri potest, aliquam scripturam primum viribus pure humanis ordinariis confectam eo fieri verbum Dei ac proinde etiam inspiratam, quod in canonem inseratur. Quod cum accidit, eodem modo illa scriptura fieret verbum Dei, quo locus aliquis a Cicerone conscriptus verbum meum fit, simulac eo utor, ut in aliqua dissertatione vel epistola mentem propriam exprimam."

7. Iam manifestum est, *hanc opinionem ab ea, quam Bonfrerius proponit essentialiter differre.* Et *primo* quidem cum *Haneberg* docet, reipsa exstare triplicem inspirationem pro triplici diverso genere partium scripturae: *Bonfrerius* econtra solum triplicem distinxit modum, quo Spiritus Sanctus ad scriptores sacros habere se possit, ut aliquis liber sacra scriptura fieri queat: atque tertium modum, scilicet subsequentis approbationis, ad nullum exstantem scripturae librum refert, libris vero historicis secundum modum, non tertium adscribit. *Deinde* secundo *Bonfrerius* termino subsequentis inspirationis nunquam usus est, sed nec uti potuit, quia inspirationis nomine positivam Spiritus Sancti in ipsum scriptorem sacrum operationem intelligit et significat. *Tertio* dum Bonfrerius dicit, subsequenti Spiritus Sancti approbatione aliquem librum viribus mere humanis naturalibus scriptum fieri posse verbum Dei vel sacram scripturam: Haneberg ad hunc effectum consequendum vel solam ab ecclesia, utique Spiritu Sancto assistente factam, approbationem sufficere opinari videtur.

8. De *Lessii* aliorumque circa inspirationem opinione, quae cum sententiis hic relatis similitudinem habet, conferri potest Pesch n. 283. ss.

9. ***4. Partes thesis earumque certitudo.*** — Iam duabus thesis partibus distinctis in *prima* contra Chrismann

et Jahn necnon Bonfrerium aliosque demonstratur, ad rationem libri inspirati non sufficere, quod Deus sua assistentia ab homine scribente errorem quemvis averterit; et haec quidem thesis pars saltem theologice certa est; neque tamen de fide esse dicenda videtur, quia ecclesia neque illam opinionem expresse reiecit, neque, in quo essentia inspirationis sit, diserte definivit.

In *altera vero parte* contra Haneberg aliosque ostenditur, **10.** minime ad librum inspiratum sufficere, quod primum quidem humanitus conscriptus, deinde vero vel a Spiritu Sancto approbatus vel ab ecclesia assistente Spiritu Sancto inter canonicos libros relatus sit. Haec autem pars est de fide, quatenus asserit, nullum ex libris sacris, quos habemus, sola eiusmodi approbatione in ratione scripturae divinitus inspiratae constitutum esse. Etenim *concilium Vaticanum* isthanc opinionem in secunda parte refutandam expressis verbis reiecit: „Eos vero (libros scripturae) ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt“ (Cap. 2. de revelatione.). Cum eadem sententia inspirationem non explicet, sed potius neget, etiam canone 4. eiusdem capitis feritur: „Si quis sacrae scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.“

Demonstratio.

I. p. Ad rationem libri inspirati non sufficit mera assistentia, qua Deus ab homine scribente errorem quemlibet averterit.

1. Probatur ex eo, quod Deus auctor scripturae est. — Ex doctrina catholica Deus per inspirationem sacrorum librorum auctor est in vero et proprio sensu; atqui inspiratio eiusmodi, **11.**

per quam Deus auctor sacrorum librorum evadat, ex demonstratione in praecedenti thesi instituta necessario tria elementa complectitur; illustrationem intellectus, motionem voluntatis, assistentiam in scribendo; ergo assistentia illa sola ad inspirationem constituendam vel explicandam non sufficit. *Minor argumenti,* praeterquam quod manifesta est ex praecedenti thesi, illustratur et confirmatur hac comparatione: „Deus mere assistendo scriptori alicuius libri nihil aliud praestat concomitanter, quam quod homo corrigendo librum praestat consequenter. Sed homo, qui corrigendo librum delet errores in eo contentos, dicitur quidem corrector et emendator libri, non vero dicitur auctor libri" (*Desan*, n. 295.).

12. ***2. Ex eo, quod scriptura verbum Dei formale est.*** — Duplici modo aliquod scriptum verbum Dei dicitur: *primo* obiective, quatenus refert solum vel exprimit aliquid aliquando a Deo dictum vel revelatum; *secundo* formaliter, quatenus non solum obiectum vel veritas contenta a Deo loquente processit, sed etiam ipsa scriptio vel elocutio immediate a Deo tamquam auctore procedit. Quare sacra scriptura per inspirationem verbum Dei non tantum obiectivum, sed etiam formale est, quia Deus, ut supra (th. 10.) ostensum est, tum ipsa scriptura tum traditione teste per scripturam, formaliter ut scripta est, loquitur, et testimonia scripturae, ut scripta sunt, tamquam ipsius Dei verba clare exhibentur. Atqui per solam illam assistentiam, quam Deus hagiographo praestando errorem quemlibet avertit, scriptura verbum Dei formale nequaquam est, quia per eam Deus positive in scriptionem non influit, neque igitur eadem a Deo tamquam auctore procedit. Imo per solam talem assistentiam scriptura neque necessario verbum Dei obiectivum est, quando scriptor non ea scribit, quae Deus aliquando dixit vel revelavit, sed ea litteris consignat, quae naturali cognitione acquisivit; quamvis enim haec per illam assistentiam infallibiliter vera sint atque implicite in revelatione divinae assistentiae scriptori praestitae revelata censenda sint, in se tamen et explicite revelata nullatenus sunt. Ergo inspiratio scripturae sola illa assistentia nullo modo absolvitur.

3. Ex essentiali differentia inter inspirationem et infallibilitatem. — Praecedens argumentum egregie confirmatur hac consideratione: Si sola assistentia illa sufficeret ad reddendam scripturam verbum Dei formale et divinitus inspiratam, tunc, ubicunque in elocutione aliqua vel scriptione talis assistentia habetur, verbum Dei formale vel scriptura divinitus inspirata resultaret. Ergo consequenter quaecunque definitio dogmatica a magisterio authentico viva voce prolata verbum Dei formale et quaecunque eiusmodi definitio scripto prolata item verbum Dei formale et scriptura divinitus inspirata esset. Atqui hoc ipsum absonum est, quia sic tum verbum Dei formale, tum scriptura divinitus inspirata continuo augeri possent et post Apostolorum mortem reipsa aucta essent. Ergo. 13.

Sententia igitur, quae hic refutatur, inepte confundit notiones et res prorsus et essentialiter distinctas: inspirationem nempe cum infallibilitate; cum enim inspiratio semper tum apud Iudaeos, tum ab Apostolis, tum in traditione considerata sit tamquam actio positiva, qua Deus per hominem tamquam instrumentum loquitur vel scribit, infallibilitas potius aliquid negativum est, et Deum sistit non necessario ut positive influentem, sed ut assistentem et paratum influere, si secus error non avertatur. 14.

Neque salvatur haec opinio, si cum Bonfrerio merae assistentiae addatur quaedam generalis inspiratio scribendi talem librum. Cum enim Deus simpliciter auctor scripturae sit, et, quaecunque scriptura eloquitur, verbum Dei formale sint; necesse est, ut quidquid scriptura eloquitur, a Deo procedat; atqui id neque per assistentiam illam neque per hanc generalem inspirationem habetur; ergo illa assistentia neque addita hac generali inspiratione ad concretam s. scripturae inspirationem explicandam sufficit.

2. p. Neque subsequens libri humanitus primum conscripti approbatio per Deum vel ecclesiam Spiritu Sancto assistente facta eundem librum in ratione scripturae divinitus inspiratae constituit.

1. Probatur ex obvia inspirationis vel libri inspirati notione. — Ex communi et obvia inspirationis 15.

conceptione liber inspiratus tamquam effectus refertur ad inspirationem vel ad hominem, in quo inspirationis motus ut in subiecto est, tamquam ad causam; ergo inspiratio natura prior est libro inspirato atque ab eo supponitur. Atqui approbatio quaevis sive per Deum sive per ecclesiam facta librum iam existentem supponit ideoque eo prior esse nequit. Ergo nulla approbatio ullum librum in ratione libri divinitus inspirati constituere potest. — Hinc ratio loquendi, qua subsequens libri approbatio dicitur *subsequens inspiratio*, contradictio in adiecto esse intelligitur.

16. ***2. Ex eo, quod Deus per inspirationem auctor scripturae est.*** — Deus formaliter per inspirationem auctor scripturae est; atqui subsequens sive ipsius Dei sive ecclesiae approbatio nihil ad hoc conferre potest, ut Deus auctor scripturae evadat; nam auctor ut causa librum conscriptum tamquam effectum praecedit, approbatio autem librum conscriptum subsequitur et supponit; ergo inspiratio libri quacunque eiusdem approbatione non continetur. *Aliis verbis*: Aliquis liber eatenus est et nominatur inspiratus, quatenus eius origo divina et supernaturalis est; atqui quacunque libri approbatione consequente ipsa eius origo non mutatur, neque igitur humana et naturalis eius origo aufertur, sed potius supponitur et luculentius ostenditur. Quare, qui dicunt, insertione in canonem librum fieri inspiratum, penitus absurde loquuntur; etenim, ut aliquis liber in canonem referri possit, necesse est, ab homine inspirato scriptus, ideoque divinae originis sit, quia relatio in canonem non collationem inspirationis, sed eiusdem authenticam declarationem dicit.

17. ***3. Ex eo, quod scriptura verbum Dei scriptum est.*** — Ut iam pluries dictum est, scriptura, ut est scripta, per inspirationem verbum Dei non tantum obiectivum, sed etiam formale est; atqui subsequens libri approbatio sive per Deum sive per ecclesiam assistente Spiritu Sancto facta eundem nullatenus reddit verbum Dei formale; ergo inspiratio nullatenus subsequente illa approbatione continetur. *Minor probatur*: *Primo* omne verbum formale essentialiter ad eum, cuius est verbum, refertur tamquam effectus ad causam;

quare, cum per subsequentem approbationem liber ad approbantem tamquam ad causam suam nequaquam referatur, etiam subsequens approbatio libri per Deum sive mediate sive immediate facta nequaquam eundem librum verbum Dei reddit. *Praeterea* si per subsequentem libri approbationem idem liber verbum formale scriptum approbantis evadit, ergo quivis liber a censore publico sive civili sive ecclesiastico approbatus per eiusmodi approbationem formaliter redditur verbum formale scriptum sive liber eiusdem censoris; quod nemo nisi absurde opinari potest; ergo.

Argumenta, quae sequuntur contra solam approbationem ecclesiae tamquam inspirationis rationem formalem diriguntur.

4. Ex absurda huius opinionis consequentia. 18. — Si subsequens ecclesiae approbatio aliquem librum in ratione libri divinitus inspirati constitueret, continuo in dies augeretur vel augeri posset simul cum deposito fidei canon scripturarum; atqui ex constanti et perpetua ecclesiae fide canon scripturarum simul cum deposito fidei cum morte apostolorum clausus est; ergo.

5. Ex eo, quod omnia, quaecunque a scriptura asseruntur, obiectum fidei divinae sunt. 19. — Cum motivum fidei divinae sit auctoritas Dei loquentis, fide divina nihil credi potest, nisi quod et quatenus a Deo dictum vel testificatum est. Ergo, quia ex catholica doctrina omnia scripturae asserta obiectum fidei divinae sunt, item haec omnia necessario a Deo dicta vel attestata sunt. Atqui per subsequentem ecclesiae approbationem non efficitur, ut ulla assertio sit a Deo dicta vel testificata; ergo. *Minor probatur.* Revera, cum ecclesia in rebus fidei et morum infallibilis sit, Deus quidem sua assistentia omnem errorem ab eadem in iisdem rebus pronuntiante avertit; ea tamen assistentia nequaquam fit, ut eiusmodi ecclesiae iudicium formaliter locutio vel testimonium Dei sit. Secus enim, quando ecclesia factum aliquod dogmaticum vel veritatem rationalem cum fide connexam, quae veritates revelatae non sunt, infallibiliter decidit, dicendum esset, eas veritates evadere eo ipso veritates a Deo dictas vel testificatas ideoque divinitus revelatas; hoc autem

falsum est, cum depositum revelationis successu temporis iam crescere non possit. Ergo.

20. *Ex argumentis propositis intelligitur, quid reponendum sit ad rationes, quibus Bonfrerius ostendere vult. sola subsequenti approbatione Dei aliquem librum fieri verbum Dei vel scripturam sacram. In primam rationem,* quam inde petit, quod decretum a regis secretario proprio marte conceptum et exaratum per regis subscriptionem verbum regis fiat, plura animadvertenda sunt: Et *primo* quidem concedendum est, eiusmodi decretum per regis subscriptionem fieri verbum regis saltem obiectivum, quia nempe rex per eiusmodi subscriptionem ea, quae in decreto asseruntur vel praescribuntur, confirmat et sua auctoritate investit; pari igitur ratione etiam liber ab homine aliquo proprio marte conceptus et exaratus per subsequentem Dei approbationem fit verbum Dei obiectivum, quia eiusmodi approbatione Deus, quae in illo libro asseruntur, confirmat et sua auctoritate investit: quare eiusmodi librum propter specialem suam cum Deo connexionem etiam quadantenus sacram scripturam dici posse concedi potest. Verum hoc non sufficere ad inspirationem explicandam, ex dictis manifestum est, cum sacra scriptura non tantum verbum Dei obiectivum, sed formale sit et Deum auctorem habeat. — Sed *secundo* vel concedendum esse videtur, eiusmodi decretum a rege subscriptum esse etiam verbum formale ipsius regis atque regem eiusdem, ut editum est et obligat, auctorem verum et proprie dictum dicendum esse. Etenim secretarius in eo casu ut merum instrumentum vel organum regis schema decreti exarat, ut rex idem suum faciat eoque edito subditos obliget. Videlicet decretum concipiens et scribens se regis iudiciis et sensis accommodat, eiusdem voluntati idem submissurus est, expressiones secundum eiusdem beneplacitum, si quidem tale significabit, mutaturus est; non ipse loquitur nec intendit loqui per decretum ad subditos, nec decreti existentiam vel valorem determinat, sed schema solum decreti proponit, cuius existentiam rex determinet et quo rex ad subditos loquatur eosque obliget. Quare secretarius auctor quidem schematis, non autem auctor decreti dici potest. Rex

autem decreto proposito subscribens ipsum suum facit, sua iudicia et sua sensa et suam voluntatem in eodem exprimit, eius existentiam et valorem determinat, per ipsum ad subditos loquitur: quare decretum iam ipsius regis verbum formale est ipseque eiusdem, uteditum est et obligat, auctor verus et proprie dictus haberi debet. Similiter res se habet, quando Summus Pontifex bullam vel encyclicam editurus opera theologi utitur. Etenim theologus encyclicam concipiens et scribens, sive mandatum Pontificis habet sive non, eadem ratione procedere debet, sicut ille regis secretarius; et Pontifex eodem modo sicut ille rex se habebit; quare etiam theologus auctor schematis, non autem encyclicae est; neque per eam tamquam verbum suum formale ad fideles loquitur; pontifex autem eiusdem encyclicae auctor verus et proprie dictus est atque per eam tamquam per verbum suum formale ad fideles loquitur. — *Verumtamen sedulo animadvertendum est*, in allatis exemplis textum legis vel bullae non esse verbum formale regis vel pontificis ratione solius primae per secretarium vel theologum conceptionis et scriptionis, sed etiam et maxime ratione subscriptionis per regem vel pontificem factae. Per haec enim duo idem aequivalenter efficitur, ac si rex vel pontifex decretum vel encyclicam verbaliter dictaret et in publicum emitteret. Dixi per *haec duo*, scilicet per primam conceptionem et scriptionem atque per subscriptionem, quia illa prima conceptio et scriptio manifesto instrumentalis est, ideoque ipsa quoque ad eum effectum conferre intelligitur: quod *Billot* immerito negat (p. 18.). Itaque in his casibus habetur saltem aequivalens scribae illustratio intellectus, motio voluntatis, assistentia in scribendo.

Quae cum ita sint, intelligitur Bonfrerii obiectionem nullam **21.** efficaciam habere, quia paritas asserta non adest. In exemplis enim adductis nequaquam per puram et nudam approbationem alicuius scripti ab homine autonome agente procedentis verbum formale regis vel pontificis fit, sed per aequivalentem mentis illustrationem, voluntatis motionem, directionem in scriptione, verbo: per usum scribae tamquam instrumenti; ergo neque liber humanitus primum conscriptus per simplicem et nudam approbationem divinam verbum Dei formale evadit, sed per formalem vel

aequivalentem mentis illustrationem, voluntatis motionem, assistentiam in scribendo, vel uno verbo: eo, quod Deus hominibus scribentibus tamquam suis instrumentis utatur. *Neque tamen ita aliquis liber scripturae conscriptus esse videtur*, quia scilicet scriptura formaliter inspirata est; inspiratio autem formalis formalem intellectus illustrationem, voluntatis motionem et assistentiam infert.

22. *Altera ratio* vel alterum exemplum a Bonfrerio adductum, quod videlicet Spiritus Sanctus dictum Arati approbando scripturam sacram reddiderit, facilius solvitur. Etenim non dictum Arati, prout ab Arato dictum est, scriptura sacra est, sed idem dictum, prout in scriptura citatum et reproductum est, rationem scripturae sacrae habet. Vel non sententia Arati, sed eius citatio inspirata est et Deum auctorem habet et verbum Dei formale est; ergo mera et nuda approbatio ad hunc effectum non sufficit.

Corollarium.

23. ***1. A fide christiana penitus aliena et absona est quorundam recentiorum Protestantium doctrina de inspirationis natura.*** — Sicut quoad alia dogmata christiana, ita etiam in praesenti quaestione de inspirationis natura Protestantes Rationalistae nomen dogmatis quidem retinuerunt, ipsam vero rem nomine significatam suis explicationibus e medio abstulerunt. Itaque aliis praetermissis non pauci eorum inspirationem concipiunt et explicant tamquam singularem quandam commotionem religiosam, qua hagiographi correpti sensa sua et affectus religiosos litteris consignaverint. Hinc igitur eam hagiographorum inspirationem similem esse aiunt inspirationi, qua poëtae elati carmina sua panxerint. Cum haec sit hagiographorum inspiratio, consequenter scriptura ipsa inspirata dicitur, quatenus illam sacrorum scriptorum inspirationem refert vel redundat, atque hac ratione apta est ad homines eam legentes simili commotione religiosa inspirandos. — Iamvero facile patet, hanc opinionem a fide christiana alienam et absonam esse. Etenim *primo* secundum hanc explicationem neque Deus auctor scrip-

turae est, neque scriptura rationem verbi Dei formalis habet; ergo. *Secundo* hac doctrina sacra scriptura sua singulari dignitate et excellentia spoliatur, quia eam libris mere humanitus conscriptis aequiparat, imo infra eos deprimit. Etenim cum non pauci alii libri religiosi, ut v. g. *Imitatio Christi* vel *Exercitia spiritualia* vel plura imprimis SS. Patrum opera, propter vividiora et vehementiora sensa religiosa in iis expressa aeque vel magis etiam apti sint ad legentes iisdem affectibus commovendos, quam plures sacrae scripturae libri v. g. nonnulli historici vel liber Numerorum: illa opera in pari vel maiori gradu dignitatis constituta dicenda essent, quam sacrae scripturae libri; quod absonum est et cum constanti et universali totius christianitatis fide pugnat. Denique, quae fere eadem ratio est, si haec Protestantium opinatio vera esset, quicunque liber auctoris sui sensa religiosa referens et redundans ita, ut ad legentes etiam iisdem affectibus religiosis commovendos aptus sit, sacrae scripturae accensendus esset; hoc autem iterum absonum est atque per perpetuam et universalem traditionem excluditur; ergo.

24. ***2. Diversae species inspirationis exstare nequeunt; in eadem autem essentialiter inspiratione diversi gradus distingui posse videntur.*** — Ratio *primae assertionis* manifesta est. Etenim elementa diversa, quae supra ad inspirationem componendam concurrere demonstrata sunt, ipsam essentiam inspirationis adaequate constituunt, ut ibidem ostensum est; atqui essentia cuiusvis rei indivisibilis est; ergo nulla est libri sacri inspiratio, in qua illa elementa non inveniantur, neque ulla, in qua praeter illa aliud elementum constitutivum inveniatur. *Confirmatur primo* ex constanti et universali traditione, secundum quam omnes scripturae libri omnesve partes eiusdem aeque Deum auctorem habent vel aeque verbum Dei scriptum sunt ideoque summam ac divinam auctoritatem habent. *Confirmatur secundo*, quia idem est manifesto ipsius magisterii authentici iudicium. Sic *Concilium Tridentinum* expressis verbis declaravit: „Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus . . . orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam veteris

quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur" (Sess. 4.). Hinc argumenta scripturistica, ex quocunque libro vel ex quacunque parte scripturae deriventur, ceteris paribus eandem semper auctoritatem habent, quia ubique eadem infinita veritas loquitur.

25. Nihilominus, quae est *altera assertio*, diversi gradus inspirationis exsistere posse videntur. Etenim hoc divinum charisma abundantiore vel minus abundante copia animam scriptoris afficere ac replere potest; utpote quo non solum extensive, sed etiam intensive magis vel minus intellectus illustrari, voluntas moveri et assistentia in ipsa scriptione exhiberi posse intelligitur. Secundum hanc autem intensive maiorem vel minorem inspirationem passivam scriptoris sacri. etiam ipsius libri sacri inspiratio terminativa intensive maior vel minor esse posse videtur, quatenus scilicet etiam eadem veritas clarius et vividius et aptius scripto exhiberi potest. — Quare *Pesch* immerito inspirationi passivae sive sacri scriptoris quidem, non autem inspirationi terminativae sive sacri libri gradus diversos tribui posse contendit. Eadem assertio etiam ideo deficere vel saltem obscura esse videtur, quia cum inspirationi personali sacri scriptoris diversos gradus tribui posse dicit, non inspirationem ad scribendum vel saltem non eam solam, sed alias simul cum ea coniunctas intelligit, ut inspirationes poëticas, affectuosas etc. (n. 429.); cum vero libro inspirato graduum diversitatem denegat, solam inspirationem ad scribendum considerat.

26. Ceterum merito idem auctor ipse monet. *inspirationem ad scribendum ab aliis personalibus inspirationibus accurate discernendam esse*: „Cum ipsa inspiratione ad scribendum illae inspirationes personales ad gaudendum, tristandum, . . . et quaecunque sub inspirationem personalem cadere possunt, tempore quidem saepe sunt coniuncta, attamen *ab ea inspiratione, qua libri sacri omnes inter se conveniunt et ab omnibus aliis libris distant, diligenter distinguenda sunt.* Ecclesiae definitiones de inspiratione respiciunt omnes libros canonicos in communi; ergo supponunt communem inspirationis

conceptum, qui in omnibus libris canonicis verificetur. Haec autem non est inspiratio ad hos vel illos actus et affectus, qui in uno alterove libro sacro exprimuntur, sed est *simpliciter inspiratio ad scribendum.* Quot affectus desiderii, gaudii spei, indignationis, commiserationis manifestantur in epistulis S. Pauli, ad quos affectus eliciendos sine dubio a Deo inspiratus erat! Sed tales affectus habuit antequam, scriberet, et habuisset, etsi non scripsisset quidquam (i. e. saltem habere potuisset). Neque igitur inspiratio ad illos affectus eliciendos ex conceptu suo etiam est inspiratio ad scribendum. Atqui libri sunt sacri et canonici, quia Deo inspirante conscripti sunt. Ergo inspiratio biblica ab omnibus illis inspirationibus affectuosis, lyricis, rethoricis (i. e. in se consideratis, non ut in scriptura expressae sunt) distinguenda est". (n. 401.). Item merito notat: „Concedendus etiam est progressus religiosus et moralis a vetustissimis temporibus usque ad religionem christianam, qui progressus in ipsis libris sacris apparet. Sed haec omnia pertinent ad materiam scripturae, ipsam vero inspirationem, quae est formaliter verbum Dei (i. e. qua scriptura est formaliter verbum Dei) non mutant. Unde dicta veteris testamenti non minus dicta Dei sunt, neque minus credibilia et credenda, quam dicta novi testamenti" (n. 429.).

Scholion.

Restat, ut notio inspirationis praestituta et demonstrata **27.** secundum triplex elementum notatum nonnullis quaestionibus solutis accuratius explicetur et contra varias obiectiones muniatur.

1. De influxu inspirativo in intellectum hagiographi atque imprimis de habitudine vel differentia inter revelationem et inspirationem. — Quia utraque haec actio divina, tum revelatio tum inspiratio ad charismaticam vel propheticam cognitionem terminatur, ad solvendam praesentem quaestionem iuvat prae oculis habere distinctionem, quam circa tales propheticas cognitiones facit *S. Thomas*: „Magis proprie dicuntur prophetae, qui vident

per imaginariam visionem; quamvis illa prophetia sit nobilior, quae est per intellectualem visionem, dummodo tamen eadem veritas sit ubique revelata. Si vero lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, *non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad iudicandum secundum certitudinem divinae veritatis ea, quae humana ratione cognosci possunt,* sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem: cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine prophetarum; qui etiam ex hoc specialiter dicuntur prophetae, quia prophetico officio fungebantur; unde ex persona Domini loquebantur ad populum: *Haec dicit Dominus;* quod non faciebant illi, qui hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis" (2. 2. q. 174. a. 2. ad 3.). Et alibi brevius: „Ideo specialiter prophetae nuncupantur in distinctione praedicta, qui secundum imaginarias visiones prophetiam habuerunt, quia in iis invenitur plenior ratio prophetiae, etiam ratione differentiae. Hagiographi autem dicuntur, qui supernaturaliter solum visiones intellectuales habuerunt, *sive quantum ad iudicium sive quantum ad acceptionem simul*" (De ver. q. 12. a. 12. ad 10. cf. 2. 2. q. 173. a. 2; q. 174. a. 3.).

28. Itaque secundum S. Thomae sententiam, quae naturae rei respondere facile perspicitur, Deus duplici modo in mentem humanam influere potest, videlicet ita, ut cognitio humana supernaturalis vel charismatica sit sive *quantum ad iudicium*, sive quantum *ad iudicium et acceptionem simul*. In primo casu a Deo non impertiuntur neque directe neque indirecte species intellectuales, sed solum divinitus lumen intellectuale infunditur vel mens determinatur ad iudicandum secundum certitudinem divinae veritatis ea, quae humana ratione cognosci possunt. Iamvero plures theologi per revelationem vel revelationem stricte dictam intelligunt eum charismaticum influxum in mentem humanam, quo eius cognitio supernaturalis est quantum ad iudicium et acceptionem simul, quo

igitur species etiam intellectuales infunduntur vel cognitio rerum adaequate divinitus accipitur; quae quidem acceptio termini revelationis opportune comparatur cum declaratione rei tradita in *tractatu de vera religione* (Thes. 14. n. 2. ss.). — Jam posita ea notione quaerunt et hic quaerendum est, num inspiratio eiusmodi revelationem dicat. Itaque:

1) *Inspiratio per se vel essentialiter non dicit strictam* **29.** *illam revelationem sententiarum scribendarum.* — Assertio ex natura inspirationis supra explicata demonstratur. Nimirum cum per inspirationem Deus auctor scripturae sit, hagiographi quidquid in libro sacro secundum essentiam spectato componendo egerunt, tamquam instrumenta Dei egerunt. Ergo tamquam instrumenta Dei ideoque sub inspiratione divina vel per eandem ideam libri scribendi conceperunt atque, quae in eo scribenda essent, iudicio suo determinarunt. Atqui ut hagiographi tamquam instrumenta Dei ideam libri scribendi conciperent et iudicio suo scribenda determinarent, necesse non erat, ut divinitus novas species impressas vel cognitionem novam rerum scribendarum acciperent, sed plane sufficiebat lumen divinum, quo illustrati mediis speciebus iam habitis et circa obiecta iis cognita ideam libri conscribendi et omnia et singula in eo scribenda conciperent et determinarent. Ergo cum revelatio, de qua sermo est, acceptionem novarum specierum includat, inspiratio scripturae secundum essentiam suam spectata revelationem stricte dictam non includit. *Ratio minoris* inde patet, quia non conceptio idearum in se, sed earundem conceptio ut scribendarum ad libri compositionem pertinet; quare quod hagiographos spectat, non illas, ed haec sub influxu divino vel sub divina inspiratione, qua hagiographi instrumenta Dei sunt, fieri debet. Quae cum ita sint, haec consequi intelliguntur:

a) Inspiratio, cuius terminus erant veritates supernaturales **30.** scripto consignandae, revelationem stricte dictam quidem postulabat, quia eiusmodi veritates alia via ab humano intellectu cognosci non possunt. Neque tamen acceptio earum veritatum ipsam inspirationem intrinsecus ingreditur vel constituit, sed potius ad eam praesupponitur, quia ut dictum est,

non conceptio idearum in se, sed conceptio earundem ut scribendarum essentialiter ad obiectum divinae inspirationis pertinet. Quare hagiographus tales supernaturales cognitiones non necessario primo cum ipsa inspiratione accepit, sed diu ante eas habere potuit (cf. Ierem. 36, 1. 2.). Imo neque necessario ipse hagiographus eas veritates immediate per divinam revelationem edoctus est, sed ab alio homine, cui immediate divinitus revelatae erant, eas comperire potuit.

31. *b*) Quod naturales veritates attinet, inspiratio earundem sane etiam minus revelationem stricte dictam postulat. Si enim veritates scribendae erant naturaliter antea cognitae, nihil aliud ad inspirationem spectato intellectu hagiographi requiritur, nisi ut lumine divino excitatus eas veritates ut scribendas conciperet et iudicio determinaret. Si vero hagiographus eas veritates nondum cognoverat, Deus eas sane eidem per revelationem manifestare potuit; sed etiam eum solum excitare potuit, ut naturalibus mediis adhibitis inquirens in cognitionem earundem perveniret; vel solum naturali sua providentia eundem ad illam cognitionem manuducere potuit. Denique si veritates naturales scribendae aliquando quidem cognitae sed oblivioni datae erant, sufficiebat, ut Deus sive immediata excitatione sive mediata per res externas eas in memoriam hagiographi revocaret.

32. *Confirmantur haec omnia primo* ex ipsa scriptura. Sic Lucas evangelium suum exordiens declarat, se diligenter omnia inquisivisse et assecutum esse ab eis, *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (1, 23.). Pariter auctor secundi libri Machabaeorum tamquam fontem, ex quo historiam scriptam hauserit, Iasonem assignat (2 Machab. 2, 24.). Item auctor librorum Paralipomenon sedecim nomina documentorum, quibus usus sit, accurate recenset (1. Par. 29, 29; 2. 9, 29.). Denique etiam in libris regum tamquam fontes eius historiae annales regnorum Iuda et Israel adducuntur (3. Reg. 14, 19. 29.).

33. *Confirmantur secundo* ex communi theologorum sententia, utpote qui unanimiter docent, revelationem stricte dictam de essentia inspirationis non esse. Ita v. g. secundum *Bellar-*

minum Deus sacris scriptoribus „non semper revelabat ea, quae scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea, quae viderant vel audierant, quomodo recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent“ (De verbo Dei l. 1. c. 1. ss.). Similiter *Caietanus*: „Originem plenissimae scientiae (i. e. Lucas suae) declarat traditionem apostolicam. Unde clare apparet, Lucam scripsisse ex auditu ab Apostolis et non ex divina revelatione sibi immediate facta, divina tamen gratia dirigente et servante, ne in aliquo erraret“ (In Luc. 1, 2.). Et *Canus*: „Fateor non singulas scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse:“ nimirum ea omnia „quae naturali cognitione tenebant . . . expressa revelatione non egebant“ (De locis theol. l. 2. c. 18.).

2) Inspiratio per se et essentialiter non dicit influxum **34.** *divinum extraordinarium in iudicia theoretica de veritate eorum, quae scribenda erant.* — Cum in prima assertione demonstratum sit, acceptionem supernaturalem rerum in se consideratarum intrinsecus ad essentiam inspirationis non pertinere; nunc quaeritur, num influxus divinus in iudicia mere theoretica vel speculativa de veritate earum rerum ad essentiam inspirationis intrinsecus pertineat. Iamvero respondendum esse videtur negative propter has rationes:

a) Ut Deus per inspirationem auctor scripturae evadat, **35.** nihil sub influxu divino fieri debet, nisi quod intrinsecus ad compositionem libri pertinet; atqui iudicia mere speculativa vel theoretica de diversis rebus vel veritatibus ad compositionem libri non pertinent; ergo influxus divinus in ea iudicia theoretica intrinsecus ad inspirationem non pertinet. *Minor certa esse videtur.* Nam sicut mera conceptio rerum, ita etiam ea iudicia theoretica de iisdem primam ideam libri conscribendi facile praecedere potuerunt et reipsa praecessisse dicenda sunt, si concreta scripturae indoles prae oculis habeatur. Sic certe evangelistae et auctor actuum Apostolorum non tunc demum iudiciis theoreticis de eventibus in illis libris sacris relatis iudicarunt, quando eos conscripserunt, sed diu ante de iisdem certam persuasionem habuerunt; quod ipsa eorum ratio scribendi manifesto ostendit.

36. *b*) Idem consequi intelligitur, si hagiographi tamquam instrumenta vel organa Dei principalis scripturae auctoris considerantur. Videlicet quando auctor libri per alium tamquam instrumentum vel etiam organum rationale librum scribit, non necessario vel essentialiter requiritur, ut auctor mentem organi vel scribae ad iudicia theoretica vel speculativa de rebus et sententiis scribendis determinet, sed sufficit, ut per influxum auctoris scriba cognitione practica res et sententias scribendas ut scribendas concipiat et iudicio suo determinet. Potest igitur esse, ut scriba vel iam antea de rebus et sententiis scribendis iudicia theoretica habuerit, vel etiam ut neque nunc de iisdem iudicium ullum theoreticum ferat: imo absolute etiam accidere potest, ut intrinsecus apud se ea, quae instigante auctore scripturus est, falsa esse iudicet. Id solum per rationem instrumenti vel organi rationalis requiritur, ut practica cognitione res et sententias scribendas recte secundum mentem auctoris concipiat et iudicio suo determinet. Iamvero ad inspirationem sacrae scripturae essentialiter nihil aliud pertinere videtur, nisi ut Deus ea mediante per hagiographos tamquam rationalia instrumenta vel organa auctor scripturae exstet. Ergo ad inspirationem essentialiter non requiritur, ut Deus influxu suo speciali etiam iudicia speculativa vel theoretica de rebus et sententiis scribendis determinaverit, sed sufficit, ut hagiographi sub influxu divino speciali scribenda ut scribenda conceperint et iudicio suo practico determinaverint.

37. Cum haec sit essentialis ratio inspirationis, *concludendum tamen inde non est, reipsa hagiographos caruisse semper iudiciis theoreticis circa res et sententias scribendas: et multo minus inde consequitur, eos aliquando interne de iisdem rebus falsa iudicia theoretica forisse.* Et *primo* quidem hoc ultimum dici nequit: si enim id contigisset, oppositio fuisset inter id quod intrinsecus sentiebant et illud quod extrinsecus litteris consignabant: quae discordia in organo rationali ipsius Dei vix admitti posse intelligitur. Item *secundo* rationi operandi organi Dei magis conveniens esse perspicitur ut ea, quae scribit, vel naturaliter vel supernaturaliter intelli-

gat; et ideo hagiographi etiam superrationalia, quae scribebant, lumine supernaturali a Deo infuso plerumque intellexisse dicendi sunt; quod etiam cum ipsa scriptura magis congruit, utpote quae de aliquibus saltem hagiographis testatur, eos, quae scripserunt superrationalia, etiam ipsos intellexisse: ita de Daniele: „*Verbum revelatum est Danieli . . . intellexitque sermonem: intelligentia enim opus est in visione*“ (Dan. 10. 1.); et David similiter ad Deum orat: „Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi“ (Ps. 50, 8.). Neque tamen *tertio* dicendum est, omnia hagiographis inspirata ab ipsis perfecte intellecta esse: quo spectare videntur haec *S. Thomae* verba: „Prophetia importat quandam obscuritatem et remotionem ab intelligibili veritate“ (2. 2. q. 174. a. 2. ad 3.).

38. *3) Inspiratio per se vel essentialiter dicit divinam et supernaturalem mentis hagiographi illustrationem, qua hic res et sententias omnes ex voluntate Dei scribendas ut scribendas concepit et iudicio suo determinavit.* — Haec assertio ex praecedentibus consequi vel in iis contineri facile perspicitur. Etenim Deus tamquam principalis auctor per hagiographos tamquam organa rationalia scripturam sacram conscripsit. Ergo hagiographi, quidquid essentialiter ad compositionem libri sacri spectat, tamquam instrumenta vel organa Dei praestiterunt. Atqui ad compositionem ex parte intellectus essentialiter spectat, ut idea libri concipiatur et omnia et singula in eo scribenda necnon generatim saltem modus scribendi iudicio practico determinentur. Ergo hagiographi tamquam instrumenta Dei ideam libri sacri scribendi conceperunt atque omnia et singula in eo scribenda necnon modum scribendi iudicio suo practico determinarunt. Quare inspiratio divina, per quam instrumenta Dei erant, ex parte intellectus necessario et essentialiter dicit illustrationem mentis hagiographi, qua hic ideam libri concepit et omnia et singula scribenda necnon modum scribendi iudicio practico determinavit.

39. *Apprime autem notandum est* eum influxum divinum in mentem hagiographi esse *primo omnino specialem* ideoque distinctum tum a concursu naturali tum a communi gratiae illustratione. Etenim *imprimis* vi huius illustrationis talis

determinatus liber oriturus est, cum per concursum naturalem et communem gratiae illustrationem effectus non determinetur, sed determinatio eius a causa secunda pendeat. *Deinde* per eam illustrationem hagiographus instrumentum Dei evadit in libro componendo, exhibito autem concursu naturali vel ordinaria gratia illustrationis homo causa autonoma et principalis manet. — *Secundo* idem influxus divinus in intellectum hagiographi *eatenus etiam specialis est* necessario, quatenus ordinaria providentia etiam supernaturali, quae modis externis uti solet, non absolvitur. Videlicet fieri quidem potuit, ut etiam externae quaedam circumstantiae hagiographum ad illud iudicium practicum moverent, ut v. g. locum habuit, cum S. Paulus quaestionibus Corinthiorum ad epistolas suas illis scribendas adductus est, et S. Marcus Romanis rogantibus, ut praedicationem S. Petri litteris consignaret, obsequens evangelium suum composuisse dicitur (Eusebius. H. E. 6, 14.). Eiusmodi autem influxus per providentiam communem non sufficit ad inspirationem; et ratio est, quia tali influxu hagiographus instrumentum Dei reddi non intelligitur. Quare influxus requiritur specialis et extraordinarius sive internus sive etiam externus, quo hagiographus vere tamquam Dei instrumentum vel organum agat.

Tribus assertionibus praemissis essentia inspirationis, quatenus influxum divinum in intellectum hagiographi dicit, satis explicata esse videtur; iuvat tamen ad maiorem rei intelligentiam, iisdem solutionem quarundam quaestionum connexarum statim hoc loco addere. Itaque:

40. *A) Inspirationis charisma non excludit operam ac industriam hominis vel multiplex et assiduum studium ad eas res cognoscendas adhibitum, ad quarum scriptionem illud charisma refertur.* — Quae assertio manifesto ex prioribus consequitur. Etenim *primo* eiusmodi studia inspirationem ipsam antecedere possunt. *Praeterea* eadem etiam inspirationem subsequi vel comitari possunt, quatenus homo ex divina inspiratione se eiusmodi studiis dedit et divino lumine collustratus ea omnia et sola ut scribenda concipit et suo iudicio determinat, quae Deus scribi vult. *Tertio* ipsa scriptura testante

reipsa plures saltem sacri scriptores ita in conscribendis sacris libris processerunt. Exemplum exstat imprimis S. Lucae necnon auctoris secundi libri Machabaeorum, utpote quorum prior sic evangelium suum exorditur: „*Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi. assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es. veritatem*“ (1, 1—4.). Alter vero sic refert: „*Itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa. tentavimus nos uno volumine breviare. Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi delectatio, studiosis vero, ut facilius possint memoriae commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus*“ (2, 24. ss.).

Hinc inepte Protestantes hunc ultimum librum ex canone **41.** expunxerunt ideo, quia liber sacer et inspiratus sine humana industria Deo dictante vel revelante conscriptus esse debeat. Eiusmodi enim dictationem vel strictam revelationem ad inspirationem intrinsecus et essentialiter non pertinere supra demonstratum est. Genuina vero inspirationis notio cum usu eiusmodi mediorum obiectivorum et externorum, ut sunt fontes historici, amice componitur, quia cognitio subiective et efficienter supernaturalis generatim in mediis vel motivis obiective naturalibus inniti posse intelligitur; atque in ordine gratiae supernaturalis id saepissime accidit.

Imo vero dicendum est, *maxime conveniens esse, ut di-* **42.** *vina inspiratio humanam industriam et diligentiam non excludat.* Cuius assertionis imprimis duplex ratio assignari potest. Et *primo* quidem generatim causa prima Deus sua operatione operationem causae secundae non tollere vel impedire, sed potius promovere et elevare solet; quod patet

maxime ex gratia tum actuali tum habituali, utpote quae cooperationem humanam non excludit sed postulat et eidem pro diversa sua indole diversimode se accommodat. *Praeterea* maxime conveniens esse apparet, ut sacri libri non solum divinam, sed etiam humanam et historicam auctoritatem habeant, ut scilicet ex eis tamquam ex documentis historicae auctoritatis apologeticae demonstrationes institui possint: iamvero eam auctoritatem humanam et historicam sacri libri non habent nec habere possunt, nisi quatenus humana cum industria et diligentia conscripti sunt; ergo.

43. 5) *Ad inspirationem non pertinet abalienatio mentis, sed econtra ab ea prorsus excluditur.* — Assertio ex dictis manifesto consequitur et oppositus Montanistarum error absurdus esse intelligitur. Verum quidem est, Deum etiam per homines mente alienatos scripturae auctorem exstare potuisse; sed aeque id potuit per homines rationis usu pollentes. Deinde autem inconveniens et Deo indignum est, ut hominibus tamquam instrumentis irrationalibus utatur. Denique ex ipsa scriptura manifestum est, ss. scriptores sub inspiratione divina positos rationis usu non caruisse, sed egregie polluisse. Quare SS. Patres unanimiter illam Montanistarum opinionem tamquam absurdam exploserunt. „Neque vero, inquit *Hieronymus*, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in exstasi sunt locuti, ut nescirent, quid loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent? (Praef. in Is.). Et in 3. Eph. notat: „Aut igitur iuxta Montanum Patriarchas et Prophetas in exstasi locutos accipiendum, et nesciisse, quid dicerent; aut si hoc impium est (spiritus enim prophetarum prophetis subiectus est) intellexerunt utique, quae locuti sunt.“ Apposite etiam *Basilius:* „Id abhorret a professione divinae praesentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, et cum plenus esse coeperit divinarum doctrinarum, tunc a propria mente excidat . . . Quin potius neque lumen obscuritatem parit, sed videndi facultatem a natura inditam elevat: neque Spiritus tenebras inducit, sed ad rerum intelligibilium cognitionem mentem excitat a peccati maculis puram“ (In Is. n. 5.).

6) An scriptores sacri semper conscii fuerint de pro- **44.**
pria sua inspiratione, certo constare nequit. — Etiam haec assertio cum praecedentibus arcte connectitur. Cum vero theologi circa eam quaestionem solvendam in certam et definitam sententiam non conveniant, haec tamen vel certo vel probabiliter definiri possunt:

a) Et imprimis quidem *conscientia inspirationis non consequitur psychologica necessitate ex ipso facto inspirationis.* Videri quidem id posset, cum inspiratio passive spectata in actibus intellectus et voluntatis a Deo extraordinario modo excitatis consistat. Attamen hac ratione nihil evincitur. Etenim obiectum conscientiae proprii quidem actus sunt, quatenus a facultatibus rationalibus eliciuntur; natura autem eorundem actuum, eorum principium adaequatum, proprietates eorundem plures ad obiectum conscientiae non pertinent. Quod manifestum est ex concursu tum naturali tum supernaturali sive gratiae influxu: videlicet non solum concursum naturalem, sed etiam concursum supernaturalem vel influxum gratiae conscientia minime percipimus, quamvis ipsorum actuum conscientiam habeamus; imo sola conscientia neque ullam differentiam inter actus naturales et supernaturales notare possumus. Certum igitur est, Deum homini inspirato inspirationem suam occultare posse. Et confirmari videtur ex scriptura, utpote qua testante Caiphas *„prophetavit, quod Iesus erat moriturus pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum“* (Ioan. 11, 49. ss.). Caiphas enim conscientiam non habebat, se a Spiritu Sancto afflatum hoc oraculum edere.

b) Ex altera vero parte certum etiam est, *Deum homini* **45.**
inspirato conscientiam suae inspirationis impertire posse. Profecto id nonnisi absurde negari posset. Divina enim perfectio absolute postulat, ut Deus, quidquid velit, homini communicare eumque de quacunque veritate ad eum pertinente certiorem reddere possit. Haec igitur potentia absolute Deo tribuenda est, etsi penitus modus lateret, quo Deus eam potentiam exserere potest. Ceterum neque nos penitus latet, quibus modis Deus efficere id valeat.

In his vero modis explicandis hic immorandum non est, cum sufficienter alibi explicati sint (cf. de vera religione, th. 14. n. 19. coll. n. 18.).

46. *c)* Neque *conscientia inspirationis ad internam inspirationis rationem pertinet.* Etenim ut saepe dictum est, ad essentiam inspirationis ille solus influxus Dei in mentem hagiographi pertinet, quo hic in ordine ad scribendum librum sacrum organum sive instrumentum Dei rationale evadat. Atqui homo per divinum influxum eiusmodi organum vel instrumentum rationale evadere potest, etsi eiusdem influxus conscientiam non habeat: Deus enim rationalibus hominis facultatibus ita dominatur, ut pariter eas homine ipso non animadvertente huc vel illuc inclinare possit, ut dicit scriptura: *cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinat illud* (Prov. 21, 1.). Ergo ad internam inspirationis rationem eius conscientia essentialiter non pertinet. — Neque *ex fine inspirationis* forte consequitur, hominem inspiratum eiusdem inspirationis necessario conscientiam habere. Etenim finis inspirationis ille est, ut homines per libros inspiratos de veritatibus divinis infallibiliter instrui easque fide divina credere possint. Ad hunc finem quidem necessarium est, ut certo constet, veritates in libris iisdem propositas esse divinitus revelatas; id vero constare posse intelligitur, quamvis hagiographi conscientiam suae inspirationis non habeant: ergo. Imo vero sine tali conscientia hagiographi etiam ipsum factum inspirationis eiusdem per revelationem aliis factam constare et consequenter divina fide credi potest. Qua ratione, etsi scriptores sacri veteris legis suae inspirationis conscii non fuerint, neque aliis de eadem illa aetate constiterit, de eadem tamen nunc nobis certissime constat, utpote quae a Christo vel a Spiritu Sancto per Apostolos revelata est.

47. *d) Hagiographi, qui perfecta ratione vel proprie dicti prophetae erant, certo etiam divinae suae inspirationis conscientiam habuerunt*: ad perfectam enim prophetiae rationem praecise pertinet notitia divinae revelationis vel inspirationis. Et reipsa prophetae eadem certitudine ipsas veritates, quas proponebant, atque earundem divinam revelationem vel in-

spirationem ipsis factam asseruerunt his et similibus verbis: *Dominus locutus est ad me; haec dicit Dominus: sermo Domini factus est ad me; audivi vocem de coelo, etc.*

48. *e) Quod ceteros hagiographos attinet, certo quidem non constat, eosdem reipsa conscientiam suae inspirationis habuisse. probabilius autem affirmandum esse videtur:* Apposite *Suarez*: „Dupliciter inspiratio dari potest. *Primo,* ut is, qui scribit. certo cognoscat, se in ea scriptione esse instrumentum Spiritus Sancti, ut cum David aiebat: *Lingua mea calamus scribae.* Et hoc plane ad veram prophetiam spectat. *Secundo* posset quispiam in re ipsa scribere a Spiritu Sancto motus, ipso tamen ignorante et nesciente, se in ea scriptione a Spiritu Sancto dirigi. Qui modus, an interdum contigerit, exploratum non habeo. Si tamen contingeret ita fieri, scriptor ille proprie non esset propheta, neque eius cognitio prophetica. Scriptura vero in se esset infallibilis et sacra, quamvis apud nos auctoritatem non haberet, nisi Spiritus Sancti auctoritate alias nobis constaret, se esse talis scripturae principalem auctorem" (De fide, disp. 8. s. 4. n. 6.). Et ibidem paulo ante: „Oriebatur curiosa quaestio, an scriptor canonicus certo cognoscat. se canonice scribere et gubernatum esse a Spiritu Sancto. Quam non invenio in terminis disputatam ab auctoribus, licet de prophetia soleat alia similis tractari: et quamvis aliqua ratio differentiae possit assignari, securius videtur idem in praesenti affirmari, quod de prophetia certum est. nimirum prophetam verum et proprium cognoscere, quae praedicit: ita enim significat David in locis supra citatis. Est autem eadem ratio de reliquis scriptoribus" (Disp. 5. s. 3. n. 15.).

49. *Rationes* vero, propter quas securior et probabilior apparet affirmativa sententia, his continentur: *Primo,* ut ante dictum est, prophetis proprie dictis conscientia divini afflatus certo tribuenda est; ergo etiam ceteris hagiographis eadem conscientia convenire videtur, utpote qui cum illis uno et eodem nomine prophetarum a traditione tum iudaica tum christiana condecorantur. *Praeterea* magis convenit cum indole et dignitate sacrorum scriptorum, ut conscientiam suae inspirationis habuerint. Sacri scriptores enim non inanimata vel

irrationalia instrumenta Dei, sed organa rationalia in conscribendis sacris libris erant; iamvero substantiae rationales eo magis convenienter et consone ad suam naturam operantur, quo magis suas operationes possident earumque conscientiam habent. *Insuper* scriptor sacer, qui suae inspirationis conscius non esset, fere necessario sibi soli suaeque industriae totum librum sacrum adscriberet ideoque deceptionem incurreret; id vero tum dignitati hagiographi tum rationi instrumenti rationalis parum consonum esse videtur. His rationibus sententia affirmativa saltem maiorem quam negativa probabilitatem habere videtur. Quidquid autem de his rationibus sentitur, certum est, sententiam negativam nullo argumento probari posse. Quae enim aliqui sacri scriptores de propria industria adhibita referunt, sicuti ipsam inspirationem, ita nec conscientiam inspirationis excludunt.

50. 7) *Cum tradita explicatione influxus inspirativi in mentem hagiographi non pugnant ea, quae scriptor secundi libri Machabaeorum de compositione huius libri refert.* — Quatuor imprimis huius hagiographi dicta huc pertinent: primum: „*Itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare*" (2, 24.); alterum: „*negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus*" (ib. 27); tertium: „*veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes*" (ib. 29.). Denique quartum: „*Si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi*" (15, 39.). Iamvero ex his verbis alii ad ipsam huius libri inspirationem negandam adducti sunt, aliis vero ea verba cum tradito inspirationis conceptu pugnare visum est. Etenim imprimis indignum esse videtur, Spiritum Sanctum epitome sive abbreviationem alterius operis non inspirati inspirare; deinde in scriptore inspirato tantus labor et sudor superfluus esse videtur; item Spiritus Sanctus dubitationis de veritate historica eventuum relatorum auctor esse nequeat; denique illa verba saltem cum conscientia inspirationis vix ac ne vix quidem conciliari possunt. — Verumtamen haec dubia reipsa nec inspirationis huius libri exsistentiam,

neque conceptum inspirationis supra statutum attingunt, ut ex sequentibus considerationibus satis patebit:

51. *a) Nihil repugnat neque Deo indignum est, epitome aliquod vel excerptum divinitus inspirari.* Et *primo* quidem id non pugnat cum interna inspirationis ratione, cum Spiritus Sanctus sane ideam eiusmodi excerpti in mente hagiographi excitare eumque determinare possit, ut praecise eas res et sententias decerpat et litteris consignet, quas Deus consignari vult. *Praeterea* neque indigna Deo ea ratio agendi est, cum eiusmodi epitome magnam utilitatem religiosam habere possit, ut reipsa in hoc casu est. In illo enim secundo Machabaeorum libro singularis Dei providentia erga populum Iudaeorum egregie celebratur et commendatur; haec enim et similia in eo leguntur: „*Deus autem, qui liberavit populum suum, et reddidit haereditatem omnibus et regnum et sacerdotium et sanctificationem, sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur*“ (2, 17. ss.). „*Ipse, qui habet in coelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius et venientes ad malefaciendum percutit et perdit*“ (3, 39.). „*Omnes igitur coeli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit*“ (15, 34.).

52. Aliqui theologi, ut efficacius omnen difficultatem removerent, librum sacrum, de quo agitur, non esse epitomen vel excerptum operis Iasonis, sed solum breviorem eorundem eventuum expositionem, ita ut quidem materialis identitas inter hunc et illum, non autem dependentia illius ab hoc habeatur (cf. *Schmid* de inspirationis bibliorum vi et ratione n. 104. ss.; *Crets*, de divina bibliorum inspiratione, p. 153.). et alii iterum etiam librum Iasonis inspiratum fuisse contenderunt. Sed utraque sententia tum minime necessaria est ad salvandam inspirationem libri secundi Machabaeorum, tum parum probabilis apparet. Quod nominatim primam attinet: nimis clare ipse scriptor asserere videtur, se excerptum vel epitomen ex maiore Iasonis opere facere (2. Mach. 2, 19. ss. cf. Pesch, n. 421.).

53. *b) Neque magnus labor et sudor, quem sacer scriptor in componendo illo libro se subiise refert, cum inspiratione*

pugnat. Quae assertio iam patet ex iis, quibus supra ostensum est, per inspirationem generatim humanam industriam et diligentiam scriptoris inspirati non excludi. Solum igitur illud hic addi potest, eandem adhuc melius intelligi in communiore et probabiliore sententia eorum, qui, quam *inspirationem verbalem* vocant, admittere recusant. De qua re inferius accuratius dicetur.

54. c) *Item falso haec s. scriptoris sententia*: „*veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes*" (2, 29.) *inspirationi libri opponitur.* Etenim haec verba nequaquam eum sensum fundant, quem adversarii obtrudunt, scilicet scriptorem veritatem historicam suae narrationis fontibus suis et imprimis fidei Iasonis relinquere ideoque de omnibus saltem suis relationibus certo non constare. Quamvis enim haec acceptio cum textu latino congruere videatur, per textum graecum tamen plane excluditur: utpote qui sic habet: τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγράφει παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ἀπογράμμοις τῆς ἐπιτομῆς διαπονοῦντες, i. e. singulorum accuratam et minutam expositionem historiographo relinquentes nos formam epitomes facere studuimus. Itaque suum librum tamquam epitomen vel compendium operi Iasonis opponit, nequaquam vero fidem suam liberat neque Iasonem solum de veritate narratorum respondere debere statuit.

55. d) *Pariter verba*: „*Si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim, sin autem minus digne, concedendum est mihi*" (15, 39.) *inspirationi libri non opponuntur.* Nam haec modesta excusatio non ad ipsas res et eventus relatos refertur ac si eorum veritas non certa, sed dubia diceretur, quod verbo Dei sane repugnaret: sed potius externam rerum vel veritatum expressionem, rationem dicendi vel stilum spectat, ut ex ipsis expressionibus: εὐθίκτως τῇ συντάξει = *ut historiae competit* et εὐτελῶς καὶ μετρίως = *minus digne* satis apparet, utpote quae incongruae essent ad imperfectionem sub respectu ipsarum rerum vel veritatum exprimendam. Illa autem, scilicet externa rerum expressio, ratio dicendi, stilus

non obstante inspiratione maiorem vel minorem perfectionem habere possunt pro maiore vel minore industria vel diligentia a scriptore humano adhibita, pro diversa naturali eius indole et ingenii cultura, praesertim si verbalis illa inspiratio admittenda non sit; quod reipsa probabilius est.

e) Denique testimonia sacri scriptoris allata ne conscientiam quidem inspirationis ab ipso removent. Ratio aperta est, quia, quod ipsam inspirationem non tollit, nec conscientiam eiusdem impedit; atqui quae in allatis testimoniis referuntur, ipsam inspirationem non removent; ergo neque eius conscientiam impediunt. *Maior* inde constat, quod cognitio quaevis obiectum suum supponit, naturam autem eiusdem non immutat. 56.

2. De influxu inspirativo in voluntatem hagiographi. — Influxu inspirativo in intellectum hagiographi satis explicato, accuratius explicandus venit influxus divinus in hagiographi voluntatem. Cum vero in pluribus hic cum illo conveniat, ea imprimis explicanda sunt accuratius, quae influxui inspirativo in voluntatem propria sunt. Etiam praesens inquisitio commode aliquibus assertionibus statutis et demonstratis absolvitur. 57.

1) *Ad internam inspirationis rationem etiam requiritur divinus in voluntatem hagiographi impulsus, quo efficaciter et infallibiliter ad scribendum movetur.* — Assertio haec ex ipsa natura inspirationis, prout explicata est, sponte consequitur et supra iam deducta est (Thes. 11. n. 11. ss.). Itaque breviter: Deus media inspiratione per sacros scriptores tamquam instrumenta auctor sacrae scripturae exstat; ergo operatio, qua sacri scriptores sacros libros produxerunt, media inspiratione a Deo tamquam causa principali processit; atqui cum sacri scriptores ut rationalia instrumenta scripturam produxerint, ea operatio sicut mentis reflexionem ita et voluntatis activitatem essentialiter includit; ergo media inspiratione etiam haec voluntatis hagiographi activitas a Deo tamquam causa principali processit, sive, quod idem est, inspiratio divina scripturae essentialiter divinum in voluntatem hagiographi

impulsum complectitur, quo hic ad scribendum efficaciter vel infallibiliter determinatur.

58. Et profecto, seposito eiusmodi divino in voluntatem hagiographi impulsu, non iam Deus per hagiographum tamquam instrumentum, sed ipse hagiographus autonoma voluntate libri exsistentiam determinat, eius auctor est, per eum tamquam verbum suum formale loquitur. Neque quidquam obstat, quod ideae et sensa in libro consignata supposita mentis illustratione a Deo primum procedant: nam ut litteris consignata sunt, a scriptore humano procedunt, vel liber, ut est scriptus, a solo scriptore humano emanat, neque ullo modo Deo tribui potest.

59. Hinc *discrimen patet inter inspirationem ad loquendum et inspirationem ad scribendum.* Videlicet illa supra mentis illustrationem impulsum ad loquendum, haec vero ad scribendum addit. Quare propheta a Deo illustratus et ad ea, quae illustratione divina didicit, eloquenda impulsu divino determinatus tamquam Dei organum loquitur, vel Deus formaliter per ipsum loquitur: si vero insuper proprio marte vel sine ulteriore impulsu ad scribendum eadem litteris consignaret, in hac scribendi actione tamquam Dei organum non ageret: Deus igitur neque libri ita conscripti ullo modo auctor esset neque igitur per eundem librum formaliter loqueretur: vel liber divinus quidem ratione materiae ideoque verbum Dei obiectivum, non autem divinus ratione originis neque igitur verbum Dei formale esset.

60. Item *hinc patet discrimen influxus huius inspirativi in voluntatem hagiographi ab ordinaria inspirationis ad bona opera gratia.* Haec enim gratia propria ratione hominem instrumentum Dei non constituit; neque Deus per eam gratiam exsistentiam boni operis determinat, sed homo per eam gratiam sibi indifferenter oblatam autonome agens id praestat.

61. *2) Hic impulsus divinus voluntatem hagiographi ad omnia movet, quae in libri compositione a voluntate dependent et sic etiam potentias exsecutivas necnon ipsam scriptionem attingit.* — Ratio assertionis manifesta est: nam voluntas hagiographi in componendo libro sacro instrumentum Dei est:

ergo quaecunque in componendo libro agit sub influxu divino agit. Hinc voluntas mota a Deo decernit librum componere haec vel illa iudicia et sensa in eo exprimere, his vel illis subsidiis uti et cetera. Et cum vires exsecutivae in homine immediate et necessario a voluntatis imperio dependeant et moveantur, Deus per impulsum illum in voluntatem hagiographi mediate etiam vires exsecutivas eiusdem movet necnon adeo ipsam scriptionem attingit.

62. *3) Divina haec motio voluntatis variis modis fieri potest.* — Etenim quaevis divina voluntatis hagiographi motio ad inspirationem sufficit, qua voluntas hagiographi a Deo dependens eiusque instrumentum redditur. Atqui id variis modis fieri potest. Ergo. *Minor* facile probatur vel explicatur. Etenim Deus voluntatem hagiographi ad scribendum impellere potuit vel per se vel per alium, modo mere interno et insensibili vel modo externo et sensibili.

63. Et *primo quidem Deus physico influxu immediate voluntatem hagiographi afficere* eamque ad sacrum librum scribendum determinare potuit. Nihil enim imperfectionis aut intrinsecus impossibile apparet in eiusmodi divino influxu; quidquid autem possibile est in ratione effectionis nec imperfectionem ullam dicit, Deo tribuendum est; ergo. Et profecto potius ad perfectionem divinam spectat, ut Deus solus sine subsidio ullo et immediate per se ipsum in voluntatem humanam agere eamque pro lubitu huc vel illuc flectens sibi subiicere valeat. *Confirmatur,* quia etiam gratia ordinaria inspirationis immediatae ad bona opera tamquam influxus divinus physicus immediate ipsam voluntatem afficere a theologis communiter agnoscitur. — Quare immerito *Billot* (De inspiratione p. 49.) in praesenti quaestione eiusmodi immediatum influxum in voluntatem hagiographi praetermittit vel negat; atque falso generatim nonnisi duplicem influxum divinum in voluntatem humanam agnoscere videtur, unum physicum immediatum per generalem concursum, alterum specialem, qui solum moralis est et per imperium, consilium, etc. mediante cognitione fit. Haec opinio iam ex sola gratiae supernaturalis consideratione non solum impro-

babilis sed falsa esse videtur. — In secunda editione recenter facta ipse auctor hanc opinionem correxit.

64. *Secundo Deus voluntatem hagiographi movere et ad scribendum determinare potuit influxu interno morali*, scilicet mediante cognitione ei proponendo suam voluntatem, suum mandatum vel suum beneplacitum vel alia motiva, quibus ad scribendum induceretur. Qua ratione etiam homo influxu quidem non interno sed externo vel mediante cognitione ab ipso solum extrinsecus excitata voluntatem alterius hominis movet, ut v. g. dominus voluntatem servi, parentes filiorum, amicus amici, orator auditorum etc. Differentia solum est, quod Deus ea ratione humanam voluntatem movet infallibiliter, homo solum fallibiliter. Iamvero eiusmodi morali influxu divino voluntatem hagiographi relate ad libri sacri scriptionem tamquam instrumentum Deo subdi posse, indubium esse videtur. Neque enim alia motione voluntas etiam amanuensis auctoris cuiuslibet huic subditur; nihilominus vero ab omnibus consideratur et reipsa est auctoris instrumentum in libro conscribendo. — Hinc sine ratione ulla convincente *Pesch* in unoquoque auctore sacro ad inspirationem postulat influxum divinum tum physicum tum moralem et quidem illum praesertim tamquam essentialem; etsi enim in plerisque auctoribus sacris vel forte in omnibus eiusmodi influxus physicus immediatus adfuerit, ad essentiam tamen inspirationis, qua Deus vere auctor libri evadit, nequaquam requiritur.

65. *Tertio Deus sacros scriptores ad libros sacros scribendos excitare et determinare potuit influxu morali in voluntatem eorum mediis externis exercito*, v. g. mandato scribendi per verba sensibiliter prolata significato: qua ratione reipsa Deus aliquos sacros scriptores voce sensibiliter prolata ad scribendum excitasse in scriptura legitur, ut v. g.: „*Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis*“ (Is. 8, 1. coll. 6, 9.). „*Haec dicit Dominus Deus Israël dicens: Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te in libro*“ (Ier. 30, 2. coll. 1, 7. etc.). „*Et respondit mihi Dominus et dixit: Scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum*“ (Hab. 2, 2.). „*Dixit autem*

Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Iosuae: delebo enim memoriam Amalec sub coelo" (Exod. 17, 14.). „*Fui in spiritu in dominica die, et audivi post me vocem magnam tamquam tubae, dicentis: quod vides, scribe in libro, et mitte septem ecclesiis*" (Apoc. 1. 10. 11.).

66. *Quarto* tandem Deus ministerio angelorum vel aliorum hominum uti potuit atque per eos tamquam legatos suos mandatum scribendi hagiographo intimare, qua ratione v. g. partim saltem in scriptorem Apocalypsis influxisse videtur: „*Et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruum magnorum, dicentium: Alleluia; quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni et uxor eius praeparavit se . . . Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: haec verba Dei vera sunt*" (Apocal. 19, 6. ss.). — Facile vero intelligitur, tum tertio, tum quarto modo adhibito eadem ratione vel aeque in hagiographo rationem instrumenti servari, sicut in secundo.

67. Porro *quonam ex his modis Deus in singulis casibus usus sit*, cum certitudine vix determinari potest; probabilius autem esse dici posse videtur, Deum unumquemque hagiographum saltem etiam motione interna voluntatis vel immediata et physica vel mediata et morali ad scribendum determinasse. Ita enim plenius et magis proprie tum conceptus inspirationis, tum testimonium S. Petri (2. Pet. 1, 21.), tum plura traditionis documenta verificantur; utpote quae omnia inspirationem tamquam operationem divinam a Deo immediate in facultates rationales hagiographi procedentem insinuare videntur.

68. *Notandum denique est, divinam voluntatis hagiographi motionem non excludere alia ad scribendum incitamenta vel motiva.* Sic v. g. sacri scriptores etiam precibus vel interrogationibus fidelium impelli potuerunt et aliqui reipsa impulsi sunt, ut sacros libros conscriberent. Atque id quidem de S. Marco *Hieronymus*, de S. Ioanne *Clemens A.* expressis verbis asserit. Prior enim sic refert: „Marcus, discipulus

et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit evangelium" (In libr. de scriptoribus ecclesiastic.). Alter vero: „At Ioannes omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit" (Ap. Eusebium, H. E. c. 14.). — At vero eiusmodi fidelium preces, etsi ex gratia divina procedebant. *intrinsecus tamen ad divinam hagiographi inspirationem non pertinent.* sed accidentaliter potius ad eam se habent: quod apprime et sedulo considerandam est, ne conceptus genuinus inspirationis obscuretur vel corrumpatur. Ratio vero satis aperta est, quia ad inspirationem voluntatis hagiographi solum illud intrinsecus et essentialiter pertinet, quo eadem Deo vel divinae voluntati tamquam instrumentum in conscribendo libro subditur; atqui precibus fidelium, quamvis ex gratia divina procedentibus et efficacibus, voluntas hagiographi divinae voluntati nequaquam tamquam instrumentum subdebatur, sed autonoma manebat. Ergo fidelium preces et alia similia intrinsecus et essentialiter ad inspirationem non pertinent. sed tamquam aliquid accidentale eam comitari possunt.

69. *4) Per inspirationem libertas hagiographi nec tollitur nec laeditur.* — Hagiographum sub divina inspiratione liberum manere, in antiquitate Montanistae negaverunt, atque negare debuerunt, quia etiam sensuum et rationis usum iisdem denegarunt. Sed seposita hac absurda opinione, qua illi inspirationem manticae exstasi vatum ethnicorum aequiparabant. quaestio solvenda restat, num stante usu rationis motio divina voluntatem hagiographorum ita ad unum determinaverit, ut indifferentia activa sive libertas sublata esset. — Respondendum est omnino negative, quod certo et facile ostenditur.

70. Et *primo quidem motio divina voluntatis hagiographorum libertatem non necessario ex natura rei abstulit.* Quod *primo* manifestum est quoad motionem moralem. quae media cognitione, per mandatum vel beneplacitum vel desiderium intimatum, perficitur. Nam ex natura talis motionis et determinationis est, ut homini ea moto libertatem relinquat, qua

seipsum determinet. Sic unus homo alterum saepissime ea motione morali ad aliquid movet et determinat, quin ullo modo, qui sic movetur, libertatem amittat. Ergo a fortiore Deus hominem sine dispendio libertatis sic movere potest. — Idem *secundo* dicendum etiam est quoad divinam motionem physicam immediatam. Etenim etiam gratia ordinaria inspirationis eiusmodi divina voluntatis humanae motio est neque tamen libertatem hominis aufert. Et profecto ad perfectionem divinae potentiae et providentiae spectat, ut Deus salva libertate humana hominem ad certas actiones movere et determinare immediate per seipsum valeat. Deus igitur, ut *Augustinus* dicit, reipsa, „humanorum cordium convertendorum, quo placet, omnipotentissimam habet potestatem."

Hinc *secundo dicendum est, hagiographos reipsa liber-* **71.**
tatem sub inspiratione divina retinuisse. Etenim *primo* Deus pro infinita sua bonitate et sapientia, cum homines ad supernaturalem ordinem elevat, generatim eorum perfectiones naturales non tollit, sed supponit et elevat; ergo id maxime valet, quando homines ut instrumenta vel organa ad aliquem effectum supernaturalem producendum adhibet; nam hominem maxime decet atque ad perfectionem eius naturalem plane spectat, operari cum ratione et libertate. — *Secundo* igitur mirum accidere non potest, quod ipsi hagiographi de se vel aliis hagiographis ea ratione loquantur, ex qua satis manifesto patet, eorum libertatem sub inspiratione divina integram mansisse. Ita v. g. scriptor secundi libri Machabaeorum his verbis concludit: *„In his faciam finem sermonis et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi"* (2 Mach. 15, 38. 39.). Haec enim conscientiam libertatis in scribendo supponunt, quia quod liberum non est, nec laudem nec vituperium nec excusationem meretur. Similia apud alios sacros scriptores inveniuntur. — Hinc *tertio* SS. Patres quoque communiter hagiographorum libertatem asseruerunt. Exemplo sit *Chrysostomus*: „Omnia (prophetis) manifesta erant, et in illis prophetabant, ut ipsos decebat, cum omni intelligentia et libertate. Quapropter et loqui et non loqui erat in eorum potestate:

neque enim necessitate tenebantur, sed libertate dignati erant. Ideo Ionas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Ieremias recusabat. Deus autem non per necessitatem impellit eos, sed consiliis, exhortationibus, comminationibus utitur non obscurans intellectum. Daemonis enim proprium est tumultum et insaniam creare et multam caliginem, Dei vero est illuminare et cum intelligentia docere, quae opus est" (In 1. Cor. hom. 29, 2). — Denique *quarto* idem theologi communi consensu docent. Audiatur *S. Thomas:* „Usus autem prophetiae cuiuslibet est in potestate prophetae, et secundum hoc dicitur 1. Cor. 14, 32.: *Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.* Et ideo ab usu prophetiae aliquis potest seipsum impedire" (De verit. q. 12. a. 4. ad 6.). „Apostolus (1. Cor. 14, 32.) loquitur quantum ad prophetiae denuntiationem, quia suo arbitrio subiacet denuntiare, de quibus inspiratur, non autem quantum ad revelationem, qua ipse propheta spiritui subiicitur . . . Error Montani fuit in duobus: Primo quia subtrahebat prophetis lumen mentis, quo de visis verum iudicium haberent; secundo quod in ipsa denuntiatione eos a sensibus abstractos dicebat, sicut in furiosis contingit vel in his, qui loquuntur in dormiendo" (De verit. q. 12. a. 9.).

72. ***3. De scriptione deque divina in ea assistentia.*** — Explicatis duobus principalibus inspirationis elementis, restat, ut pauca de tertio eiusque termino, ipsa scilicet scriptione notentur. Itaque:

1) Inspiratio non complectitur influxum divinum physicum et immediatum in ipsam scriptionem. — Assertio manifesta est *primo* ex analysi auctoris libri supra instituta, quippe quia auctor libri est non solum, qui ipse propria manu librum scribit vel scribentis manum contactu physico dirigit, sed etiam qui scribam morali influxu ad scriptionem determinat. *Secundo* idem inde quoque manifestum est, quod ex ipsis sacris scriptoribus, auctoribus secundariis sacrorum librorum, plures non causae immediatae physicae scriptionis, sed solum morales exstiterunt, utpote qui illos amanuensibus suis dictaverunt. Ita liber prophetiae Ieremiae propheta dictante a Baruch scriptus est (Ier. 36.). Item primam Petri epistolam

Apostolo dictante scripsit Silvanus (1. Pet. 5, 12.). Pariter epistolam ad Romanos Paulus non propria manu, sed per Tertium scripsit (Rom. 16, 22.). Generatim Paulus epistolas suas propria manu non scribere, sed solum subscribere solebat; ut patet ex hoc monito in epistola 2. ad Thessalonicenses adscripto: *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo*" (2. Thessal. 3, 17.: cf. Col. 4, 18.; Gal. 6, 11.). „Consuetudo Apostoli erat, quod totam epistolam faciebat aliquem scribere, sed in fine ponebat aliquid de manu sua . . . ne fallerentur" (S. Thomas, in Coll. 4, 16.) i. e. ne fictas pro veris Pauli epistolis haberent (cf. 2. Thess. 2, 2.). Iamvero si Apostoli et Prophetae scriptores et secundarii auctores sacrorum librorum sunt, cum tamen plures propria manu et physico influxu scriptionem non perfecerint a fortiori Deus auctor et scriptor principalis sacrorum librorum per inspirationem est, etsi in ipsam scriptionem (praeter concursum generalem) physicum influxum nullum exercuit Ergo inspiratio ss. librorum eiusmodi physicum influxum in ipsam scriptionem non comprehendit.

73. 2) *Inspiratio tamen tamquam tertium elementum divinam assistentiam comprehendit, qua Deus providet, ut scribenda omnia apte exprimantur.* — Haec assertio iam supra (th. 12. u. 14. ss.) probata est. *Apprime vero considerandum est, hoc elementum a prioribus distingui.* Etenim iam posita illustratione intellectus et inspiratione voluntatis accidere posse intelligitur, ut scriptor in ipsa scriptione deficiat, quatenus vel admisceat aliqua iis, quae a Deo inspirata sunt, vel haec ipsa ineptis vocabulis exprimat et sic in alienum sensum pervertat. Ad haec igitur praecavenda essentialiter divina assistentia in ipsa scriptione requiritur. Si enim eiusmodi defectus Deus non impediat, hagiographus in alienis iis sensis exprimendis Dei instrumentum non esset, ea sensa Dei sensa et verba formalia non essent, ideoque Deus neque totius contextus auctor esset; ergo.

74. 3) *Assistentia per se negativa est, per accidens autem positivum influxum dicere potest.* — Etenim *per se* eo spectat, ne a scriptore sacro aliquid alienum admisceatur, neve in

externa expressione vel scriptione eorum, quae inspirata sunt, deficiat; si autem hagiographus etiam sibi in ipsa materiali scriptione relictus non deficiat vel defecturus sit ea ratione, nullus influxus positivus, ut inspiratio ipsorum verborum, necessarius est; ergo illa assistentia per se et necessario positivum influxum non dicit.

Per accidens tamen contingere potest, ut eadem assistentia positivum influxum comprehendat. Quando enim sacer scriptor naturalibus suis viribus non inveniat aptas expressiones, quibus quaedam sensa divinitus inspirata accommodate exprimat, nihil restat, nisi ut ipse Deus scriptori apta verba sive immediate ipse sive mediate per alios suggerat.

Atque haec de ipsa scriptione dicta hoc loco sufficiunt, cum quaestio de inspiratione verbali inferius tractanda sit.

Articulus tertius.

De extensione inspirationis.

Thesis 13. **Divina scripturae inspiratio ad omnes omnino sententias se extendit, quae a scriptura ipsa asseruntur, adeo, ut quaelibet propositio a scriptura asserta verbum Dei formale scriptum sit.**

Declaratio.

1. *1. Argumentum huius articuli.* — In praesenti articulo iam quaerendum et definiendum est, quanta spectatis singulis partibus vel sententiis vel etiam expressionibus sive vocabulis sit extensio inspirationis divinae, cuius existentia et natura hucusque demonstratae et explicatae sunt. Haec vero generalis quaestio in duplicem specialem dispescitur: *Prima* respicit singulas partes et sententias ideoque in ea quaeritur, num singulae partes necnon singulae sententiae a scriptura assertae divinitus inspiratae sint; atque haec quaestio in praesenti thesi solvenda est. *Altera quaestio specialis* spectat

singula vocabula singulasquae constructiones, quibus ss. scriptores in componendis libris sacris usi sunt; de hac vero quaestione, quae sub alio respectu magis naturam inspirationis respicit, in sequenti thesi dicendum erit.

In antecessum autem *apprime notandum est*, in hac de extensione inspirationis quaestione spectari ipsa autographa scripturae; apographa autem et versiones ad obiectum inquisitionis vel considerationis non pertinent. In his enim apographis et versionibus errata inveniri sive ex interpretum negligentia, sive librariorum aliorumve iniuria vel ignorantia apud omnes certo constat. Eiusmodi errata autem sane inspirata non sunt, tum quoniam Deus falsi quidquam inspirare profecto non potest, tum quia eiusmodi menda in scripturam post eius conscriptionem irrepserunt, nihil enim, quod ipsam inspirationem absolutam consequitur, sub ea cadit nec eius terminus est. Hinc etiam ii theologi, qui extensionem inspirationis ad omnes sententias referunt, in apographis et versionibus quaedam errata ideoque non inspirata inveniri, sine haesitatione concedunt.

2. ***Diversae de extensione inspirationis sententiae.*** — Omnes diversorum auctorum de extensione inspirationis sententiae ad tres revocari possunt: *prima* est eorum, qui eam ad expressiones quoque atque constructiones extendunt; quae in sequenti thesi exponetur et excessu deficere probabitur. *Altera* est illorum, qui extensionem inspirationis nimis restringentes defectu peccant, quatenus partes quasdam vel propositiones a scriptura assertas ab inspiratione excludunt. Denique *tertia* eorum est, qui mediam viam ineuntes inspirationem verbalem quidem admittere recusant, partes vero scripturae omnes necnon propositiones quasvis ab ea assertas divinitus inspiratas esse docent. Iam hoc loco accommodate ad scopum thesis secunda et tertia sententia exponenda venit. 2.

1. *Sententia eorum, qui extensionem inspirationis nimis restrinxerunt.* — Opinio, quae aliquas partes vel sententias a scriptura assertas ab inspiratione excipit, primam originem ab haereticis quibusdam antiquis sumpsisse videtur, qui argu- 3.

mentis catholicorum ex scriptura derivatis pressi potius eas scripturae partes divinitus inspiratas esse negare, quam se catholicis dedere maluerunt (cf. *Denzinger*, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis n. 118.).

4. Recentiore autem post concilium Tridentinum aetate praeter protestantes plures, ut Grotium, Salmasium aliosque etiam catholici scriptores quidam liberius de inspiratione scripturae sentientes ab ea quasdam partes vel sententias exceperunt; ut saeculo 16. *Erasmus* et saeculo 17. *Holden*. Quorum prior Spiritum Sanctum, salvo ipso evangelio, in quibusdam accidentalibus influxum suum sacris scriptoribus denegasse opinatus est: „Spiritus ille divinus, mentium apostolicarum moderator, passus est suos ignorare quaedam et labi errareque alicubi iudicio sive affectu nullo incommodo sui evangelii" (In Matth. 2, 7, 3.). Alter vero de inspiratione eiusque extensione agens animadvertendum esse ait: „quod auxilium speciale, divinitus praestitum auctori cuiuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit ecclesia, ad ea solummodo se porrigat, vel quae sint pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habeant ad doctrinalia respectum. In iis vero, quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune sit" (Divinae fidei analysis, l. 1. c. 5. lect. 1.). Quamvis vero ita inspirationem restringeret, errorem tamen ullum in scriptura admittere recusavit: sed hanc scripturae inerrantiam ex traditione vel doctrina magisterii authentici repetit.

5. Denique recentissima post Concilium Vaticanum aetate successerunt his auctoribus alii quidam theologi catholici iterum inspirationis extensionem plus aequo restringentes. Inter eos dignitate et auctoritate eminet *Cardinalis Newman;* hic vero theologus ab inspiratione excepit, quae ipse „obiter dicta" vocat; termino vero *obiter dicta*, ut ipse explicat, enuntiationes designat, quarum obiectum neque ad fidem et mores spectat neque ullam cum iisdem connexionem habet ideoque sub hoc respectu et spectato fine scripturae nullius momenti est. *Obiter dicta* igitur ex mente et expressa declaratione Cardinalis sunt:

„phrases, clausulae, sententiae biblicae de materia puri facti, quae, utpote non pertinentia ad fidem et mores, sine violentia referri possunt ad humanum elementum in eius compositione.“ Exempla, quibus rem declarat, adducit haec a scriptura relata: Paulum paenulam Troade apud Carpum reliquisse (Tim. 4, 13.), Nabuchodonosorem regem Ninivae fuisse (Iud. 1, 5.). Ne vero haec opinio Cardinalis inspirationis restrictiva contra eius mentem extendatur vel accipiatur, haec insuper *animadvertenda sunt*: *Primo* historia sacra, quam scriptura refert, exceptis minutissimis quibusdam vel nullius momenti rebus (obiter dictis) tota inspirata est: „Quid est, inquit, tota historia relata in scriptura inde a Genesi usque ad Esdram et ab Esdra usque ad finem actuum Apostolorum nisi manifestatio providentiae divinae, qua tum magna ex parte et cum applicationibus analogicis explicatur universalis historia, tum praeparatur, prafiguratur, praedicitur evangelica dispensatio? Paginae eius ab initio usque ad finem spirant providentiam, gratiam, Dominum nostrum, opus eius et doctrinam . . . Sub hoc respectu Deum habet auctorem . . . Ideo historia biblica merito postulat, ut secundum substantialem plenitudinem suam accipiatur de fide ut vera. Sub hoc respectu scriptura inspirata est, non solum in rebus fidei et morum, sed in omnibus partibus suis, quae cum fide nexae sunt, inclusa materia factorum.“ *Secundo* ex pari ratione relationes de miraculis aliisque eventibus supernaturalibus ad *obiter dicta* nequaquam pertinent. *Tertio* denique Cardinalis recusat dicere, scripturam non esse in omnibus partibus inspiratam, sed spectato fine inspirationis dicendum esse contendit: scripturam esse quidem plene et in omnibus partibus inspiratam, non vero sub omni respectu sive in omnibus rebus; haec enim valde diversa esse inculcat. Atque his opinio Cardinalis Newmann sincere et sufficienter relata est (cf. *Pesch* n. 336. 337. et opuscula vel articulos Cardinalis ibi relatos.).

6. Multo longius, quam Cardinalis Newman in restringenda inspirationis extensione ante ipsum progressus est *Rohling* in dissertatione, quam a. 1872. edidit („Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die freie Forschung“ in ‚Natur

und Offenbarung' B. 18. S. 97—108.). Nimirum facta distinctione inter partes scripturae, quae doctrinas religiosas continent, et ceteras, quae de rebus profanis tractant, ita inspirationis extensionem definit: scriptura divinitus inspirata et ab errore quovis praeservata in iis tantum partibus est, quae doctrinam religiosam continent, necnon in iis narrationibus historicis, quae necessarium fundamentum constituunt veritatum religiosarum ita, ut ipsae hae veritates a veritate historiae pendeant; qua ratione v. g. commoratio populi Israël ad montem Sinai veritatem legislationis sustinet ac communit. In ceteris vero omnibus libri sacri divinitus inspirati non sunt, sed viribus dumtaxat humanis exarati: quare in his omnibus partibus a priori immunes ab errore habendi non sunt: sed utrum vera an falsa doceant, ad criticam pertinet iudicare. Patet, hac sententia multas et magnas partes, imo integros libros scripturae ab inspiratione excludi. Ab opinione vero, quam Holden proposuit, haec opinio fere differre non videtur, nisi quatenus ultra procedens partibus scripturae profanis etiam immunitatem ab erroribus denegat. *Notandum* adhuc est, auctorem ipsum huius recentioris opinionis ab ea mox discessisse, Cardinalem Franzelin vero eam data opera refutasse in appendice ad tractatum *de divinis scripturis* (ed. 3. p. 560. ss.) adiecto: „Symbole animadversionum in dissertationem inscriptam: ‚De Bibliorum inspiratione eiusque valore ac vi pro libera scientia'."

7. His aliisque similibus conatibus extensionem inspirationis aperte restringentibus finem imposuerunt *Leonis XIII.* litterae encyclicae *Providentissimus Deus*, quibus etiam eas opiniones inspirationem restringentes tamquam a catholica doctrina alienas denuntiavit et prohibuit. De aliis vero sententiis, quae quidem directe et aperte extensionem inspirationis non limitant, sed diversa ratione effectum inspirationis, i. e. inerrantiam scripturae extenuare et eatenus cognatae esse videntur, inferius dicendum erit.

8. 2) *Vera et communis de extensione inspirationis doctrina.* — Quamvis magisterium authenticum quaestionem de inspirationis extensione definitivo iudicio adaequate vel pror-

sus accurate decidisse non videatur, vehementer tamen falleretur, qui putaret, in hac re idem magisterium nihil authentice definivisse ideoque plenam opinandi libertatem theologis relictam esse. Huc enim spectat *Concilii Vaticani* sess. 3. canon 4. de revelatione: „Si quis sacrae scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit." Ex hoc canone igitur ideoque ex definitivo ecclesiae iudicio inspiratio ad libros integros cum omnibus suis partibus extenditur. Quaestio autem est, quidnam termino *pars* concilium designaverit. Iam de hac quaestione *Cardinalis Francelin* coram deputatione theologica, in qua canon ante definitionem discussus est, sic animadvertit: „Quod vero ad extensionem inspirationis spectat, diserta appellatione ad concilium Tridentinum significatur, eas partes credendas esse inspiratas, quas Tridentinum definivit esse sacras et canonicas. Quaestiones vero hactenus inter Catholicos controversae de sensu, quo partes librorum in Tridentino decreto intelligendae sint, nec definiuntur nec attinguntur. Quoad extensionem ergo inspirationis nihil omnino definitioni Tridentinae superadditur." (Coll. Lac. XII. 1621.). Verum, quamvis de sensu termini *partis* inter catholicos disputetur, certum tamen est, decretum illud Tridentinum ac consequenter Vaticanum restringi nequaquam posse ita, ut scriptura in solis rebus ad fidem et mores pertinentibus sacra et inspirata esse dicatur. Etenim dici quidem posse videtur, denominationem *partis* minimis quibusvis particulis et incisis tribui non posse, imprimis cum decretum agat de scriptura, prout in Vulgata versione exstat; in ea enim minimae quaevis particulae verbum Dei sane non sunt. Verum sine dubitatione ulla nomen *partis* integris scripturae capitibus pleno et proprio sensu convenit; atqui plura eiusmodi capita de rebus fidei et morum non agunt; ergo saltem non quaevis partes profanae ab inspiratione excludi possunt. *Confirmatur,* quia secundum concilium Tridentinum omnes libri cum omnibus suis partibus pari reverentia suscipiendi sunt; hoc enim verum non esset

vel naturae rei non responderet, si res ad fidem et mores non pertinentes, qui fere integram nonnullorum librorum materiam constituunt, divinitus inspiratae non essent. Quare opiniones ab Holden et Rohling propositae dogmati catholico directe oppositae esse videntur. Idem vero de opinione a Cardinali Newman defensa dici nequit, cum illa *obiter dicta* vix nomine partium designentur. Nihilominus communissima et vera doctrina est, scripturam plane totam sive secundum omnes sententias ab ea assertas divinitus inspiratam esse. Iam in praesenti thesi eadem doctrina ut vera et certa vindicatur, opposita tamquam falsa reiicitur. Plures theologi oppositam doctrinam etiam gravioribus censuris afficiunt: sic Canus (L. 2. c. 17.) eam *impium errorem*. Bellarminus (De verbo Dei, l. 1. c. 1 ss.) *haereticam* appellat.

9. ***3. De ratione argumentandi in praesenti quaestione sectanda.*** — Tota de inspiratione quaestio κάτ' ἐξοχήν dogmatica est, utpote quae circa operationem vel effectum Dei supernaturalem versatur, qui sola revelatione innotuit et innotescere potuit. Quare etiam in hac quaestione agenda et solvenda sicuti in aliis dogmatibus superrationalibus demonstrandis et explicandis methodus stricte theologica servanda est, qua imprimis ex ipsis fontibus revelationis demonstrationes et explicationes rei derivantur, postmodum autem et secundario solum ex natura rei, ex fine eiusdem, necnon ex scientiis naturalibus rationes petuntur. Iamvero hanc methodum naturae quaestionis unice consentaneam nimis negligere videntur illi theologi, quorum opiniones in praesenti thesi refutantur. Etenim iidem, quid ipsa scriptura, quid traditio de extensione inspirationis doceat, minus sollicite inquirunt; verum potius difficultatibus ex scientiis naturalibus et historicis derivatis ad inspirationis extensionem restringendam adducti sunt, necnon ex eisdem fontibus naturalibus argumenta sua derivant eaque considerationibus, quae circa inspirationis finem et naturam a priori magis versantur, confirmare conantur. Iamvero in sequenti demonstratione potius via inversa methodo stricte theologica adhibita procedendum est: videlicet imprimis fontes revelationis et normae doctrinae

catholicae, scriptura, traditio, ecclesiae doctrina, fidelium persuasio consulentur; atque deinde demum, qua ratione finis inspirationis necnon scientiae naturales ad extensionem inspirationis se habeant, securius determinabitur, et oppositae difficultates verius solventur. Qua sola via ad rectam et veram et adaequatam quaestionis solutionem et explicationem perveniri posse certum esse videtur.

Demonstratio.

1. Probatur ex s. scriptura. — Imprimis hic **10.** contra restrictionem inspirationis urgeri posset, quod ipsa scriptura (et idem de traditione valet) nihil usquam de distinctione, quam fautores illius restrictionis inter partes inspiratas et non inspiratas invenerunt, quidquam vel innuat, nedum aperte significet. Hoc enim scripturae (et traditionis) silentium profecto in magnum praeiudicium contra laxiorem eam opinionem cedit, immo attentis iis, quae modo de methodo theologica dicta sunt, eam satis certo excludit. Praestat tamen imprimis positivis argumentis eandem refutare; et argumentatio quidem ex scriptura duplex est:

1) Ex testimonio Paulino 2. Tim. 3, 15—17. — Apos- **11.** tolus discipulo lectionem scripturae commendat et rationem commendationis reddit his verbis: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia:* πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγμόν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν ἐν δικαιοσύνῃ. *A principio* quoad hoc testimonium illud ponderandum est, quod Apostolus discipulo commendat lectionem totius scripturae propterea, quia omnis scriptura divinitus inspirata et in varios fines utilis est, nullam autem nec minimam exceptionem facit; atqui Apostolus ea ratione sine omni restrictione scripturam ad legendum commendare et inspiratam dicere nequaquam potuisset, si integrae partes, ut Holden et Rohling voluerunt, ab inspiratione excludendae essent; ergo opiniones ea ratione

extensionem inspirationis restringentes cum Apostoli doctrina satis aperte pugnant.

12. *Praeterea* vero et imprimis ex textu graeco argumentum validum ducitur. Etenim terminus πᾶσα γραφή, utpote qui articulo caret, sensum non collectivum sed distributivum fundat, et ideo tamquam subiectum propositionis exhibetur, quidquid in libris sacris hoc nomine excellentiae *scriptura* insignitur. Ergo quidquid in sacris libris scriptura dicitur, ab Apostolo divinitus inspiratum esse asseritur; atqui ex ratione loquendi ipsis sacris scriptoribus consueta nomine scripturae non solum tota collectio ss. librorum sive integri libri sive maiores eorum partes, sed etiam et imprimis singuli textus vel singulae scripturae assertiones veniunt: ergo ex doctrina Apostoli non solum nulla maior scripturae pars, sed nec ulla eiusdem assertio ab inspiratione divina excipienda est. *Minor* argumenti constat ex testimoniis iam supra (th. 9. n. 3.) allatis, et obvia est cuivis legenti sacros libros, utpote in quibus nomen *scriptura* γραφή in numero singulari multo frequentius de singularibus textibus quam de tota collectione eorundem librorum adhibetur. Ergo argumentum plane sibi constat.

13. 2) *Ex ratione, qua tum Christus Dominus tum Apostoli testimonia scripturae citant.* — Christus Dominus et Apostoli nunquam, ut iam supra dictum est, differentiam ullam auctoritatis vel dignitatis inter diversas scripturae partes, imo nec inter diversos singulos textus ponunt: sed quemlibet textum, quodlibet testimonium adducunt, verbis: *scriptum est, scriptura dicit* eadem inducunt tamquam argumenta irrefragabilis auctoritatis et verba ipsius Dei, quae usque ad ultimam litteram et ultimum apicem adimpleri debeant. Et, *quod apprime notandum est*, ea ratione citant *primo* libros sacros cuiuslibet generis: legales, historicos, poëticos, propheticos, didacticos: *secundo* citant testimonia de diversissimis rebus tum directe religiosis, tum directe magis profanis sive historicis sive aliis; *tertio* denique non tantum in suis cum Iudaeis disputationibus, sed etiam in fidelium instructionibus vel in ipsa praedicatione apostolica hac ratione citandi scripturam

utuntur. Ergo ex persuasione Christi et Apostolorum diversi scripturae libri, diversae eiusdem partes, imo diversae et singulae assertiones eandem inviolabilem et divinam dignitatem et auctoritatem habent. Quare, cum scriptura generatim divinitus inspirata sit, haec divina inspiratio non ad partes quasdam limitari potest, sed ad omnes libros, omnes partes, omnes textus vel assertiones scripturae quascunque extendatur oportet.

Excipitur vel excipi potest contra, Christum et Apostolos nonnisi in rebus fidei et morum testimonia scripturae tamquam irrefragibilia adducere eorumque auctoritatem loquendi formulis: *scriptum est, scriptura dicit,* inde repetere, quod in scriptura contineantur; ergo nihil eiusmodi citationibus effici videtur. — R. *Primo* etsi verum esse ponatur, quod in antecedenti sumitur, scilicet Christum et Apostolos iis loquendi formulis tantum textus ad res fidei et morum pertinentes inducere, nihilominus argumentum ex ea citandi ratione derivatum plane inconcussum et integrum manet. Nam cum eorum testimoniorum auctoritas inde unice petatur, quod scripta sunt, manifesto consequitur, quaecunque scripta sunt, eandem auctoritatem habere ideoque divinitus inspirata esse; atqui scriptae sunt non tantum partes scripturae ad fidem et mores pertinentes, sed reliquae omnes quoque necnon singulae diversae sententiae a scriptura assertae; ergo omnes partes necnon omnes et singulae sententiae eandem auctoritatem habere et divinitus inspiratae esse dicendae sunt. — *Praeterea* vero ipsa assumptio antecedentis veritati prorsus consona non est. Etenim illis formulis loquendi etiam textus inducuntur, qui de rebus fidei et morum non agunt, neque cum iis arcte connectuntur, vel saltem tales esse non illico nec facile cognoscuntur, ut v. g.: *„Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti“* (1. Cor. 9, 9.) aliique similes. Ergo. **14.**

2. Ex communi SS. Patrum doctrina. — Quae SS. Patrum de inspirationis extensione persuasio ac fides fuerit, iam ex pluribus quidem eorum testimoniis constat, quae supra ad inspirationis existentiam vindicandam adducta **15.**

sunt (Thes. 10. n. 38. ss.). Nihilominus propter rei gravitatem ex eorum doctrina specialia quaedam argumenta praesenti thesi accommodare praestat. Itaque demonstratio luculenta derivatur:

16. *1) Ex methodo, quam Patres in defendenda scripturae divinitate sectati sunt.* — Etenim cum religionis christianae osores, ut Celsus, Porphyrius, Iulianus Apostata aliique ad scripturae divinam originem et auctoritatem convellendam plura eiusdem testimonia tamquam cum historia vel disciplinis physicis vel aliis scientiis humanis pugnantia opponerent et astute urgerent, SS. Patres omni studio et diligentia conati sunt ostendere, nullam penitus esse veri nominis oppositionem inter genuinam scripturae etiam de rebus profanis doctrinam et certas scientiarum humanarum de iisdem rebus conclusiones; omnem igitur eiusmodi oppositionem fictam vel apparentem esse atque aut ex male intellecta vel perverse explicata scriptura aut ex abusu vel aberratione scientiarum humanarum provenire. Nunquam vero adversariorum impugnationes eo diluerunt, quod suppositum eorum, scilicet ex fide christianorum scripturam prorsus totam inspiratam esse, falsum esse contenderent. Iamvero si SS. Patres restrictionem inspirationis ad solas res religiosas probabilem vel solum tolerabilem habuissent, facillime insultus adversariorum repressissent suppositum eorum negantes, imo vero spectatis gravitate causae et officio veritatis et sinceritatis hac methodo uti debuerunt, necnon pro sua de re christiana sollicitudine et pro suo veritatis et sinceritatis amore certissime usi essent. Ergo cum non hac sed illa via ingressi sint, eorundem firmissimam persuasionem fuisse constat, scripturae inspirationem ad res religiosas nequaquam restrictam esse. Exemplo in illa ratione defendendi scripturum contra incredulorum agressiones est vel ipse Origines secus liberiore et independentiore modo procedens: quamvis enim plus aequo sensum litteralem et historicum neglexerit et allegoricos sensus sectatus sit, in omnibus tamen divinam scripturae originem et auctoritatem salvam voluit. Sic arcae Noachi descriptionem defendens concludit: „Haec quantum ad historiae pertinent rationem

adversum eos dicta sint, qui impugnare scripturas veteris testamenti nituntur, tamquam impossibilia quaedam et irrationalia continentes" (Hom. 2. in genes.; cf. hom. 26, 3 in lib. num.).

2) *Ex ratione, qua diversos libros diversasque partes* 17.
scripturae interpretati sunt. — SS. Patres in suis diversarum partium scripturae interpretationibus toto suo modo procedendi significant, ex firmissima sua persuasione inspirationem non solum ad res religiosas sed ad profanas quoque necnon ad res et sententias, quae minimi momenti esse videntur et merito ad *obiter dicta* referuntur, secundum fidem catholicam extendendam esse. Etenim *primo* omni studio et diligentia incubuerunt, ut etiam in his rebus ad scientias naturales, historiam, geographiam, vitam familiarem et privatam pertinentibus omnem contradictionem vel falsitatem vel errorem removerent. *Secundo* in eiusmodi scripturae sententiis, quae de rebus non religiosis agunt atque saepe assertiones minimi momenti continent, sublimes sensus mysticos expressos vident et sectantur. Iamvero uterque iste modus procedendi manifesto supponit firmam Patrum persuasionem de extensione inspirationis ad omnes res et sententias easque minimi quoque momenti. Ergo. De illa vero duplici ratione procedendi in scripturae interpretatione innumeris exemplis constat. Satis est, pauca quaedam adducere. *S. Augustinus*, ut evangelia harmonice conspirare ostenderet, integrum opus, *de consensu evangelistarum*, conscripsit, in quo harmoniam etiam ad res mere historicas aliasque profanas et ad animadversiones, quae minimi momenti esse videntur, studiose extendit. Pariter processit in interpretanda *genesi*, cuius sacri libri quatuor commentarios conscripsit et ad quem interpretandum in aliis quoque operibus rediit, ut omnes difficultates quavis possibili vel probabili ratione removeret; intime enim ipsi persuasum erat, nullam posse esse realem oppositionem inter scripturas et quasvis veritates naturales; qua persuasione ductus tamquam principium suae exegesis statuit: „Ut quidquid ipsi (i. e. calumniantes libris nostrae salutis) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris

non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum" (De genesi ad litt. l. 1. c. 21. n. 41.). Idem principium et alibi saepius repetit et urget, ut in ep. ad Hieronym. 82; ep. ad eund. 28.; cont. Faust. l. 2. c. 2.; in genes. ad litt. l. 1. c. 19. Pariter alii Patres eandem normam interpretationis scripturae statuunt. Ita *Iustinus*: „Si ob eam causam, quod te existimaveris disputationem in eas angustias coniicere posse, ut scripturas inter se dicerem pugnare, errasti. Id enim nunquam audebo nec cogitare nec dicere; sed si qua proponitur scriptura, quae eiusmodi esse videatur, et praetextum quasi esset alteri contraria praebeat; cum persuasum habeam, nullam scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur, et in iis, qui scripturas inter se pugnare suspicantur, ut idem potius ac ego sentiant, persuadere conabor" (Dial. cum Tryph. n. 65.). Item *Origenes:* „Qui igitur fideliter et integre sacrorum voluminum colligit sensum, ostendere debet, quomodo ea, quae videntur esse contraria, non vere contraria sint" (In ep. ad Rom. l. 3.). Alibi quidem hoc principium extenuat concedens quaedam in scriptura occurrere, quae historice falsa et allegorice tantum vera sunt: „Propositum illis erat, vera narrare et spiritualiter et corporaliter, ubi liceret; ubi autem non contingebat utrumque, rem praeferre spiritualem rei corporeae, servata saepe veritate spirituali in corporali, ut aliquis diceret, mendacio" (In Ioan. t. 10. n. 4; cf. t. 6. n. 18. et in Matth. t. 16. n. 12.); sed in eo testis fidelis traditionis catholicae non est, verum potius ab ea deviat (cf. Zeitschrift für katholische Theologie, 1906. p. 304. ss.).

18. 3) *Ex disertis testimoniis.* — Inspirationem scripturae ad res omnes et sententias ab ea assertas etiam minimas extendi SS. Patres saepe expressis verbis declarant. Ita *Clemens Rom.* docet, scripturas a Spiritu Sancto datas esse nihilque in eis iniustum, nihil perversum inveniri (cf. th. 9. n. 18.) eundum *cohortationem ad Graecos* prophetae vel

hagiographi „nihil proprio marte excogitatum nos docuerunt, sed . . . scientiam a Deo acceperunt eamque nos docuerunt" (n. 8.). *Theophilus Antiochenus* res historicas minimi momenti inspirationi Spiritus Sancti adscribit: „Haec omnia (de genealogiis et de inventione artium, quae in genesi exhibentur) docuit nos Spiritus Sanctus, qui per Moysen et ceteros prophetas locutus est" (Ad Autolyc. l. 2. n. 30.). *Irenaeus* dicit, scripturas perfectas esse, quia a Deo et Spiritu eius dictae sint, atque nihil in eis non spirituale inveniri (cf. th. 9. n. 18.). *Hippolytus* declarat, nihil omnino mentiri scripturam neque Spiritum Sanctum decipere servos suos prophetas (cf. ibid.). Ex sententia *Marii Victorini* quidquid scriptum est, „a divino Spiritu dictum credendum est" (De physic. n. 27.). *Hilarius Pict.* asseverat, quaecunque locuti sint prophetae, ea omnia verba Dei esse (cf. th. 9. n. 18.); et iterum variis enumeratis rebus, de quibus scriptura agit, hortatur, ut „quidquid in coelestibus eloquiis est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur" (In ps. 135.). *Clemens A.* declarat, ne unum quidem apicem scripturae praeteriturum esse, qui non perficiatur, cum Spiritus Sanctus, Domini quasi os, eas elocutus sit (cf. th. 10. n. 41.). *Origenes* affirmat, divinam sapientiam omnem scripturam divinitus inspiratam vel ad unam usque litteram attigisse (cf. ibid.). Secundum *Gregorium Nyssenum* quaecunque scriptura dicit, Spiritus Sancti voces vel effata sunt (cf. ibid. n. 47.). Secundum *Gregorium Naz.* „diligentia Spiritus usque ad apicem et litteram se extendit, et ideo nefas est admittere, vel minima facta temere a scriptoribus enarrari" (ibid. n. 46.). *Basilius* declarat, „intolerandam et gravem esse blasphemiam, vel unum verbum otiosum in sacris litteris admittere" (hom. 10. in hexaëm.). Item in hac aliisque in hexaëm. homiliis contra allegoricas Origenis explicationes rerum profanarum inculcat, omnia, ut dicta sunt, accipienda, ut scripta sunt, intelligenda esse neque interpretem sibi sapientiorem videri debere ipsius Spiritus Sancti oraculis. *Chrysostomus* saepissime inculcat, nihil in scriptura ab inspiratione excipiendum esse. Huc fere omnia eius testimonia pertinent

supra (ib. n. 49.) adducta. Et alibi dicit: „Igitur ne illas quidem, quae exiguae videntur, scripturarum sententias praetercurramus. Nam et ipsae de Spiritus gratia sunt“ (Ad pop. Antiochen. hom. 1, 1. in verba 1. Tim. 5, 23. *Modico vino utere.*). Item de salutationibus in epistola Pauli ad Rom. agens animadvertit, nihil in scripturis supervacaneum, nihil superfluum esse, cum Spiritus Sanctus omnia dictaverit (In illud: *Salutate Priscillam et Aquilam.* hom. 1., 1.). Denique: „Sunt homines quidam banausici, qui postquam sacros libros in manus sumpserint, dein respexerint vel annorum numerum positum vel nominum recensionem, illico praetercurrunt et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt, nec quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere: Nulla est dictorum utilitas?“ (In illud *vidi Dominum* hom. 2. 2.). Item S. Hieronymus asserit: „Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus et rationem reddit, quia omnia a Spiritu Sancto dicta sunt (In Eph. 5, 6.). Pariter *S. Augustinus* saepe inculcat totam scripturam sine cuiusvis partis exceptione divinitus inspiratam esse. Sic dicit, scripturam esse contra omnes errores viam munitissimam, cum Deus eam totam condiderit (cf. th. 10. n. 59.). Item declarat, Deum quidquid nos de se suisque factis et dictis legere voluit, hoc sacris scriptoribus tamquam suis manibus scribere imperasse (ib.). Denique *Leo M.*: „Ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere aut aliter de scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt“ (Ep. 82, 1.). — Atque haec ad SS. Patrum doctrinam in sua luce ponendam abunde sufficiunt, praesertim cum etiam fere omnia testimonia supra (th. 10.) allata huc pertineant.

19. *Opponunt* fautores restrictae inspirationis plura SS. Patrum testimonia, in quibus suam sententiam contineri contendunt. Verum pleraque a praesenti quaestione aliena sunt, alia contextu considerato inspirationem minime restringere illico intelliguntur. Solum duo sunt, quae utpote paulo obscuriora considerationem merentur.

Primum est *Ambrosii*, qui in verba: *Ob duritiam cor-* 20.
dis vestri permisit vobis Moyses dare libellum repudii (Matth. 19, 9.) haec animadvertit: „Moyses permisit, non Deus iussit: ab initio autem lex Dei est . . . Ostendit autem hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta" (In Luc. l. 8. nn. 7. et 8.). — *R.* Ambrosius quibusdam contra indissolubilitatem matrimonii obiicientibus, Iudaeis licuisse suas dimittere uxores, respondet id. quidem a Moyse permissum, non vero a Deo iussum esse; simul vero approbante Deo Moysen id permisisse innuit. Hinc igitur Ambrosius solum id negare vult, Deum solubilitatem matrimonii tamquam legem vel proprietatem eiusdem statuisse, nequaquam autem negat, Deo inspirante eam permissionem in scriptura i. e. in libro Deuteronomii consignatam esse. Itaque a Deo scriptum non esse Ambrosio hoc loco idem est ac a Deo lege statutum non esse. Huc spectat haec Suarii notatio: „Adverto, aliud esse scriptorem *statuere* aliquid spiritu suo humano seu voluntate propria, aliud vero *scribere* statutum illud spiritu humano; quae duo videtur confundere Cano, sunt tamen valde distincta, ut v. g. Marc. 10. dixit Christus de libello repudii: *Ob duritiam vestram scripsit vobis Moyses*, ubi solet dubitari, an illud scripserit Moyses spiritu proprio an divino, in quo potest fortasse esse quaestio de lege, non tamen de scriptione legis. Itaque certum esse debet scriptionem semper esse a Spiritu Sancto, etiamsi factum vel statutum vel aliud simile non sit ita specialiter a Spiritu Sancto. Sic Paulus 1. Cor. 7. de quibusdam dicit: *Non ego, sed Dominus*, de aliis: *Praecipio ego, non Dominus*; utrumque autem scripsit eodem Spiritu Domini" (De fide, disp. 5. s. 3.).

Secundum est *Hieronymi*, qui nempe commentans Mich. 21.
5, 2. diversitatem notat inter hunc locum atque eius citationem apud Matth. 2, 6. et deinde hanc eius differentiae rationem reddit: „Sunt, qui asserunt in omnibus pene testimoniis, quae de vetere testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, aut interdum ipse sensus diversus sit: vel Apostolis vel Evangelistis non ex

libro carpentibus testimonia, sed memoriae credentibus, quae nonnunquam fallitur." — *R. Primo* haec explicatio, si admittenda esset, non solum inspirationem restringendam vel limitandam, sed potius eam penitus eliminandam evinceret, utpote quae nullum discrimen inter varios scripturae textus ponit. Quare etiam contra adversarios est, nedum eorum causam foveat. *Secundo* Hieronymus eam explicationem, ut ex ipsis verbis patet, non tamquam propriam sententiam refert aut approbat, sed solum refert: suam propriam solutionem potius his verbis praemisit: „Arbitror Matthaeum volentem arguere scribarum et sacerdotum erga divinae scripturae lectionem negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab eis dictum est" (ib.); nihil vero refert, quod haec explicatio parum probabilis videatur. Item alibi declarat, Evangelistas et Apostolos in suis scripturae citationibus verba quidem vel ordinem, non autem sensum mutasse: „Hoc autem in omnibus pene testimoniis, quae de veteribus libris in novo transsumpta sunt testamento, observare debemus, quod memoriae crediderint Evangelistae et Apostoli, et tantum sensu explicato saepe ordinem commutaverint, nonnunquam vel detraxerint verba vel addiderint"! (In ep. ad Gal.). *Tertio* S. Hieronymus ex professo de inspirationis extensione agens, eam nunquam limitat, sed eam omnes res et sententias attingere expressis verbis declarat: ut testimonia supra adducta ostendunt. Ergo immerito propter obviam illam animadversionem opposita opinio Hieronymo tribuitur.

22. ***3. Ex communi theologorum sententia.*** — Theologi cuiusvis aetatis, licet in explicatione quorundam ad naturam inspirationis spectantium dissentiant, moraliter tamen omnes in hoc conveniunt tamquam in primo quodam principio, quod scriptura secundum omnes res et sententias divinitus inspirata ideoque absque falsitate et errore et admixtione ulla verbum divinum continet. Audiatur *S. Thomas*, qui imprimis hoc principium statuit: „Hoc tenendum est, quod quidquid in sacra scriptura continetur, verum est: alias, qui contra hoc sentiret, esset haereticus." (Quodl. 12. a. 26.). Deinde expresse et aperte declarat scripturam etiam in rebus

minimi momenti, puta Samuelem esse filium Helcanae, infallibiliter veram esse: „Ad fidem pertinent ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequitur scripturam divinam esse falsam.“ (S. th. 1. p. q. 32. a. 4.). „In scriptura sacra secundum veritatem nihil est contrarium; sed si aliquid apparet contrarium, vel est, quia non intelligitur, vel quia corrupta sunt vitio scriptorum: quod patet specialiter in numeris et genealogiis.“ (In Tit. 3. lect. 2.). Denique hanc scripturae quoad omnia infallibilem veritatem ex eiusdem inspiratione repetit ideoque omnem inspirationis restrictionem quoad res vel sententias prorsus excludit: „Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur.“ (Quaest. disp. de potentia 4. a. 1.).

Eandem ac S. Thomas doctrinam omnes deinceps scholae 23.
theologi uno ore tradiderunt. Satis sit, adducere unum *Suarium*, qui in doctrina totius scholae versatissimus fuit atque unanimem eius consensum fidelissime sectatus est. Quaerit igitur: „An in divina scriptura sit aliquid, quod Spiritu divino scriptum non sit et consequenter, quod non sit scriptura divina. Ad quod breviter respondeo scriptorem canonicum nihil scribere humano et proprio spiritu, sed omnia et singula ex directione Spiritus Sancti . . . Est res certissima . . . Probatur sufficienter ex dictis circa definitionem scripturae, et quia alias tota scriptura redderetur incerta, et posset mendacium in illa inveniri.“ (De fide, disp. 5. s. 3.).

4. Ex ratione theologica. — Opinio inspirationem 24.
restringens etiam ratione theologica excluditur duplici eaque efficacissima; et quidem:

1) Ex funestis eius opinionis consectariis. — A priori iam parum probabile et divinae sapientiae consonum apparet, Deum librum condi voluisse, in quo sua sensa cum privatis hominum eiusdem scriptorum sensis permiscerentur; sapientia enim divina perfecta sua opera facere solet. Sed hac observatione etiam missa: eiusmodi permixtio certo absona et cum divina sapientia pugnans esse intelligitur in libro publico

ecclesiae ad instructionem fidelium tradito, si sensa divina a sensis humanis per normam aliquam obiectivam commoda et indubia ratione discerni non possint; ratio est, quia ea ratione homines continuo periculo erroris et falsae fidei exponerentur; quod cum fine eiusdem libri pugnat eumque penitus frustrat. Iamvero admissa opinione adversariorum Deus ita absone et insipienter egisse dicendus esset (quod absit), cum nullam normam obiectivam et infallibilem ad discretionem illam faciendam suppeditaverit. Ergo ex hoc quoque capite sententia inspirationis restrictiva falsa esse intelligitur.

25. *Minor probatur*: Revera enim eiusmodi norma neque a scriptura neque a traditione exhibetur, cum hi fontes ne de ipsa quidem ea discretione quidquam habeant, sed totam scripturam secundum omnes suas partes inspiratam esse declarent. Normae vero ab adversariis propositae arbitrariae, ambiguae, periculosae sunt atque scopum non attingunt. *Arbitrariae* sunt, ut vel ipsa ratio agendi adversariorum ostendit, quorum alii has alii illas partes ab inspiratione excludunt. *Ambiguae* sunt, cum in plerisque casibus difficillime, in multis nullo modo cum certitudine discerni possit, quaenam sententiae ad *obiter dicta* pertineant, et quaenam doctrinae profanae sint vel nullum nexum cum veritatibus religiosis habeant. Denique eo ipso *periculosae* sunt, quia sic magnam partem iudicio subiectivo singulorum relinquitur, quasnam scripturae sententias vel partes tamquam divinitus inspiratas accipiant; id vero spectatis perversis hominum affectionibus et passionibus necnon scripturae obscuritatibus et difficultatibus in partibus etiam religiosis funestissimos effectus necessario habiturum esse nemo non videt.

26. Apposite *Augustinus*: „Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio (idem de quolibet errore dicendum est) nulla illorum bibliorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur“ (Cont. Faust. l. 9. c. 5 ss.). Et *Melchior Canus*: „Si in huius rei confirmationem arcanarum litterarum nos testimonia referre velimus, verendum

sane est, ne qui oppositum errorem tueri cupiunt, illa se ratione tueantur, quod auctor scripturae sacrae eo etiam loco, qui a nobis affertur non de Spiritu divino, sed de suo fuerit locutus. Ita fieret, ut vix ullum e sacris litteris testimonium adversum haereticos firmum esset. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus, qui erronea sententia omnem scripturae et vim minuunt et elevant auctoritatem" (De loc. theol. l. 2. c. 16.).

27. *Neque excipi potest*, apud ecclesiam normam ad illam discretionem faciendam exstare. At ecclesia nunquam sibi praesto esse talem normam affirmavit, nunquam ea usus est. Nihilominus aliquando v. g. in causa Galilaei valde proficuum fuisset, si ecclesia eiusmodi norma usa declarasset, textus de rebus profanis agentes divinitus inspiratos non esse: et similiter de aliis quaestionibus difficillimis dicendum est.

28. 2) *Ex eo, quod Deus per inspirationem auctor scripturae est.* — Ut iam supra explicatum et demonstratum est (th. 11. n. 3. ss.), auctor alicuius libri in proprio sensu et simpliciter ille solum est, qui omnes res et sententias in eo contentas sive per se sive per alium tamquam instrumentum scripto consignavit: res enim et sententiae ad ipsam essentiam libri pertinent. Atqui Deus sacrae scripturae auctor est simpliciter et in proprio sensu; quod pariter ex superiore tractatione manifesto constat. Ergo, cum Deus per inspirationem scripturae auctor sit, ad obiectum inspirationis omnes res et sententiae pertinent, quae in sacra scriptura continentur. Et profecto si in scriptura integrae sententiae, imo partes longiores exstent, quas Deus non inspiravit, earum neque ipse auctor est, sed hagiographus; quare Deus simpliciter auctor scripturae dici iam nequit: sed diversi auctores scripturae secundum diversas eius partes exstant, i. e. Deus et hagiographi. Atqui id pugnat cum sensu catholico et cum formula dogmatica, secundum quam scriptura Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum auctorem habet simpliciter. Ergo.

29. *Excipiunt*, etsi aliqua *obiter dicta* a Deo inspirata non sint, adhuc tamen Deum verum scripturae auctorem manere. — *R.* In tali casu Deus scripturae auctor dici adhuc posset

sensu quidem morali et latiori et secundum quid, non autem in sensu proprio et simpliciter. Iamvero ex documentis magisterii necnon imprimis SS. Patrum doctrina Deus scripturae auctor est in sensu proprio et simpliciter. Ergo. *Minor* manifesta est, quatenus doctrinam SS. Patrum spectat, ex testimoniis eorundem supra allatis; quatenus conciliorum decreta aliasque magisterii authentici enuntiationes spectat inde intelligitur, quia eiusmodi documenta et enuntiationes in sensu proprio et secundum communem loquendi modum intelligenda sunt, quamdiu oppositum non saltem innuatur; nihil vero eiusmodi unquam insinuatum est, imo e converso magisterium authenticum totam scripturam secundum omnes partes et sententias tamquam Dei verbum formale consideravit ideoque totius scripturae secundum omnes partes et sententias Deum scripturae auctorem habuit. Ergo.

30. ***5. Ex encyclica Leonis XIII.: ‚Providentissimus Deus.‘*** — Gravissimum pondus doctrinae hic vindicatae accessit hac inclyti Pontificis enuntiatione, utpote qua eandem doctrinam gravissimis verbis commendat et inculcat: „Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum scripturae partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus (contra scripturae veritatem oppositis) sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides ecclesiae, sollemni etiam sententia in conciliis definita Florentino et Tridentino, confirmata denique

atque expressius declarata in Concilio Vaticano.“ Et inferius iterum inculcat, ex unanimi Patrum et Doctorum sententia „libros eos integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum, nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.“

Iamvero, etsi in his litteris encyclicis Leonis XIII. defi- 31.
nitio ex cathedra contineri non videatur, gravissimum tamen valorem et momentum habent, atque dubitatio nulla esse potest, catholicos omnes, ut iisdem sincera mentis animique sententia adhaereant, in conscientia obligatos esse. Hunc enim valorem iisdem litteris ipse *S. P. Leo XIII.* iteratis vicibus tribuit. Ita in litteris ad Generalem Fratrum Minorum d. 25. Nov. 1898. datis declarat: „Nec silebimus, Nos ipsos per litteras ‚Providentissimus Deus‘, quid hac de re sentiat, quid velit ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis maximi negligere, catholico homini licet nemini.“ (Act. S. Sedis XXXI, 264.). Et in literis apostolicis 30. Octob. 1902 datis, quibus consilium instituit studiis sacrae scripturae provehendis, sic exorditur: „Vigilantiae studiique memores, quo depositum fidei Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno 1893 dedimus.“ In fine vero earundem litterarum declarat: „Ceterum confidimus fore ut . . . Apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.“ (Acta S. Sedis XXXV. 234 ss.).

Corollarium.

Ut iam ex ipsa thesi demonstrata constat, quaecunque 32.
a scriptura vel sacris scriptoribus asseruntur, divinitus inspirata ideoque Dei verba sunt. Cum vero in scriptura multae sententiae inveniantur, quae a sacris scriptoribus non asserantur, sed tamquam ab aliis assertae referantur, *quaestio oritur, utrum eiusmodi aliorum dictis, quia a scriptura refe-*

runtur, divina auctoritas conveniat. Praeterea ss. scriptores persaepe personales suas ac inter ipsam scriptionem praesentes affectiones in ss. libris consignant necnon praesertim in epistolis praecepta vel consilia propria auctoritate ita tradunt, ut ea vel a divinis distinguant; atque hinc *altera quaestio exsurgit, num et qua ratione haec quoque, quae hagiographus in propria persona et sensu humano scripsisse videtur*, Deo tamquam auctori tribui possint. *Denique* ss. scriptores non solum doctrinam proponunt, sed persaepe eam etiam argumentis confirmant; unde *tertio quaeritur, utrum non solum doctrina asserta, sed argumenta quoque, quibus demonstratur, divinitus inspirata haberi debeant.* Iam quid ad triplicem hanc quaestionem respondendum sit, ex praecedenti tractatione satis commode infertur et hoc loco iam inferendum est.

33 ***1. De verbis aliorum in scriptura relatis.*** — Hac in re de scriptura generatim eadem ratione iudicandum est, sicut de quolibet alio libro: quare haec duo vel tria ad instar principiorum habenda sunt. *Primo* sicut in quolibet libro citatio verborum alienorum ab his verbis in se spectatis discernitur atque illa quidem assertio vel verbum formale auctoris est, ita etiam quaelibet citatio verborum alienorum in scripturis occurrens ab ipsis his verbis in se spectatis oppido discernenda est atque illa necessario sententia a Spiritu Sancto asserta sive verbum Dei formale habenda est, siquidem eiusmodi citatio ipso Spiritu Sancto inspirante consignata est. Hinc vero ipsa citatio necessario et infallibiliter vera est, sive verum est, verba citata ab eo, cui adscribuntur, reipsa dicta esse. *Praeterea* sicut quilibet libri auctor, dummodo sapiat et prudens sit, non sine ratione aliorum dicta adducit; ita etiam et maxime quidem necnon necessario citationes a ss. scriptoribus et per ipsos a Spiritu Sancto factae rei, de qua agitur, appositae et opportunae esse sine dubio dicendae sunt. *Denique* sicut in quolibet libro verba aliorum citata formaliter per ipsam citationem verbum formale auctoris libri non evadunt, utpote a quo quidem citatio verborum, non autem ipsa verba in se spectata procedunt: ita etiam verba aliorum in

scriptura citata ex eadem prorsus ratione per ipsam citationem nequaquam verba formalia ipsius Dei sunt.

Hinc ex sola citatione per scripturam facta veritas ver- **34.**
borum citatorum nequaquam inferri potest. Apposite *S. Augustinus*: „Sicut in evangelis, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax evangelii scriptura testatur; sic in hoc libro (Iob.) ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est. . . . Quando inquirentes probari nobis aliquid volumus testimonio sanctorum eloquiorum, non nobis dicatur credendum etiam esse, quod in evangelio scriptum est, si forte evangelista cum hoc dixisse commemorat, cui fides habenda non est. Nam dictum est illis a Iudaeis Domino Christo: *Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es et daemonium habes?*“ (Ioan. 8, 48.). Quam vocem tanto amplius detestamur, quanto nobis Christus est carior; causam tamen esse a Iudaeis dubitare non possumus, qui evangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec evangelistae derogamus fidem scribenti, et Iudaei vocem blasphemantis exsecramur. Nec solum impiis et nefandis hominibus, sed nec ipsis in fide parvulis atque adhuc rudibus et indoctis, qui forte ibi loquentes commemorantur, tamquam canonicae auctoritati accommodamus fidem.“ (Ad Orosium contra Priscill. c. 9.).

Quae cum ita sint, ad iudicium ferendum de veritate vel **35.**
falsitate verborum a scriptura citatorum imprimis modus spectandus est, quo citantur. Sicut autem generatim fieri solet, etiam a scriptura verba aliorum triplici modo referuntur: aut cum approbatione aut cum improbatione aut mere historice. Triplex igitur hic citandi modus paucis considerandus est.

1) Verba aliorum, quae a scriptura citantur et tamquam vera approbantur, infallibiliter vera sunt. — Ratio manifesta est, quia sicuti citatio, ita et approbatio verbum Dei formale est. Plura vero hic observanda sunt:

a) Et *primo* quidem approbatio vel explicita vel implicita est, **36.**
et sane non solum illa, sed etiam haec effectum notatum habet.

Exemplum approbationis explicitae sunt verba: *Beatus es Simon, Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est,* quibus (non quidem scriptura, sed, quod sane aequivalens est) ipse Christus Dominus S. Petri confessionem: *Tu es Christus, filius Dei vivi,* laudavit et approbavit (Matth. 16, 16. ss.). Aliud exemplum exhibetur Tit. 1, 12 ss., ubi dictum Epimenidis: „*Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri*" his verbis approbatur: „*Testimonium hoc verum est*". Approbatio explicita etiam tunc haberi videtur, quando verba aliorum in uno loco scripturae simpliciter relata in alio loco sub formula *scriptum est* allegantur (cf. 1. Cor. 3. 19.). Implicita approbatio habetur, quando non quidem disertis verbis approbatio enuntiatur, sed ex modo vel circumstantiis citationis apparet, verba relata sacrae scripturae probari, ut v. g. quando in confirmationem alicuius assertionis adducuntur, vel nisi vera sint, inepte adducerentur. Exemplo potest esse narratio scripturae, qua responsio refertur, quam Magis sciscitantibus de loco nativitatis Messiae scribae et pharisaei dederunt allegantes Mich. 5., 2. (Matth. 2, 5. ss.)

37. b) *Secundo* animadvertendum est, aliquando verba aliorum citata tamquam vera approbari sensu diverso ab eo, quo dicta sunt. Qua ratione v. g. verba Caiphae: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* non secundum sensum, quo iisdam Caiphas usus est, sed secundum sensum a Spiritu Sancto intentum approbata sunt: „*Prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*" (Ioan. 11, 50. ss.; cf. act. 17, 28.).

38. c) *Tertio* apprime notandum est, generalem alicuius longioris orationis approbationem a scriptura factam spectare quidem essentialem vel fundamentalem orationis ideam vel intentionem, non autem necessario etiam omnia et singula eiusdem asserta, quae ad illum scopum accidentaliter se habent. Ratio est, quia eiusmodi generalis approbatio etiam in modo loquendi humano usuvenit: ut apparet v. g. ex approbationibus librorum quae, ab ecclesiastica auctoritate proce-

dunt; scriptura autem modum loquendi humanum servat. Exemplum eiusmodi generalis solum approbationis videtur exhibere relatio scripturae (act. 7.) de oratione a S. Stephano protomartyre coram synedrio habita. Haec enim a scriptura eatenus approbatur, quatenus Stephanus Spiritu Sancto plenus locutus esse exhibetur (act. 6, 10.; 7, 55.); nihilominus ex sententia saltem aliquorum (ut Bedae Venerabilis, Melchioris Cani, Welte; cf. *Schmid*, de inspiratione n. 150. ss.) in ea oratione unus vel alter lapsus memoriae vel error historicus occurrit. Quodsi verum est, secure dici potest, orationem Sancti Stephani solum spectatis principali scopo et rei summa ex inspiratione divina dictam et a scriptura approbatam esse. Alterum exemplum praebent orationes Iob, de quo conferri possunt Pesch (n. 438.) et Schmid (l. c.), quorum alter alia insuper exempla ibidem exhibet.

d) Denique *quarto* animadvertendum est, nequaquam **39.** eo, quod persona aliqua in scriptura vel impense laudatur, etiam omnia eiusdem facta et dicta simul relata divinitus approbari. Ratio iterum est, quia secundum morem iudicandi et loquendi humanum vita alicuius hominis bona et laudabilis est, si generatim praeceptis divinis respondeat, etsi unus vel alter naevus occurrat. Exempla huius rei multa in scriptura exstant. Sic v. g. Iudith impense a scriptura laudatur, quamvis Holofernem mendacio deceperit. (Iud. 10, 12. ss.; cf. Exod. 1, 15. ss.; 4. Reg. 10.) Apposite igitur notat *Augustinus*: „Constat, quod non omnia, quae a sanctis vel iustis viris (in scriptura) legimus facta, transferre debemus ad mores.“ (Ep. 204. al. 6. ad Dulcit. 6.). „Hic (in scriptura) sunt plurima eorum quoque hominum, qui litterarum illarum veritate laudati sunt, vel huic iam tempori non convenientia vel etiam illo tempore non recte facta.“ (Cont. mendac. ad Consent. c. 9. n. 100 ss.).

2) *Verba aliorum, quae a scriptura referuntur et tam-* **40.** *quam falsa reprobantur, sin ulla dubitatione tamquam certo falsa consideranda sunt.* — Ratio aperta est, quia sicut citatio et approbatio, ita et reprobatio verbum Dei formale

est. Item vero circa hanc assertionem eadem fere sicut quoad praecedentem animadvertenda sunt. Videlicet:

a) *Primo* etiam reprobatio vel explicita vel implicita est. Res manifesta est et exempla superflua sunt.

41. b) *Secundo* generalis alicuius sermonis reprobatio non significat, singula eiusdem sermonis asserta falsa esse. Exemplo possunt esse sermones Eliphae (in libro Iob.), quem non recte esse locutum Dominus ipse declarat (Iob 42. 7.): nihilominus enim aliqua eius sententia a S. Paulo tamquam sacra scriptura citatur. (1. Cor. 3, 19.). Apposite iterum *Augustinus*: „Quod non ideo dixerim, quia illi amici. a Domino reprobati et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt, sed quia non omnia, quae locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Iob nihil verum dixerunt, potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere." (Ad Orosium cont. Priscill. c. 9.).

42. c) *Tertio* animadvertendum est, saepe verba relata in scriptura reprobari non ut falsa, sed moraliter mala vel imperfecta. Exempla valde multa exstant. Sic ipse Christus verba discipulorum Emaus euntium vituperavit, cum quidem vere eorum affectus atque statum animi redderent, verum a fide et fiducia deficerent (Luc. 24, 13. ss.). Pari ratione Thomae verba eiusque incredulitatem improbavit (Ioan. 20, 24.).

d) Denique *quarto* item hic notandum est generale aliquorum hominum vituperium non significare, omnia eorum facta et dicta vel mala vel falsa fuisse. Notatio ex supra dictis circa laudem hominum manifesta est.

43. 3) *Quando verba aliorum a scriptura mere historice sine approbatione vel reprobatione referuntur, ex ipsa hac sola relatione in se spectata nihil de eorum veritate aut falsitate concludi potest.* — Ratio manifesta est, quia eiusmodi relatione scriptura solum testatur, ea verba reipsa dicta esse. Apprime autem notandum est, hanc assertionem vel de iis verbis valere, quae hagiographus a se olim dicta esse testatur. Num itaque eiusmodi aliorum vel etiam hagiographorum dicta

vera sint necne, aliunde diiudicandum est. Imprimis vero hic notare praestat, quarundam personarum verba in scriptura relata divina auctoritate fulciri ideoque infallibiliter vera esse.

a) *Imprimis Angeli,* utpote quos Apostolus appellat „*administratorios spiritus in ministerium missos propter eos, qui haereditatem capient salutis*" (Heb. 1, 14.), quando in scriptura loquentes inducuntur, non suo, sed Dei nomine et auctoritate tamquam praecones divini verba faciunt; quare haec eorum verba divina auctoritate gaudent atque infallibiliter vera sunt.

b) *Deinde Prophetarum et Apostolorum* dictis scripturae **44.** insertis divina auctoritas certo tunc competere intelligitur, quando ex munere suo locuti esse perhibentur; etenim munere suo fungentes vel divinitus inspirati vel saltem divina assistentia infallibiles erant. Eosdem vero non semper ex munere suo ideoque neque ex divina inspiratione vel cum divina assistentia locutos esse ex ipsa scriptura manifestum est, utpote quae testatur v. g. tum assertionem Nathanis prophetae a Deo correctam esse (2. Reg. 7.) tum sermonem quendam Petri ab ipso Christo Domino severe increpatum esse (Matth. 16, 22. ss.). Attendendum autem est, quod munus apostolicum demum cum die Pentecostes incepit.

c) *Tertio* Prophetis hac in re accensendi sunt, qui, **45.** quamvis prophetae proprie dicti non fuerint, prophetasse vel ex Spiritus Sancti afflatu vel instinctu locuti esse a scriptura exhibentur, ut v. g. Balaam (Num. 23. 24), Zacharias Ioannis B. pater (Luc. 1, 68. ss.), Caiphas (Ioan. 11. 49.); pariter huc pertinent illi, qui, cum nec prophetae proprie dicti essent nec prophetasse explicite exhibeantur, ipsa tamen ratione, qua locuti esse et v. g. futura annuntiasse referuntur, se spiritu divino vel prophetico afflatos fuisse satis ostendunt. Exemplo esse possunt benedictio prophetica Iacob Patriarchae (Gen. 49.), prophetia Tobiae (14.) necnon Simeonis vaticinium (Luc. 2, 29. ss.).

d) Denique *B. V. Mariam* canticum suum pulcherrimum **46.** *Magnificat* ex divina inspiratione concepisse et elocutam esse certo dicendum est. Etenim tamquam Spiritus S. sponsa et

mater Verbi sine labe concepta, gratia plena, Spiritus Sancti peculiare habitaculum super omnes Angelos et Sanctos incomparabiliter elevata est, et merito ab ecclesia regina Prophetarum salutatur. Quare privilegium illud Apostolorum ei deesse nequit, imo a fortiori ei et in maiori mensura competit.

47. ***2. De propriis vel personalibus hagiographorum affectibus, dubiis, mandatis in scriptura expressis.*** — Sacri scriptores nonnunquam proprios suos affectus, sua dubia, mandata ab ipsis personaliter lata in ss. libris exprimunt. Iam videndum est, qua ratione haec ad divinam inspirationem referenda sint. Itaque:

1) *Quod ad affectus proprios ab hagiographis expressos attinet, ex principiis de inspiratione statutis haec consequuntur*: — *Primo* cum hagiographi affectus referunt, quos olim habuerunt, de iisdem eadem ratione iudicandum est ac de verbis, quae olim se pronuntiasse referunt: scilicet eorum consignatio inspirata est ideoque infallibili Dei testimonio constat, hagiographos eos affectus reipsa habuisse; de eorum vero bonitate vel malitia morali nihil inde consequitur. — *Secundo* cum hagiographi affectus suos ut praesentes exprimunt, etiam haec eorundem expressio inspirata ideoque infallibiliter verum est, hagiographos eos affectus reipsa in scribendo habuisse. Itaque expressio eorundem affectuum tamquam verbum Dei, nequaquam vero ipsi affectus tamquam affectus Dei considerandi sunt. — *Tertio* nihilominus affectus, quos hagiographi tamquam praesentes exprimunt, ethice boni vel honesti esse necessario dicendi sunt. Etenim expressio affectus praesentis, si quidem de affectu deliberato agitur, non solum mere historica vel theoretica eiusdem narratio est, sed potius simul cum eiusmodi expressione affectus actu exercito saltem etiam elicitur et continuatur et unum totalem actum constituit. Iamvero Deus sua inspiratione hominem excitare sane nequit nisi ad actus ethice bonos et honestos. Ergo eiusmodi affectus ab hagiographo de praesenti expressi necessario ethice boni et honesti sunt.

48. *Excipitur primo* ex imprecationibus variis in psalmis non raro occurrentibus (cf. Ps. 108.), utpote quae malae vel

inhonestae esse videantur, cum ex odio procedant. — *R.* cum *S. Thoma*: „Imprecationes, quae in sacra scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi. Primo secundum quod prophetae solent in figura imprecantis futura praedicere... Secundo prout quaedam temporalia mala quandoque a Deo in correctionem mittuntur. Tertio quia intelliguntur petere non contra ipsos homines, sed contra regnum peccati, ut scilicet correctione hominum peccata destruantur. Quarto conformant voluntatem suam divinae iustitiae circa damnationem perseverantium in peccato" (S. th. 2. 2. q. 83. a. 8. ad 1.). Eadem fere ratione iam antea ad eandem difficultatem responderat: „Huiusmodi imprecationes, quae scripturis inveniuntur, tripliciter possunt intelligi: uno modo per modum praenuntiationis, non per modum optationis, ut sit sensus: *Convertantur peccatores in infernum*, id est, convertentur. Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad iustitiam punientis secundum illud Ps. 57, v. 11: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Tertio ut desiderium referatur ad remotionem culpae, non ad ipsam poenam, ut scilicet peccata destruantur et homines remaneant" (Ib. q. 25. a. 6. ad 3.). Patet autem, non omnes simul, sed unam vel alteram solum ex his expositionibus singulis imprecationibus aptandam esse. Apposite etiam S. Hieronymus in haec Apostoli verba: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant*, animadvertit: „Non tam furoris in adversarios, quam dilectionis in ecclesias Dei verba esse, quae locutus sit. Videbat quippe totam provinciam, quam ipse suo sanguine et periculis ab idololatria ad Christi traduxerat fidem, subito turbatam esse; et dolore apostolico, dolore patris, se tenere non poterat: mutabat vocem, et quibus blanditus fuerat, irascebatur, ut quos nequiverat lenitate, saltem obiurgatione retineret" (Comment. in ep. ad Gal. c. 5. v. 12.).

Secundo excipitur, nihil cum inspiratione pugnare, quo- 49
minus hagiographi aliquando affectus proprios etiam ethice malos vel inhonestos in sacris libris expresserint. Etenim Deus affectus malos excitare quidem aut velle nequit, sed

eorum existentia in anima hagiographi supposita eundem excitare posse videtur, ut illos scripto consignet, quia sic non ipsi affectus mali, sed eorum consignatio, quae indifferens vel etiam bona esse potest, obiectum divinae determinationis vel voluntatis est. — *R.* Haec hypothesis, qua consignatio affectuum ab eorum productione separatur, impossibilis est in praesenti, ubi de expressione affectuum praesentium per modum optationis agitur. Nam eiusmodi expressio affectuum praesentium nequaquam simplex vel theoretica de praesenti talis affectionis existentia testificatio est, sed potius naturalis internae affectionis evolutio, continuatio, fructus ad extra manifestatus haberi debet et est. Quare similiter sicuti actus partis inferioris simul cum actu partis superioris, ex quo redundat, suum totalem actum constituit atque eandem malitiam vel bonitatem moralem participat; ita etiam externa expressio vel scriptio affectionis internae praesentis simul cum hoc actu interno ad instar unius actus totalis et adaequati est, a quo bonitas vel malitia moralis separari nequit. Qui igitur ad expressionem affectionis praesentis excitat, ipsam hanc affectionem necessario vult. Exemplo res manifesta est: Ponatur aliquis odio adversus alium flagrare; jam qui eum ad hoc odium ut praesens exprimendum excitat, simul ad hoc odium fovendum vel eliciendum provocat, quia expressio odii ut praesentis, cum ipsa affectione interna necessario conjuncta est atque unum totalem actum constituit.

50. *Instari potest*, excitationem ad expressionem externam affectionis internae nequaquam necessario implicare etiam excitationem ad ipsam affectionem internam: sic v. g. aliquis ad confessionem malorum affectuum excitari potest, quin ullo modo ad ipsos hos malos affectus excitetur. — *R.* Apprime distinguendum est inter affectum praeteritum ejusque expressionem praesentem theoreticam ex una parte atque affectum praesentem ejusque expressionem in praesenti per modum optationis. Affectum praeteritum quidem ut praeteritum in praesenti exprimere possum, quin eundem iterum eliciam et approbem; imo reprobare possum, quod reipsa facit, qui sincere affectus praeteritos malos confitetur. Affectum autem

praesentem ut praesentem exprimere non possum, quin iterum eundem eliciam atque approbem; secus enim expressio vera non esset. Et ideo, etsi quis ad affectum praeteritum ut praeteritum exprimendum excitari possit, neque tamen ad affectum praesentem ut praesentem exprimendum excitari potest, quin simul ad ipsum hunc affectum volendum excitetur; si enim nunc expressionem affectus ut praesentis vult, profecto etiam ipsam affectus praesentiam vult, dummodo veram locutionem velit.

Instari iterum potest, illud discrimen inter expressionem **51.** affectus praesentis et relationem affectus praeteriti exaggerari vel ad rem non pertinere; quod quidem illustrari et confirmari videtur exemplo Apostoli, qui Rom. 7, 23. in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis praesentialiter se sentire testatur. En scilicet affectus inhonesti praesentes ab hagiographo in scriptura expressi! Quamvis igitur affectus malos Deus inspirare non possit, eorundem tamen etiam praesentium expressionem vel consignationem inspirare potest. — *R.* Etiam hic nodus obvia distinctione solvitur: discernendum scilicet praeterea est inter affectus deliberatos et indeliberatos. Motus interni vel affectus, de quibus Apostolus agit, indeliberati fuerunt atque libertatem praeverterunt; eiusmodi autem affectus etiam praesentes renuntiari vel referri possunt voluntate deliberate eas non eliciente, nec approbante sed potius repugnante; quare etiam Deus ad eosdem affectus litteris consignandos excitare potest, etsi ad eosdem deliberata voluntate eliciendos excitare nequeat. Idem autem dici nequit de affectibus deliberatis et per modum optationis expressis; eos enim nemo tamquam praesentes exprimere potest, quin simul de praesenti eos libere eliciat atque approbet: quare neque Deus ad eos tamquam praesentes exprimendos excitare potest, quin simul ad eos de praesenti habendos excitet vel determinet; id vero cum divina sanctitate pugnat; ergo.

Accedit tandem, quae est nova ratio, quod eiusmodi **52.** deliberata affectionis expressio in concreto semper vel plerumque est approbatio vel improbatio alicuius rei v. g. approbatio virtutum vel improbatio vitiorum; iamvero talis appro-

batio vel improbatio assertionem aliquam continet; unde expressio malae affectionis falsam assertionem, bonae vero affectionis expressio veram assertionem continet. Atqui Deus falsam assertionem inspirare nequit. Ergo neque ad malos affectus praesentes exprimendos excitare potest. Exemplo res illustratur: Apostolus Rom. 16, 19. dicit: „*Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est; gaudeo igitur in vobis.*“ En expressio praesentis Apostoli affectionis circa obedientiam fidelium Romanorum, quae profecto assertionem implicat, obedientiam virtutem esse; cum vera sit haec assertio, eandem Deus inspirare potuit. Iam ponatur per absurdum Apostolum scripsisse: „*Vestra obedientia* ...; moeror igitur in vobis“: esset vituperium obedientiae, quod implicite assertionem continet, obedientiam malam vel vitium esse; quam assertionem, cum falsa sit, Deus inspirare non potest. Hinc argumentum supra propositum sic determinari et paulo aliter proponi potest: Expressio affectionis praesentis implicite continet affirmationem bonitatis vel malitiae moralis alicuius rei; unde expressio affectus mali prasentis falsa eiusmodi affirmatio est. Atqui scriptori inspirato quaevis falsa affirmatio repugnat. Ergo scriptores sacri affectus malos de praesenti exprimere nequeunt ideoque omnes eiusmodi affectus in scriptura expressi ethice boni vel honesti sunt.

53. 2) *Ex dictis etiam intelligitur, quid de dubiis vel ignorantia vel similibus iudicandum sit, quae sacri scriptores aliquando exprimunt.* — Sacros scriptores aliquando suam ignorantiam vel sua dubia fateri, apertum est. Sic v. g. S. Paulus fatetur, se nescire, utrum praeter Stephanae domum alium hominem baptizaverit (1. Cor. 1, 16.); item dubitat, utrum in corpore an extra corpus in tertium coelum raptus fuerit (2. Cor. 12, 2. ss.). Iam non ipsa haec dubia vel ignorantia inspirata sunt, sed eorum solum consignatio Deo tribuenda est. Vel non Deus sane dubitat vel ignorat, sed de dubitatione, haesitatione, ignorantia scriptoris sacri testatur. Porro eiusmodi testificatio inutilis et Deo indigna non est; iustae enim rationes exstare possunt, propter quas utiliter fiat; quod v. g. spectatis exemplis adductis hunc in modum

apposite declarat Schmid: „Ex eo, quod Paulus ipse nescierit, an raptus ille in corpore an extra corpus ei contigerit; plura tum de natura raptus, tum de statu animae, quae raptum patitur, tum de ratione, qua Deus cum sanctis interdum agere solet, aliaque ad theologiam mysticam pertinentia inferri poterunt, quae nequaquam inutilia videntur. Idem dic de exemplo altero. Ex eo enim, quod Paulus, dum Corinthiis scriberet, non recordaretur, an praeter Stephanae domum alios baptizaverit, clare perspicitur, Paulum baptizandi ministerium generatim aliis demandasse. Iamvero haec notitia Pauli tunc temporis pro statu ecclesiae Corinthiorum non spernendae utilitatis fuit" (n. 164.). Atque sic principium statutum et explicatum est, secundum quod de dubiis hagiographi aliisve similibus in scriptura expressis iudicandum est. Ad pleniorem tamen rei explicationem adhuc quaedam animadvertenda sunt:

54. a) Et *primo* quidem, etsi generatim consignatio dubiorum hagiographi divinae inspirationi non repugnat, *neque tamen ideo quaelibet dubia a scriptura exprimi posse dici potest.* Sic nominatim scriptor inspiratus non videtur exprimere posse dubia de existentia Dei, de providentia Dei, de trinitate personarum divinarum, de incarnatione aliisque veritatibus, de quibus vel ex ratione vel ex revelatione certo constat. Ratio est *primo*, quia plerumque vix dici potest, eas veritates hagiographo incognitas vel dubias esse; *secundo* expressio talium dubiorum sufficientem rationem non haberet; *tertio* eadem fini scripturae non congrueret; nam, ut Apostolus dicit: *„quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus"* (Rom. 15, 4.; cf. 2. Tim. 3, 16.); *quarto* denique expressio dubitationis circa illas veritates vel nociva esset, quatenus facile homines in eandem dubitationem adduceret. Quae vero eiusmodi sunt, eorum neque expressionem vel consignationem Deus inspirare potest.

55. b) *Secundo* cum expressionibus dubiorum similitudinem habent locutiones indeterminatae; qualis v. g. est, qua Lucas refert, Festum Hierosolymis commoratum esse non amplius

quam octo aut decem dies; vel qua evangelista dicit hydrias in nuptiis in Cana Galilaeae adhibitas cepisse singulos binos vel ternos metretas. Iam *neque eiusmodi locutiones indeterminatae cum inspiratione pugnant.* Etenim *primo* falsae minime sunt; *secundo* neque inutilis est eiusmodi notitia indeterminata, ut per se patet; *tertio* ea ratio loquendi inter homines frequentissima est ideoque etiam scripturae convenit. utpote qua Deus per homines humano modo ad homines loquitur. Eadem ratione loquendi ipse Christus Dominus usus est (cf. Matth. 12. 40.: 18. 20.; Luc. 18, 33.). *Denique* ad hanc rationem loquendi imprimis etiam pertinet, quod numeri frequenter summatim vel indeterminate indicentur.

56. c) *Tertio* animadvertendum est. *quando a scriptura Deus ad instar dubitantis loquens inducitur, nequaquam significari. ipsum Deum de re dubitare*: sed hac ratione loquendi apud Iudaeos familiari indicatur, eam rem non esse determinatam. prout pendet a causis contingentibus atque imprimis a libera hominis voluntate; cum enim eiusmodi sit, spectata cognitione humana impervia et dubia est. Eadem haec animadversio aliquando valet, quando legatus Dei loquens inducitur (cf. Matth. 11. 23.: Ioan. 8. 19.; Ioël 2. 14.: Prov. 30. 18.).

57. 3) *Item ex principiis statutis intelligitur, quid iudicandum sit de locis, in quibus scriptor sacer inter sua et divina discernens propria mandata, consilia et alia eiusmodi intimat.* — In sacris litteris nonnunquam loci occurrunt. in quibus mandata vel consilia intimantur, quae immediate divina non esse intelliguntur sive quia de re levissimi momenti agitur. ut v. g. est consilium utendi modico vino propter stomachum (1. Tim. 5, 23.). mandatum afferendi paenulam (2. Tim. 4. 13.) et alia eiusmodi; sive quia ab ecclesia abrogata sunt, ut v. g. praeceptum de non eligendo bigamo in episcopum. mandatum se exspectandi invicem in coena eucharistica, et alia similia; sive quia hagiographus expressis verbis declarat. ea mandata vel consilia a se, non vero a Deo intimari, ut v. g. Apostolus facit 1. Cor. 7.. 10. 12. Iam de his et similibus relate ad inspirationem divinam spectatis haec dicenda sunt:

a) *Primo haec omnia mandata et consilia sub inspira-* 58.
tione divina litteris consignata sunt ideoque sub hoc respectu verbum Dei formale sunt. Infallibiliter igitur verum est. hagiographum, v. g. Apostolum reipsa ea consilia vel praecepta dedisse. Inde autem praeterea consequitur, ea praecepta et consilia rationalia, honesta, salutaria esse, vel saltem eo tempore, quo data sunt, fuisse: nam per scripturam non solum ut olim data referuntur, sed ipsa consignatione in scripturis intimantur: Deus enim, sicuti ad exprimendos affectus inhonestos praesentes excitare nequit, ita neque ad praecepta vel consilia inhonesta scripto intimanda determinare potest.

b) Quamvis vero consignatio talium praeceptorum et 59.
consiliorum inspirata et divina sit, *ipsa in se spectata non necessario iuris divini sunt, sed iuris humani esse possunt.* Etenim Apostoli tum promulgatores vel praecones divinarum mandatorum tum rectores et pastores ecclesiarum erant atque sub hoc respectu tamquam personae a Deo distinctae potestatem legislativam habebant: hac igitur potestate utentes mandata iuris immediate non divini, sed humani edere potuerunt et reipsa etiam ediderunt. Iamvero nihil obstat, quominus talia praecepta iuris humani vel consilia sub divina inspiratione per scripturam intimarentur; simili ratione, ut supra dictum est, sub divina iuspiratione hagiographus per scripturam proprios suos affectus exprimere potuit. Sicut igitur hi affectus obiective humani erant et manebant, etsi sacris litteris exprimerentur, ita etiam illa mandata et consilia obiective humana erant et manebant, etsi per scripturam intimarentur. Huc imprimis spectant verba Suarii iam supra (n. 20.) relata. Itaque ex eo, quod praeceptum aliquod per scripturam intimatum est, nondum iuris divini esse cognoscitur; num iuris humani an divini sit, vel ex diserta scripturae declaratione, vel ea deficiente ex materia praecepti vel ex traditione ecclesiastica diiudicandum erit.

c) Si quandoque hagiographus doctrinam aliquam propo- 60.
nens vel assertionem ponens sibimetipsi soli tamquam personae a Deo distinctae eam doctrinae propositionem vel assertionem vindicare videatur; *nihilominus haec assertio vel doc-*

trina Deo tribuenda est. Etenim Deo, ut ex demonstratione thesis constat, quaelibet scripturae assertio tamquam principali auctori tribuenda est. Neque id unquam de ulla assertione ullus sacer scriptor negavit, sed eorum verba, quae id edicere videntur, in alium sensum explicanda sunt et commode explicantur. Aliquibus quidem Apostolus 1. Cor. 7. non solum ut legislator mere ecclesiasticus plura mandare, sed etiam quaedam proprio nomine docere videtur, quippe quia eadem non Domini, sed sua esse significet. Sed cum Apostolus distinguit inter ea, quae a Domino, et ea, quae a semetipso dicuntur: per illa intelligit doctrinas ab ipso Christo Domino viva vocis oratione propositas; per haec vero alias non ea ratione a Christo, sed a se verbotenus vel scripto promulgatas. Quod quidem partim de praeceptis quoque ibi promulgatis valet. Apposite *Theophilus*: „Quia Dominus legem disertis verbis sancivit, non debere fieri divortium nisi fornicationis causa, propterea ait: non ego, sed Dominus. Ea enim, quae antea dixerat, non erant a Domino expresse et verbotenus praecepta, etiamsi quaecunque Paulus dicat, Domini sunt et non humana“ (In h. l.).

61. *d*) Denique quando hagiographus in prima persona de seipso loquens sensa sua, actiones suas, fata sua exponit, haec omnia sane hagiographo, non vero Deo ut subiecto tribuenda sunt; *Deus vero eorum omnium consignationem inspiravit eaque infallibiliter vera esse testatur, prout ea ab hagiographo asseruntur.* Neque mirum id videri debet, quod hagiographus, cum sit instrumentum Dei, secundum externam formam tamen in propria persona loqui videatur: nam idem inter causas etiam humanas principalem et instrumentales accidere potest; praeterea vero ratio aliqua, propter quam Deus eum modum in scriptura componenda admisisse intelligitur, in eo continetur, quia ei sacros libros in forma humana conscriptos edere placuit.

62. *Nota*: Ex dictis apparet, nonnisi cum distinctione admitti posse hanc sententiam: „Si forte hagiographus significat in aliqua re, quae non pertinet ad fidem vel mores, se habere nunc, quando scribit, hanc vel illam privatam sen-

tentiam, non ideo haec sententia censenda est a Deo confirmata. Unde si Paulus ea, quae Mileti dixit (*Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei.* Act. 20, 25.; quae verba verificata esse non videntur, ut patet ex 2. Tim. 4, 20.), in epistola inspirata scripsisset, nihil mutaretur (i. e. id cum inspiratione non pugnaret), quia Deus eum inspirasset ad scribendam opinionem, quae ex contextu apparet ut privata Pauli opinio" (*Pesch*, n. 445.). — Haec, inquam, nonnisi cum distinctione admitti possunt. Etenim cum verum sit principium enuntiatum, eius applicatio falsa esse videtur. Videlicet, quando scriptor inspiratus statum animi sui: dubitationem, opinationem, certam persuasionem refert, verbum Dei inspiratum ipsa haec scripta relatio est, ideoque infallibiliter verum est, statum animi relatum reipsa in hagiographo inter scribendum adfuisse; dubitatio autem ipsa vel opinatio vel etiam certa persuasio ipsa inspirata non est; et ideo de veritate harum ex inspiratione non constat atque fieri posse videtur, ut eiusmodi opinatio hagiographi falsa sit. Sed fieri nunquam potest, ut certa persuasio vel scientia hagiographi in scriptura actualiter consignata fallax sit; nam cum Deus per inspirationem immediate quidem solum testetur, hagiographum habere de aliqua re certam scientiam, mediate de obiecto huius scientiae testatur; quasi dicit: Hagiographus certo scit; ideoque assertio non opinative sed cum certitudine ab hagiographo enunciata necessario certa et vera est. Iamvero sententia Pauli supra relata non per modum opinationis, sed tamquam certa persuasio vel scientia proponitur. Quare si eam ut hagiographus scripsisset, necessario vera esset. Ceterum animadvertendum etiam illud est, eiusmodi modis loquendi, qualis est illa Pauli: *ecce ego scio* etc. quoad rem primario et ideo etiam directe ipsum obiectum spectari, non autem statum animi eius, qui loquitur: hic potius ad modum significandi pertinet. Si vero res ita habet, a fortiore dicendum est, eiusmodi sententiam inspiratam, qua se certo aliquid scire hagiographus affirmat, necessario omnino veram esse.

63. ***3. De argumentationibus scripturae.*** — S. scriptura non solum doctrinam religiosam proponit, sed etiam, praesertim scriptura novi testamenti, doctrinam propositam argumentis confirmat; item a scriptura N. T. in illis argumentationibus praesertim testimonia aliorum librorum scripturae maxime V. T. citantur. Hinc etiam de eiusmodi argumentationibus et citationibus sub respectu inspirationis breviter dicendum est. Itaque:

1) Argumenta a scriptura adhibita ad scopum intentum efficacia esse necessario dicenda sunt. — Ratio manifesta est, quia qui argumenta ad sententiam aliquam confirmandam adhibet, eo ipso implicite saltem vel virtualiter affirmat, ea argumenta ad eum finem attingendum efficacia esse: ergo, cum quaelibet scripturae assertio divinitus inspirata ideoque infallibiliter vera sit, argumenta omnia a scriptura adhibita efficacia esse evidenter consequitur. Quare eadem argumenta non solum consequentia pollent, sed veris praemissis quoque constituuntur; quod alterum insuper inde constat, quia praemissae singulae assertionibus continentur, quae ut dictum est, omnes inspiratae sunt. Atque his principium statutum est, quod in indagandis argumentis scripturae necessario observandum est. Duas solum observationes addere placet:

64. *a) Primo* nihil repugnare videtur, quominus scriptura aliquando argumenta adhibeat, quae conclusionem solum probabilem reddant. In tali autem casu etiam conclusio solum ut probabilis exhibenda est, vel, si ut certa exhibetur, eius certitudo non ex his argumentis derivari potest. Insuper necesse esse videtur, ut sive ex modo loquendi sive ex natura argumenti intelligi vel coniici possit, argumentum solum ut probabile adhiberi.

b) Secundo neque usus argumentorum ad hominem quidquam cum scriptura repugnat, cum eadem in certis adiunctis et adversus certos homines aequali, vel maiori, quam absoluta argumenta, efficacia polleant. Solum necesse est, ut ex modo, quo proponuntur, satis appareat, praecise argumenta ad hominem proponi, quibus relativa solum, non autem absoluta efficacia conveniat.

2) *Quod citationes attinet dicendum est tum textum* 65.
citatum certo legi loco notato tum textum accommodate ad quaestionem de qua agitur afferri. — Ratio aperta est, quia utrumque a citante implicite asseritur; assertio autem quaelibet scripturae, ut saepe dictum est, divinitus inspirata est; ergo. Duae solum ad difficultates vitandas vel repellendas observationes addendae sunt.

a) Et *primo* quidem nihil repugnat, quominus citationes 66.
in scriptura admittantur, in quibus testimonia scripturae in sensu accommodato sumuntur, vel ad aliquid significandum assumuntur, quod apte quidem iis textibus exprimitur, cum tamen iidem in loco citato diversum sensum habeant. Solum periculum abesse debet, ne eiusmodi sensus accommodatus pro vero et proprio sensu testimonii citati sumatur. Reipsa vero aliquando eiusmodi citationes in sensu accommodato in scriptura occurrunt. cf. Rom. 10. 18.; 2. Cor. 8. 14.

b) *Secundo* notandum est, scriptores sacros N. T. saepa argumentari ex versione septuagintavirali potius, quam ex textu originali. Iamvero si haec versio in aliquo testimonio essentialiter differret a textu originali, argumentatio ex eiusmodi testimonio derivata stricte biblica non esset, sed potius ut argumentum ex traditione iudaica vel ad hominem considerandum foret. At eiusmodi argumenta, quae ex textu graeco essentialiter diverso a textu originali deriventur, in scriptura exstare non videntur; neque sane facile eadem cum inspiratione conciliari possint, ut ex modo dictis patet. Cf. *Pesch*, n. 449. nota.

Scholion.

1. De fine scripturae. — Extensionem inspirationis 67.
ad omnes res et sententias adversarii eiusdem imprimis ex fine scripturae expugnare conati sunt atque etiam nunc conantur. Finis scripturae in quantum a Deo procedit, ita arguunt, sicut cuiuslibet manifestationis Dei publicae et universalis in aeterna hominum salute continetur; ergo Deus ea-

tenus scripturam inspirasse dicendus est, quatenus eadem ad hunc finem conducit. Iamvero ad hunc finem solum doctrinae religiosae vel ad fidem et mores pertinentes conducunt; profanae autem doctrinae spectato eo fine indifferentes sunt. Ergo Deus solas inspirasse dicendus est veritates religiosas vel ad summum eas etiam veritates, quae cum doctrinis illis religiosis necessario connectuntur eorumque veluti fundamentum constituunt; doctrinae autem profanae et indifferentes a Deo tamquam auctore non procedunt. — Iam ad ostendendam huius argumentationis inanitatem paucis de fine scripturae dicendum est: et quidem primo paulo accuratius determinandum est, quinam scripturae finis sit, secundo ostendendum est, quomodo cum hoc fine extensio inspirationis ad omnes res et sententias vel ad omnes scripturae assertiones congruat. Itaque:

68. *1) Dicendum est, finem scripturae a Deo propositum reipsa esse religiosum, vel accuratius loquendo eum absolvi hominum institutione in iis, quae aeternam eorum salutem secundum praesentem elevationis supernaturalis oeconomiam spectant. — Rationes huius assertionis* satis manifestae sunt.

a) Et *primo* quidem ex ipsa rei natura eadem consequitur, quatenus scilicet inspiratio scripturae aliquod opus Dei supernaturale est; quaecunque enim opera Dei supernaturalia ad supernaturalem hominum finem spectant eique inserviunt, cum naturalibus hominis indigentiis per ipsam naturam satis provisum sit vel provideri potuerit: iamvero quia scriptura supernaturali hominis fini inservire debet, alius scopus ei congruus non est, nisi institutio hominum illi fini accommodata: ergo. Neque haec ratio morali necessitati revelationis supernaturalis religionis naturalis adversatur, quae in tractatu de vera religione (th. 10.) asserta est: nam haec necessitas non absoluta, sed disiunctiva vel hypothetica est, ut ibidem satis probatum et explicatum relinquitur.

69. b) *Secundo* idem colligitur ex doctrina scripturae de gratiis gratis datis generatim, ad quas inspiratio scripturae pertinet. Etenim secundum doctrinam Apostoli (1. Cor. 12, 7 ss.) hae

gratiae gratis datae vel haec charismata *secundum utilitatem* conceduntur; non autem aliam utilitatem intelligit, quam spiritualem, quae vitam supernaturalem spectat. Alibi vero de charismatibus quibusdam nominatim agens disertis verbis iisdem illum finem assignat: „*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*“ (Eph. 4, 11.). Iam vero inspiratio, ut supra (th. 10. n. 12.) dictum est, ad donum prophetiae spectat. Ergo.

70. c) *Tertio* denique illum finem scripturae praefixum esse expressis verbis Apostolus asserit: „*Quaecunque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.*“ Etenim doctrinam supernaturalem salutis his verbis designari, ex verbis immediate sequentibus manifestum est: „*ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiae et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum: ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et patrem Domini nostri Iesu Christi*“ (Rom. 15, 4.). Huc spectat illud quoque Apostoli testimonium, quod in quaestione de inspiratione principale est: „*Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*“ (2. Tim. 3, 15. ss.).

Itaque de fine scripturae assignato nulla dubitatio esse potest.

71. 2) *Cum hoc scripturae fine non pugnat, sed potius egregie consonat, quod eadem secundum omnes res et sententias vel omnes suas assertiones inspirata est.* — Ad rationem huius

assertionis reddendam aliqua distinctio confert, quam facit *S. Thomas*: „Dicendum, inquit, quod aliqua sunt credibilia de quibus est fides secundum se, alia vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed in ordine ad alia, sicut etiam in scientiis quaedam proponuntur ut per se intenta et quaedam ad manifestationem aliorum. Cum vero fides sit principaliter de his, quae videnda speramus in patria secundum illud Hebr. 11, 1.: *fides est substantia sperandarum rerum*, ideo per se ad fidem pertinent illa, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi et alia huiusmodi; et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quaedam vero proponuntur in sacra scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem, sicut, quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus et alia huiusmodi, quae narrantur in sacra scriptura in ordine ad manifestationem divinae maiestatis vel incarnationis Christi, et secundum talia non oportet articulos distinguere." (S. th. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1.). Et ibidem inferius similiter: „Dicendum est quod fidei obiectum per se est id, per quod homo beatus efficitur, ut supra dictum est q. 1. a. 8. Per accidens autem sive secundario se habent ad obiectum fidei omnia (alia), quae in sacra scriptura divinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai et alia huiusmodi. Quantum ergo ad prima credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem; quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere; sed solum implicite vel in comparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina scriptura continet. Sed tunc solummodo tenetur huiusmodi explicite credere, quando haec ei constiterit in doctrina fidei contineri" (q. 2. a. 5.). Iam secundum hanc distinctionem inter credibilia secundum se et credibilia in ordine ad alia optimo iure dicitur, doctrinas suapte natura religiosas propter se, profanas vero res et sententias in ordine ad alias, religiosas, inspiratas esse: videlicet, quae profana in scriptura ex-

hibentur, ad convenientem manifestationem et propositionem spectant eorum, quae suapte natura ordinis religiosi sunt, atque ideo cum his illa inspirata sunt. Qua vero ratione propositio rerum profanarum ad eum scopum assequendum faciat, satis commode explicatur:

a) *Et primo* quidem spectata natura hominis, qui gene- **72.**
ratim magis ad cognitionem concretorum et sensibilium quam abstractorum et supersensibilium afficitur atque ex illis cognitis ad haec cognoscenda progreditur, convenientius et divinae sapientiae apprime consonum apparet, ut veritates religiosae non sub formulis abstractis et per modum systematis, sed potius concretis eventibus, actionibus, exemplis expressae adeoque quasi sub sensibili involucro proponerentur. Qua ratione v. g. de dogmate creationis, peccati originalis aliorumque scriptura instruit eadem narrando atque sub vivis imaginibus et in sua realitate concreta sub oculos ponendo. Pari ratione virtutes docet eas in Patriarchis aliisque sanctis viris quasi vivas exhibens et simili modo impietatem aliaque vitia fugienda et abhorrenda esse ostendit. Idem instruendi modus in parabolis apparet, quas ipse Christus Dominus tam frequenter adhibebat. Iamvero haec ratio instruendi connaturaliter id secum connexum habet, ut propter continuationem narrationis vel descriptionis vel parabolae simul cum veritatibus religiosis etiam profana plura exponantur, quae illarum quasi involucrum sunt et ad easdem ut cortex ad nucleum vel ut corpus ad animam se habent. Profana igitur cum religiosis arcte connexa et propter hanc suam cum his connexionem inspirata esse intelliguntur. Quod egregia comparatione *S. Augustinus* illustrat: „Non sane omnia, quae gesta narrantur (in scripturis), aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea, quae nihil significant adtexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria: et soli nervi in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed ut aptari possint, insunt et cetera in compagibus organorum, quae non percutiuntur a canentibus, sed ea, quae percussa resonant, his connectuntur“ (De civit. Dei, l. 16.

c. 2. n. 3.). — Concedendum quidem est, non omnia profana hac ratione cum religiosis connexa apparere; sed ea aliis rationibus cum fine scripturae consona esse intelliguntur.

73. b) Etenim *secundo*, cum per scripturam Deus ad homines humano modo loqui vellet, conveniens apparet, ut varia dicendi genera, quae inter homines usu veniunt, etiam in scriptura adhiberentur: quare genera dicendi historicum, poëticum, epistolare aliaque in diversis scripturae libris occurrunt. Iamvero cum diversa dicendi genera suas specificas proprietates habeant, in quovis libro quaedam vel etiam plura occurrere solent, quae minus in argumento tractato, quam potius in forma dicendi electa suam rationem habent. Ergo omnino rationabiliter dici potest, etiam in scriptura quaedam occurrere quae, si non in argumento tractato, in genere dicendi adhibito rationem suam habeant. Qua ratione in libris historicis plura exhibentur, quae mere geographica et chronologica sunt: necnon in epistolis apostolicis plura inserta inveniuntur, quae penitus familiaria sunt et meras personales relationes, corporales indigentias aliaque similia spectant: qualia sunt salutationes annexae, paenula Pauli Troade relicta, hospitalitas per eundem Apostolum a Philemone rogata necnon plura eiusmodi. Unde etiam ratio inspirationis rerum et sententiarum profanarum eiusmodi satis intelligitur.

74. c) Accedit *tertia ratio*, propter quam in scriptura doctrinis religiosis profana quaedam admixta sunt. Videlicet ad convenientem doctrinae propositionem etiam spectat, ut in decursu instructionis quaedam interponantur, quae eam ornatiorem et iucundiorem reddant atque ea ratione animos lectorum suaviter movere et delectare valeant necnon propterea homines ad lectionem alliciant et afficiant. Ita non solum in carminibus, sed in libris historicis quoque aliisque didacticis ornatus et delectationis causa quaedam inseri solent, quae ad argumentum explanandum per se nihil conferunt: etenim quoad haec quoque dicendi genera valet, quod sapienter poëta Romanus notat: „Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci" (*Horatius*, ars poët. 343.). Iam cum haec sit ratio librorum humanorum, neque Deus in scriptura eiusmodi ornamenta

stili et expositionis omittere debuit, utpote qui pro sapientia sua et bonitate infinita per scripturam suam hominibus modo iisdem conveniente et accommodato loqui voluit. Hinc etiam Christus Dominus in suis orationibus eiusmodi media iucundae delectationis frequenter adhibuit, ut praesertim in parabolis ab ipso propositis observari potest. Iam ad hunc scopum ornatus, gratiae sermonis et honestae delectationis inde profluentis plura in scripturis pertinent, quae penitus profana esse atque tum nullam connexionem cum rebus religiosis tum nullum momentum vel nullam utilitatem habere videntur: cuiusmodi sunt, quae de cane Tobiae referuntur (Tob. 6, 1; 9, 1,), descriptiones quaedam aliave similia.

d) *Quarto* ratio aliqua, propter quam etiam profana, **75.** quae in scriptura occurrunt, a Deo inspirata sint, in eo continetur, quod quaedam eorum perapta sunt, quibus authentia et historica auctoritas libris sacris (saltem historicis) vindicari possit, quod non levis momenti est. Ob hanc rationem quaedam profana inserta sunt, ut sunt notitiae geographicae, historicae, chronologicae, quae de moribus, institutis, de statu culturae eius aetatis, qua singuli sacrae scripturae libri conscripti sunt, lectores edocent. Exempla, quae huc spectant in omnibus sacrae scripturae libris, non pauca exstant ac facile inveniuntur; quare nominatim eiusmodi exempla adducere supervacaneum est.

e) Tandem *quinto* spectato fine scripturae conveniens certe **76.** fuit, ut scriptura in omnibus polleret absoluta et divina auctoritate, qua omnes homines eiusdem scripturae libris plene et tuto in omnibus fidere possint, neque unquam eisdem divinam fidem sub quovis praetextu detrahere recte valeant. Quare conveniens erat, ut etiam quaelibet profana in scriptura contenta divinitus inspirata essent. Si enim haec inspirata non essent, spectata auctoritate sedulo discernenda essent ab iis, quae religiosa sunt, quod in omnibus casibus vix tuto fieri potest. Atque hinc restricta inspiratione ad ea, quae religiosa sunt, facile ansa praeberetur, ut divina scripturae auctoritas magis magisque extenuetur. Ergo ad divinam scrip-

turae auctoritatem servandam praestabat, ut nihil in ea ab inspiratione exciperetur.

77. f) *Denique sexto* considerandum est, plures res vel eventus a scriptura relatos, in quibus obvia consideratione nihil nisi profanum deprehenditur, cum scripturae scopo convenire, quatenus aut tamquam typi aliquid religiosum et supernaturale portendunt aut tamquam media obiectiva in cognitionem quorundam ad ordinem religiosum et supernaturalem spectantium ducunt. Et quidem *ratio typi* i. e. rei ex divina ordinatione significantis res alias praesertim futuras et religiosas multis praesertim in vetere testamento convenit, quae per se spectata mere profana esse videntur. Sic v. g. teste S. Paulo (Gal. 4, 22. ss.) per duos Abrahae filios, quorum alter Ismaël ex ancilla, alter Isaac ex libera natus est, duo testamenta, vetus et novum, atque discrimen inter ea existens significata sunt. Haec autem typi ratio valde frequens est in vetere testamento, imo Apostolo docente omnia veteris testamenti instituta *umbra futurorum bonorum* erant necnon populo Israelitico in deserto peregrinanti *omnia in figura contigerunt*. Itaque ratione typi considerata nihil fere est in vetere scriptura, quod ad manifestationem rei religiosae et supernaturalis non conferat.

78. Praeterea vero alia multa, quae ex natura sua mere profana sunt, *obiective aliquid manifestant* ad ordinem religiosum et supernaturalem spectans, si quidem ad exemplum SS. Patrum pia mente scriptura consideretur. Apposite *Crets*: „Ita in iis, quae Paulus ad discipulum Timotheum scribit de penula adducenda invenire est documentum, quo doceamur corporis quoque ac terrenorum bonorum curam minime esse negligendam. Similiter hospitium, quod Paulus a Philemone pro Onesimo expostulat, exemplum est hospitalitatis illius, quae priscos inter Christianos obtinebat. Pariter ex salutationibus Epistolis subiectis discimus magnam illam caritatem, qua primi Christi discipuli se invicem prosequebantur, tum simul iisdem posteritati conservatur memoria virorum, qui per sua gesta grandiora de primitiva ecclesia bene fuerunt meriti. Tandem in eo, quod de famoso Tobiae catulo nar-

ratur, indicium deprehendimus providentiae, qua Deus vel irrationabilia ipsa hominis, cuius gratia ea creavit, oblectamentis et commodis inservire iubet" (p. 304.). Etsi autem in aliquibus eiusmodi rationes non deprehendantur, non ideo easdem reipsa deesse illico dicendum est. Accommodate ad rem animadvertit *Origenes*: „Sicut non idcirco refellitur divina providentia ab his maxime, qui eam esse certi sunt, qui opera eius vel dispensationes humanis ingeniis comprehendere non possint; ita ne scripturae quidem sanctae divina esse inspiratio, quae per corpus eius extenditur, propterea non putabitur, quod infirmitas intelligentiae nostrae non valet per singula verba occultas et latentes investigare sententias, dum in vilioribus et incomptis verborum vasculis divinae sapientiae thesaurus absconditur" (De princip. l. 4. n. 7.).

79. Iam ex his omnibus considerationibus satis luculenter patet, etiam inspirationem eorum, quae suapte natura profana sunt, cum scripturae scopo apte consonare; unde argumentatio adversariorum supra proposita inefficax esse perspicitur. Verum eadem argumentatio etiam defectu methodico laborat, quatenus mere ex natura et fine rei proprietatem inspirationis declarare et determinare vult. Etenim effectus supernaturales, qui a liberrima Dei voluntate procedunt, imprimis ex ipso verbo Dei explicandi et determinandi sunt; argumenta autem a priori non quidem excludenda, sed valde caute adhibenda sunt.

80. ***2. Obiectio quaedam alia expeditur.*** — Potissima adversariorum argumenta iam in praecedentibus soluta sunt; solum unum restat, quod considerationem meretur:

Argumentum est huiusmodi: Ab omnibus catholicis agnoscendum est, fieri non posse, ut depositum fidei decursu temporis corrumpatur vel ut aliquid ad depositum fidei pertinens deperdatur. Ratio manifesta est, quia ad depositum fidei integrum et illibatum conservandum Christus magisterium authenticum instituit et in hoc munere exercendo assistentia sua promissa absolute indefectibile reddidit. Atqui depositum fidei corruptum et plura ex eo deperdita essent, si omnes res et sententiae etiam profanae in scriptura inspiratae essent

ideoque ad depositum fidei pertinerent; nam genuinus scripturae textus in pluribus locis de rebus historicis, chronologicis, geographicis ita incertus et etiam corruptus est, ut restitui iam plane nequeat. Ergo eiusmodi loci inspirati esse dicendi non sunt.

81. *Confirmatur argumentum,* quia eiusmodi textus mere profani inspirati non essent, nisi quia sine eis finis scripturae plene obtineri non potuisset. Iamvero certo falsum est, sine iis textibus profanis finem scripturae plene obtineri non potuisse; ratio aperta est, quia secus Deus numquam permittere potuisset, ut eiusmodi textus corrumperentur vel deperderentur. Ergo concludendum est, inspirationem ad eiusmodi textus profanos se non extendere.

82. *R.* Argumentum oppositum inefficax est, quia falso supposito i. e. falso conceptui depositi fidei innititur. Etenim depositum fidei, quod illibatum et integrum conservandum magisterio authentico traditum est, omnia quidem per se revelata, non vero etiam omnia per accidens revelata comprehendit; quare etiam indefectibilitas vel infallibilitas eiusdem magisterii primario et directe ad ea, quae per se revelata vel inspirata sunt, se extendit: ex iis vero, quae per accidens revelata vel inspirata sunt, ea solum ad obiectum infallibilis magisterii pertinent, quibus corruptis vel deperditis depositum fidei vel summa eorum, quae per se revelata sunt, efficaciter custodiri non posset. Ergo eo, quod aliqui textus per accidens inspirati corrupti vel deperditi sunt, depositum fidei nullum detrimentum passum est. Imo vero, etiamsi aliquae partes scripturae per se inspiratae corruptae vel deperditae essent, non ideo necessario ipsum depositum fidei corruptum esset, cum depositum fidei non solum scriptura sacra, sed traditione quoque conservetur. Quare argumentum oppositum undequaque deficere intelligitur.

83. Confirmatio quoque argumenti falso supposito laborat. Non enim solum ea, quae ad finem scripturae consequendum necessaria, sed etiam ea, quae utilia erant, inspirari potuerunt: iamvero qua ratione eiusmodi profana ad eundem finem utilia essent, supra explicatum est; ergo. — Neque urgeri potest,

eiusmodi textus inspiratos, etsi ad finem scripturae solum utiles erant, conservandos fuisse; nam repugnare, quominus quidquam ad scripturae finem assequendum utile corrumpatur vel deperdatur, sane nulla solida ratione demonstrari potest; imo falsum esse perspicitur, quia Deus ad optimum faciendum non necessitatur. Praeterea considerandum est, aliquos textus alicuius libri sacri spectato eiusdem fine utilitatem quandam in prima eiusdem libri propositione habere potuisse, quae postea iam non subsisteret: nullum igitur peculiare incommodum in eo cernitur, quod aliqui eiusmodi textus postea corrumpantur vel deperdantur. Videlicet libri sacri praeter finem omnibus communem et permanentem, qui in institutione religiosa pro omnibus hominibus destinata continetur, etiam finem proprium et transitorium habuerunt, qui in peculiari et determinata indigentia religiosa tempore originis eiusdem libri explenda constitutus erat. Hinc textus, qui eiusmodi proprio et transitorio fini inserviebant, cessante ob adiuncta temporis eo fine, utiles esse desierunt ideoque sine dispendio corrumpi vel disperdi potuerunt. „Quo modo v. g. ad revocandum Iudaeos ab idololatria, ad avertendum eos a quibusdam, quae in perniciem eorum, ut erant populus Dei, versura erant, ad intentandum iis minas poenarum in praesens infligendarum, necesse fuit a prophetis et ab aliis scriptoribus veteris testamenti commemorari multa ad historiam profanam, ad chronologiam et ad alia eiusmodi pertinentia, quorum tamen accurata notitia modo iam non est necessaria ad plene percipiendas veritates religiosas scripturis contentas, qui solus scripturarum finis, uti supra dictum est, ad omnia tempora extenditur.“ (*De San* n. 368.)

Thesis 14. Singulae constructiones singulaque verba scripturae materialia inspirata esse non videntur.

Declaratio.

1. Status quaestionis. — Ut ipsa quaestio tractanda accurate definiatur, imprimis considerandum est, duplex verbum discernendum esse: *primum* est *verbum formale*, quod 1.

in conceptibus et iudiciis intellectus continetur atque in libro per singulas sententias scriptas exprimitur vel extrinsecus repraesentatur: iamvero verbo sic intellecto quaestio de inspirationis extensione in praecedenti thesi soluta est, cum ibidem omnes et singulas scripturae assertiones verbum Dei formale scriptum ideoque divinitus inspiratas esse demonstratum sit. — *Alterum* est *verbum materiale* et in ipsis signis externis concretis et individuis continetur, quibus conceptus et iudicia exprimuntur vel extrinsecus repraesentantur: hoc autem verbum varium esse potest manente eodem verbo formali; ut iam supra dictum est: hinc igitur quaeritur, num etiam haec verba materialia scripturae divinitus inspirata sint, sive num influxui divino inspirativo tribuendum sit, quod hagiographi ad exprimenda verba formalia divinitus inspirata haec potius verba materialia vel vocabula, quam illa alia etiam apta adhibuerunt. Itaque quaestio non est, utrum generatim consignatio idearum et iudiciorum Dei in scriptura per apta verba materialia inspirationi debeatur, quia hoc, cum scriptura verbum Dei formale scriptum sit, iam extra dubitationem positum est: sed illud quaeritur, num electio singulorum verborum materialium vel vocabulorum quoque ipsi Deo auctori inspiranti tribuenda sit an scriptori inspirato relinqui possit.

2. ***2. Diversae sententiae.*** — Omnes theologorum circa inspirationem verbalem sententiae ad duas reduci possunt. Altera est eorum, qui eam defendunt, altera eorum, qui negant: neutra vero ab omnibus eadem prorsus ratione exponitur.

1) *Sententia affirmans.* — Imprimis omnem modum in extendenda inspiratione excesserunt Iudaei Rabbini et veteres Protestantes, utpote qui non solum Deum influxu suo inspirativo omnia et singula vocabula determinasse vel quasi in calamum dictasse statuebant, sed etiam, saltem multi eorum, ad singulas litteras, apices, puncta inspirationem extendebant, atque in his omnibus mysteriosos sensus absconditos arbitrabantur; imo aliqui eo usque processerunt, ut

Deum hagiographis tamquam instrumentis mortuis vel rationis usu carentibus usum esse contenderent.

Sententiae inspirationem verbalem asserenti accesserunt 3.
etiam praesertim saeculo 16. plures theologi catholici; verum praetermissis illis absonis et anilibus ineptiis apud Iudaeos et partim etiam Protestantes notatis rem rationabilius conceperunt et exposuerunt. Videlicet ex eorum sententia Spiritus Sanctus singula verba et singulas constructiones determinavit hagiographis vel voce sensibiliter prolata, vel, quod a plerisque asseritur, determinatarum vocum et constructionum apprehensione in eorum mente vel phantasia excitata. Cui sententiae etiam magni nominis theologi subscripserunt, ut *Bannez* (In 1. p. S. th. 1. p. a. 3. dub. 3.), *Gregorius de Valentia* (De obiecto fidei. p. 7. q. 7.), *Estius* (In 2. Tim. 3. 16.), *Billuart* (De regula fidei, diss. 1. a. 2.); immerito vero eadem opinio *Suario* adscribitur, utpote qui eam quidem in disp. 5. de regula fidei, s. 3. n. 4. defendere videtur, sed ibidem n. 5. eandem sic explicat, ut a doctrina in hac thesi propugnata non discrepare clare perspiciatur. — In hac igitur sententia electio vocabulorum et constructionum omnium non a scriptore inspirato, sed ab ipso Deo inspirante facta est, quare totus scribendi modus vel stilus in Deum tamquam causam determinantem vel eligentem refundendus sit. — Modo alio et diverso theoria inspirationis verbalis defensa est recentiore aetate a pluribus theologis; sed de hac re opportunius infra post demonstrationem institutam dicetur.

2) *Sententia negans inspirationem verbalem.* — Cum 4.
sententia inspirationem verbalem asserens, ut dictum est, a non paucis theologis etiam gravis auctoritatis defensa sit, aeque multi theologi vel etiam plures eandem aperte reiecerunt. Praesertim vero inde a saeculo 16., quando haec quaestio primum magis ex professo agitata est, sententia negans prae affirmante praevaluit: atque cum fine saeculi 18. fere universaliter a theologis catholicis recepta est, ut recte notavit *Ubaldi*: „Propositio, quae negat inspirationem singulorum verborum sacrae scripturae, a pluribus theologis recepta est, quorum numerus magis magisque in dies crevit,

ita ut nunc ab omnibus fere defendatur, relicta rigidiore illa sententia inspirationis verbalis." (Introduct. in s. script. II, 23.) De historia huius controversiae conferri potest *Pesch*, n. 301 ss.

Jam haec sententia negans inspirationem verbalem in praesenti thesi contra affirmantem tamquam multo probabilior vindicatur; i. e. negatur, inspirationem ad omnia et singula vocabula atque phrases se extendere; nonnulla enim vocabula nonnullasque phrases in individuo propter speciales rationes divinitus inspiratas esse probabilius asseritur, ut infra ostendetur.

Demonstratio.

5. ***1. Probatur ex natura et fine inspirationis.*** — Neque ex natura neque ex fine inspirationis requiritur, ut Deus singulas phrases singulave vocabula determinaverit. Et *primo* quidem id non requiri *ex ipsa inspirationis natura*, ex declaratione eiusdem supra (th. 12.) tradita manifestum est: Etenim quidquid necessarium non est, ut Deus per inspirationem auctor scripturae merito dicatur, id ex inspirationis natura non requiritur; atqui Deus auctor scripturae merito dicitur et est, etsi singulas phrases singulave vocabula non inspiravit; nam auctor principalis curare quidem debet, ut res et sententiae convenienti modo scribantur, electionem vero huius dicendi modi prae illo ex pluribus aptis plerumque instrumento relinquere potest, quia modus dicendi, in quantum ipsas res et sententias non mutat, ad essentiam libri non accedit. Ergo inspiratio verbalis ex ipsa natura inspirationis non requiritur. Sed *secundo* neque *ex fine inspirationis* requiritur. Finis enim scripturae, videlicet institutio religiosa, non postulat nisi ut doctrinae religiosae modo apto et hominibus accommodato exponantur; atqui ad hanc aptam et accommodatam doctrinae religiosae expositionem sola assistentia divina supra statuta plene sufficiebat, nullo vero modo inspiratio verbalis necessaria erat; ergo. Iamvero si inspiratio verbalis neque ex natura neque ex fine inspirationis requiritur, eandem neque reipsa locum habuisse dicendum est. Etenim

in praesenti omnino urgeri potest commune illud adagium, quod Deus pro suavi sua providentia et sapientia non facit per plura, quod per pauciora fieri potest, vel quod etiam in supernaturalibus non per seipsum immediate, sed mediate per homines facit, quae convenienter per homines fieri possunt, Convenienter autem hominibus hagiographis electionem vocabulorum et phrasium relictam esse, iam ex eo solo patet quod, ut tota indoles scripturae ostendit, Deus per eam ad homines humano modo loqui voluit; id enim melius obtinere non potuit, quam determinationem modi dicendi concreti et individui hominibus hagiographis relinquendo. Ergo saltem omnino probabilius apparet, inspirationem verbalem in plerisque locum non habuisse.

6. ***2. Ex elocutionis diversitate, quae in diversis ss. libris observatur.*** — Ut quisquis scripturam cum modica attentione legens facile et manifesto conspicit, diversi ss. libri mira varietate ab invicem ratione stili et elocutionis differunt; prouti singuli hagiographi diversa indole diversaque cultura instructi erant. Quam diversitatem tum Patres tum exegetae notare atque praecise ex diversitate indolis et culturae diversorum hagiographorum explicare solent. Ita *Hieronymus* in praefationibus ad singulos prophetas: „De Isaia sciendum, ait, quod in sermone suo disertus est, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum". Ieremias autem „sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Anatholites qui est usque hodie viculus". Ezechielis sermo „nec satis disertus nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus." De Amos propheta vero notat: „Ex hoc numero pastorum (de Theone) Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia. Idem enim, qui per omnes prophetas, in eo Spiritus Sanctus loquebatur". Similiter de S. Paulo animadvertit: „Illud, quod crebro diximus: *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia,* nequaquam Paulum de humilitate,

sed de conscientiae veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone. Quem cum in vernacula lingua habeat disertissimum, seipsum interpretari cupiens involvitur." (Ep. ad Algasium). Itaque non solum diversitas sed etiam imperfectiones stili et elocutionis in diversis scripturae libris notantur; imo vero vel peccata contra grammaticae leges non raro occurrunt. Atqui haec omnia in sententia inspirationem verbalem negante facilem et accommodatam explicationem habent, in sententia vero inspirationem verbalem affirmante nonnisi inconvenienter et violenter explicantur. Ergo sententia inspirationem verbalem negans prae opposita tamquam multo probabilior praeferenda est.

7. *Minor probatur.* Et *primo* quidem manifestum est, illa facile et accommodate explicari in sententia negante, utpote in qua diversitas stili et elocutionis in diversitatem ingenii et culturae diversorum hagiographorum, et defectus elocutionis et peccata contra leges grammaticales in deficientiam virium eorundem hagiographorum tamquam naturalem causam refunduntur; atque haec explicatio insuper auctoritate S. Hieronymi necnon aliorum Patrum et insuper plerorumque exegetarum confirmatur. Et Hieronymi quidem mens manifesta est ex testimoniis modo adductis; accedit, quod consonanter cum iisdem alibi monet: „Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias" (Ep. 57. ad Pammachium n. 6.); et iterum alibi: „Beatus est, qui seminat in eloquiis scripturarum tam veteris quam novi instrumenti et calcat aquas occidentis litterae, ut metat fructus Spiritus vivificantis" (In Is. 1, 3.). - *Secundo* vero illam stili et elocutionis diversitatem necnon imprimis contra leges grammaticales peccata in sententia opposita nonnisi incommode et violenter explicari, pariter facile patet. Videlicet defensores inspirationis verbalis explicationem inde derivant, quod Spiritus Sanctus in eum finem, ut libri sacri humano modo conscripti viderentur, in omnibus ingenio indolive naturali hagiographorum sese accommodaverit atque ea ratione omnes eas

phrases omniave vocabula determinaverit, quae ipsi sacri scriptores sibi relicti elegissent. Verum *primo* ea explicatione Spiritui Sancto ratio agendi tribuitur inutilis et parum congrua, quia ille finis multo melius et accommodatius obtineri potuit sacros scriptores relate ad elocutionem et stilum sibi suove ingenio naturali relinquendo. *Secundo* eadem ratio agendi eatenus quoque Deo indigna esse videtur, quatenus certe inconveniens apparet, Spiritui Sancto peccata contra leges grammaticales, soloecismos, inconcinnas phrases, obscuros modos loquendi aliasque stili imperfectiones tamquam causae non solum permittenti sed inspiranti adscribere. *Tertio* ille influxus specialis in singula vocabula singulasve phrases naturali hagiographi ingenio accommodatus ideo quoque inconveniens esse perspicitur, quia Spiritus Sanctus ea agendi ratione hunc suum influxum hominibus ita occultasset, ut nisi coniecturando cognosci possit; quod profecto sine ulla ratione admitteretur. *Quarto* consequenter ad praecedentes rationes adversariorum explicatio etiam pugnare intelligitur cum sana interpretationis regula, secundum quam explicatio magis obvia et naturalis et facilis praeferatur oportet nec interventus extraordinarius Dei admittendus est, nisi solidae rationes id postulent. Denique *quinto* eadem explicatio cum suffragio SS. Patrum parum congruit, ut testimonia Hieronymi allata ostendunt.

Confirmatur argumentum inde, quod vel unus idemque scriptor sacer in diversis libris sacris diverso modo dicendi utitur; qua ratione v. g. S. Pauli epistola ad Hebraeos et epistolae ad Corinthios ab invicem differunt. Huius vero diversitatis explicatio communior et probabilior, utpote simplicior et in traditione satis fundata est, „hanc epistulam graece primum esse scriptam et quidem sententias Pauli esse, verba autem Lucae aut Clementis, quo tamquam interprete et scriba Paulus usus sit; et ideo hanc epistolam esse magis ornatam, quam ceterae sint, quia sermo huius epistolae non a Paulo, ut ceterarum, sed ab alio magis diserto compositus sit“ (*Bellarminus*, de verbo Dei, l. 1. c. 1. ss.). Eandem differentiam *S. Hieronymus* etiam in aliis scriptis 8.

sacris notat atque eodem modo explicat: „Cum haberet (S. Paulus) scientiam sanctarum scripturarum et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret . . . divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum, cuius evangelium, Petro narrante et illo scribente compositum est. Denique et duae epistolae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus" (Ep. 120, 11.). Iamvero haec explicatio, quae certe probabilior est, nonnisi aegre cum sententia inspirationem verbalem asserente componitur: in hac enim sententia manifesto consequeretur, duos esse v. g. epistolae ad Hebraeos scriptores inspiratos, Paulum eiusque scribam, quod profecto probabile non est. In sententia autem inspirationem verbalem negante solus Paulus eiusdem epistulae scriptor inspiratus est, qui Spiritu Sancto assistente amanuensi quoad phrases verbave apte eligenda invigilarit: quod certe multo convenientius et probabilius dicitur.

9. ***3. Ex modo, quo ipsi hagiographi verba scripturae allegant.*** — Hagiographi ipsi saepenumero testimonia scripturae ita allegant, ut sensum quidem fideliter retineant, verba autem satis mutent. Quod exemplo facile illustratur: „Rom. 9. 33. legimus: *‚Scriptum est, ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali; et omnis, qui credit in eum, non confundetur'*. Verba sumpta sunt ex Isaia, ubi 8. 14. de Deo dicitur: *‚Erit . . . in lapidem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel'*: et 28. 16.: *‚Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem . . . Qui crediderit, non festinet'* (i. e. non fugiat). Ex his duobus dictis Apostolus citatum suum conflavit, quia, quae apud Prophetam permixtuntur, in Christo completa sunt. Sensus est idem, quatenus Christus Deus est lapis offensionis non credentibus et firmissimum fundamentum credentibus. Sed quam diversa sint vocabula, non indiget explicatione. Quanta differentia verbalis est inter 2. Reg. 22. et Ps. 17., et tamen est idem psalmus." (Pesch n. 457.). Iamvero hagiographi in

suis scripturae citationibus certe non sensum solum sed etiam vocabula fideliter retinuissent, si ipsis persuasum fuisset, sicuti res et sententias ita etiam vocabula inspirata esse. Ergo ex eorum ratione citandi consequi dicendum est, secundum ipsorum persuasionem vocabula et generatim modum dicendi inspirata non esse. Minor videtur aperta esse; nam si vocabula singula inspirata essent, magnum pondus vel magna auctoritas ipsis quoque propria esset: unde, inconvenienter prorsus in citationibus negligerentur: talis vero inconveniens citandi modus hagiographis tamquam rationalibus Spiritus Sancti instrumentis vel ipsi scripturae vel Spiritui Sancto ipsi tribui nequit: ergo.

Excipi potest hunc in modum: Sicut hagiographi ali- **10.**
quando scripturae testimonia ita allegant, ut vocabulis mutatis sensum retineant: ita pariter aliquando, videlicet in accommodationibus sensu mutato vocabula retinent. Ergo si ex priore citandi modo consequitur, vocabula non esse inspirata, ex altero pariter concludendum est, vocabula quidem, non autem res et sententias inspiratas esse: aut potius dicendum est, neutram conclusionem valere. — R. *n.* paritatem. Etenim accommodatio nequaquam citatio est neque ea argumentum ex testimoniis scripturae tamquam divinitus inspiratis ducitur: verum in applicatione dictorum scripturae ad sententiam aliquam sensu ab eisdem dictis diversam apte enuntiandam continetur. Hinc igitur in eiusmodi testimoniorum scripturae accommodationibus nulla vocabulorum prae sensu praelatio cernitur, vel nullum eis pondus nec ulla auctoritas tribuitur, quae sensui vel sententiae denegetur; in citationibus vero, ex quibus argumentum derivatum est, praecise sensus vel sententiae prae vocabulis auctoritas tribuitur, quod discrimen nonnisi inde explicari commode potest, quod quidem res et sententiae, non vero vocabula divinitus inspirata sunt.

4. Ex eo, quod sacri scriptores sibimetipsis elocutionem vel modum dicendi tribuunt. — Re- **11.**
ipsa sacri scriptores nonnunquam imperfectam vel defectuosam rationem scribendi excusant atque sibi soli elocutionem tribuunt. Ita scriptor secundi libri Macchabaeorum: „*In his*

faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo non erit gratus. Hic ergo erit consummatus. (15, 38. ss.).

12. Similiter *S. Paulus* se imperitum sermone vocat, quod profecto aeque de eius scriptis, ac de eius sermonibus valet: „*Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia; in omnibus autem manifestati sumus vobis.*“ (2. Cor. 11, 5.). Iamvero eiusmodi excusationes et veniae rogationes rationabiles esse non videntur, si Deus scriptori inspirato vocabula quoque singula singulasve phrases vel constructiones suggessit vel dictavit, optime autem et commodissime in sententia inspirationem verbalem negante explicantur et intelliguntur. Ergo, etiam ex hac ratione sententia inspirationem verbalem negans omnino praeferenda est.

13. *Minor manifesta esse videtur.* Etenim sive imperfectio sive praestantia stili et elocutionis eidem solum adscribi necnon ratio laudis vel vituperii vel excusationis exstare possunt, qui eorundem causa determinans vel eligens est: ergo cum ss. scriptores circa eadem se excusent, non ipse Spiritus Sanctus inspirans, sed hagiographi causae electivae vel determinativae singulorum vocabulorum, singularum phrasium et constructionum exstiterunt. Apposite *Crets:* „In hac hypothesi (verbalis inspirationis) vix intelligitur, quomodo in fine libri scriptor 2. lib. Machab. potuerit dubitare de libri perfectione et dignitate: quin veniam petere, si minus bene scripserit, causando suam imperitiam. Praesumi profecto nequit, pium auctorem Deum velle excusare, seu melius accusare; vel si ponas ipsum divini influxus inconscium fuisse, quorsum, amabo, Deus hanc sententiam scribendam inspiravit? Ceterum sibi ipsi veniam flagitat, proprii ingenii mediocritatem fatendo. Patet itaque huius libri scriptorem saltem qualitatem elocutionis et stili sibi tribuere. Qui autem illud praefracte negat, permagnis sese implicari ambiguitatibus perspicuum est. In nostra vero hypothesi probe in-

telligitur, cur vir, qui forte litteratura scholari praeditus non erat, . . . in fine de operis valore potuerit dubitare, necnon de stili tenuitate vel de compositionis ruditate, si forte displiceret, veniam petere. Neque huic veniae postulatae ex parte Dei inspirantis aliquid obstat, cum Deus illud scriptori suggerere potuerit ad commendabile modestiae in quibusvis scriptoribus exemplum“ (p. 237).

Excipit Desan, qui ceteroquin et ipse probabiliorem habet sententiam inspirationem verbalem negantem, contra argumentum propositum hunc in modum: „Ad verificandum id, quod in citatis textibus dicitur, sufficit, ut Deus in dictandis verbis singulis sese indoli et eruditioni scriptoris sacri accommodaverit; sic enim scriptor sacer fuisset causa occasionalis tenuitatis et imperitiae dictionis“ (p. 249.). — *R.* At vero hac ratione argumentum factum infirmari non videtur. Etenim laus vel vituperium, accusatio vel excusatio in causam mere occasionalem cadere omnino non videntur, vel certe secundum proprietatem sermonis nonnisi causae ex propria electione determinanti conveniunt; cum igitur sacri scriptores de imperfectione stili et elocutionis veniam rogent vel se excusent, sibimet ipsis tamquam causae eligenti et determinanti, non autem solum occasionali, stilum et elocutionem tribuunt. Nulla autem ratio exstat, ob quam in eiusmodi excusationibus sacri scriptoris intelligendis et explicandis a proprietate sermonis recedatur. Ergo. 14.

5. Ex scripturae prouti nunc exstat indole et proprietatibus. — Scriptura, prout nobis conservata est et exstat, satis ab autographis ipsis differt. Videlicet non solum autographa iam non existunt, sed etiam plurium librorum sacrorum ut v. g. evangelii S. Matthaei, textus originalis neque in apographis iam habetur. Qui autem in apographis exstant, quod vocabula necnon constructiones attinet, in satis multis locis mutati et, quod res ad aedificationem doctrinae christianae non pertinentes attinet, etiam corrupti sunt. Insuper versiones sacrae scripturae exstantes, quae formaliter ut tales vel reduplicative sumptae sane inspiratae non sunt, a textu originali differunt non solum, quatenus ex voca- 15.

bulis alius linguae compositae, sed etiam, quatenus ita libere elucubratae sunt, ut non raro vocabulorum dispositione et constructione plane conversis vel mutatis ex textu originali nihil nisi res et sententiae remaneant. Ita ipse *Hieronymus* de versione a se facta testatur, „magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum fuisse translatum" (In praef. libri Iudith.). Iam ex hac scripturae, prout in praesenti exstat, indole duplex argumentum non spernendum contra inspirationem verbalem derivatur:

16. Et *primo* quidem ecclesia universa non solum in autographis, sed etiam in apographis, et quod plus est, non solum in textu originali, sed etiam in versionibus se totam essentialiter scripturam possidere iudicavit, atque hanc scripturam in apographis et versionibus existentem eadem essentialiter veneratione prosecuta est, ac ipsa scripturae autographa: solum in paucis quibusdam locis versiones sensu quoque a textu originali discrepant ideoque verbum Dei formale non sunt. Hinc etiam Concilium Tridentinum Vulgatae versioni plenam verbi Dei scripti auctoritatem vindicavit eamque authenticam declaravit: „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consuevérunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, . . . anathema sit" Sess. 4., decret. de canonicis scripturis". Sacra synodus „statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat." Iamvero, si autographa scripturae non solum quoad res et sententias, sed etiam quoad singula vocabula singulasve constructiones inspirata essent, in apographis et praesertim versionibus sacra scriptura essentialiter non exstaret atque haec apographa atque versiones dignitati autographorum longe cederent. Ergo, cum id cum communi ecclesiae sensu pugnet, singula vocabula singulaeve constructiones in individuo inspirata non sunt.

Praeterea quia autographa scripturae non diu conservata 17.
sunt et spectatis vocabulis et constructionibus apographa ab autographis necnon praesertim versiones a textu originali satis discrepent, inspiratio verbalis fere inutilis prorsus fuisset: nam cum scriptura in utilitatem fidelium conscripta sit, vocabula et constructiones ab ipsis hagiographis adhibitae nonnisi paucis in notitiam venerunt utilitatemque afferre potuerunt, quia plerique fideles apographis et versionibus usi sunt et continuo utuntur. Atqui spectata divina sapientia inconveniens apparet, Deo effectum supernaturalem adscribere, ex quo tam parva imo fere nulla utilitas relate ad finem intentum proveniat. Ergo iterum inspiratio verbalis admittenda esse non videtur.

6. Ex inanitate argumentorum oppositae sententiae. – Inspiratio verbalis, utpote quae effectus supernaturalis est atque spectatis tum natura tum fine scripturae superflua apparet, convenienter admitti nequit, nisi solidis gravibusque rationibus demonstretur. Atqui rationes in favorem eius sententiae propositae, satis infirmae atque inanes esse perspiciuntur. Ergo haec sententia incongrue statuitur. *Minor* earundem rationum examine et solutione probatur:

1. *Ratio prima:* Scriptura ipsa satis clare significat, 18.
ipsa vocabula hagiographis a Deo suggesta esse, ut patet ex his similibusve locutionibus passim in prophetis occurrentibus: *Haec dicit Dominus; factus est sermo Domini ad me dicens; ego ero in ore tuo; Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam; ponam verba mea in ore eius*: cf. Ierem. 36, 1. 2. 4. 17. 18. Idem Psalmista quoque innuit: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis* (Ps. 44, 1.). *R. Primo* etsi locutiones obiectae necessario de inspiratione verbali intelligendae sint, nequaquam tamen iisdem inspiratio verbalis totius scripturae evincitur; etenim quae de singularibus textibus, vel etiam capitibus et libris dicuntur et valent, non illico ad omnes et singulos textus et partes transferri possunt. Ergo eo argumento doctrina in thesi proposita non attingitur, utpote quae non quosdam singulares scripturae textus, sed totam et integram scripturam secundum singula vocabula inspiratam esse negat. — *Prae-*

terea si testimonia obiecta inspirationem verbalem insinuare videantur, econtra testimonium scriptoris 2. Machab. supra adductum potius contra inspirationem verbalem totius et integrae scripturae satis aperte militat. — *Denique* ipsa illa verba obiecta neque illarum scripturae partium, de quibus agunt, inspirationem verbalem evincunt. Etenim e. c. per verba, quae Deus in ore prophetae posuit, aeque vel etiam magis congrue conceptus et iudicia vel integrae sententiae sive verba formalia, quam verba materialia sive singula vocabula intelliguntur (cf. Deuter. 4, 13.). Terminus vero *calamus* urgeri nequit, quia secus etiam contra propositum adversariorum consequeretur, Deum hagiographis ad instar instrumentorum irrationalium et inanimatorum usum esse. Tandem Ierem. 16. propheta quidem singula vocabula suo scribae dictasse, non vero eadem divinitus inspirata accepisse exhibetur.

19. 2. *Ratio altera:* SS. Patres satis aperte inspirationi verbali patrocinati sunt; ut ex innumeris eorum testimoniis constat. Sic v. g. *Chrysostomus* declarat: „Ne syllabae quidem praetereundae, nam omnia sunt a Spiritu Sancto" (In Genes. hom 15. n. 1.). Et iterum: „Non enim temere vel fortuito loquitur scriptura divina, sed et syllaba et apiculus unicus reconditum habet thesaurum" (Ib. hom. 18.). Pariter *Hieronymus* notat: „Non adeo me hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis . . . ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum" (ep. 27, al. 102. ad Marcell.). Et iterum: „Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus, et spirant coelestia sacramenta" (In Matth c. 6.). Similiter alii Patres de inspiratione loquuntur. Praeterea vero in interpretandis scripturis singulas voculas quoque studiose inquirunt: quod in sententia inspirationem verbalem negante otiosum esse apparet. Ergo. — *R.* Si SS. Patrum doctrina non solum obiter sed accuratius inquiratur, nullum praebet inspirationis verbalis argumentum: quod generalibus quibusdam notationibus subiectis satis patebit. Et *primo* quidem iidem Patres, qui quibusdam testimoniis inspirationem verbalem docere videntur, alibi eandem suo loquendi modo potius ex-

cludunt. Ita Hieronymus v. g., ut supra dictum est, defectus stili et elocutionis non ex Spiritus Sancti influxu, sed ex naturali hagiographorum indole repetit, necnon aliis modis electionem singulorum vocabulorum hagiographis adscribit. Pariter Chrysostomus alibi notat, in scriptura quidem omnia secundum sensum, secundum verba autem (i. e. ῥητῶς) non omnia, sed solum quaedam a Deo dicta esse (In 1. Thess. hom. 8. n. 1.). *Praeterea* singularia quaedam SS. Patrum testimonia manifesto nimis urgeri nequeunt, cum hyperbolice vel oratorie in iisdem loquantur; an forte adversarii secundum litteram intelligi volunt „singulos apiculos singulave puncta plena esse sensibus!“ Id profecto absonum foret, praesertim quia SS. Patres ea ratione non solum de textu originali sed de versionibus quoque loquantur. *Tertio*, quod SS. Patres in interpretanda scriptura singulas etiam voculas studiosissime attendant, profecto nequaquam evincit, ex eorum persuasione easdem a Deo immediate determinatas esse; nam eadem diligentia etiam tunc adhibenda est, quando Deus in ipsa scriptione et vocabulorum electione generatim adstitit et invigilavit necnon quandoque aliqua vocabula directe suggessit. Quae cum ita sint, manifestum est, nullum ex doctrina SS. Patrum derivari argumentum inspirationis verbalis. Nullus enim eorum exstat consensus in eam tamquam in doctrinam catholicam; imo vero quaestionem de inspiratione verbali ne ex professo quidem tractaverunt. Quae vero incidenter enuntiarunt et obvie considerata inspirationem verbalem commendare videntur, nihil nisi emphatica elatio inspirationis omnium rerum et sententiarum sunt. *Tandem* plura notant, quibus potius inspiratio verbalis excluditur.

20. *3. Ratio tertia.* S. scriptura ex testimonio tum ipsius Scripturae tum SS. Patrum verbum Dei formale et quidem verbum Dei formale scriptum est. Iamvero nisi Deus etiam singula vocabula in individuo determinaverit, scriptura verbum Dei formale dici nequit, sed nihil aliud esset nisi sensa Dei verbis humanis expressa; multo autem minus adhuc verbum Dei scriptum dici posset. Ergo vocabula quoque singula a Deo inspirata esse dicenda sunt; confirmatur, quia, nisi haec

inspiratio verbalis admittatur, scriptura non magis verbum Dei formale est, quam infallibilis magisterii authentici definitio dogmatica; quod a sensu catholico prorsus alienum est. Ergo. — *R.* Ut ex tota superiore tractatione de natura inspirationis iam manifestum est, scriptura tamdiu verbum Dei formale etiam scriptum est, quamdiu Deus eiusdem scripturae, etiam quatenus scripta est, auctor manet in vero et proprio sensu; iamvero, ut pariter iam explicatum est, Deus auctor scripturae in vero et proprio sensu est, etsi singula vocabula non inspiravit; ergo. Confirmatio argumenti confundit ea, quae essentialiter diversa sunt: videlicet etiam negata inspiratione verbali scripturae, nihilominus haec essentialiter differt a definitione infallibili scripto emissa. Etenim cum scriptura divinitus inspirata Deum auctorem habeat ideoque ex divina mentis hagiographi illustratione, voluntatis motione et assistentia in scribendo procedat, infallibilis definitio scripto emissa neque specialem mentis illustrationem neque voluntatis motionem postulat, sed solam assistentiam divinam ab errore praeservantem includit vel supponit; quare illa quidem verbum Dei formale scriptum, haec vero solum verbum Dei obiectivum et verbum formale magisterii authentici definientis esse intelligitur.

21. *4. Ratio quarta.* S. scriptura non solum verbum Dei formale est, sed a SS. Patribus necnon ab ipso Concilio Tridentino a Spiritu Sancto dictata esse dicitur; iamvero nulla est ratio, ob quam haec vox *dictare* in proprio sensu non acceptetur, in proprio autem sensu accepta non solum rerum et sententiarum, sed etiam vocabulorum suggestionem dicit; ergo scriptura etiam secundum singula vocabula inspirata esse dicenda est. — *R.* Nisi verbis disgladiari velint adversarii, vocem *dictare* nimis urgere non possunt; secus etiam sequeretur, Deum sensibili voce emissa omnia scribenda hagiographis suggessisse, quod sane absonum est. Itaque nihil obstat, quominus vox *dictare* in sensu minus proprio accipiatur; iamvero significatio satis usitata huius vocis est, qua etiam qui res et sententias scribae communicat, dictare dicitur; qua ratione v. g. quis testamentum dictare dicitur,

quamvis notario non singula vocabula communicet, sed solum voluntatem suam de disponendis bonis significet. Ergo etiam, cum scriptura dictata esse dicitur, id in sensu latiori accipi potest, si quidem eiusmodi latior acceptio, ut probatum est, gravibus solidisque rationibus commendetur.

5. *Ratio quinta.* Ex SS. Patrum doctrina et ecclesiae **22.** sensu Spiritus Sanctus verus et unicus scripturae auctor est; sacris autem scriptoribus nonnisi amanuensis officium competit. Iamvero eligere et ordinare verba atque constructiones, quibus res et sententiae exprimantur, auctoris vel saltem co-auctoris est. Ergo non solum res et sententiae omnes inspiratae sunt, sed idem de singulis verbis, phrasibus, constructionibus dicendum est. Minor probatur. Vocabula enim et constructiones vel phrases, quibus res et sententiae exprimuntur, ad essentiam libri pertinent; secus enim in aliquo libro essentia eiusdem integra permanente omnia verba, constructiones phrasesque omnes mutari, necnon omnia longiori vel breviori sermone explicari possent; quod absonum esse videtur. Ergo, quia quidquid ad essentiam libri pertinet, ab auctore eiusdem praestandum est, eligere et ordinare verba et constructiones ad auctorem vel saltem co-auctorem spectat. — *R.* Spiritus Sanctus verus et proprius scripturae auctor manet etiam in sententia inspirationem verbalem negante, ut iam satis manifestum est ex declaratione naturae inspirationis supra tradita. Videlicet qui inspirationem verbalem reiiciunt, non ideo omnem influxum Dei in ipsam scriptionem vocabulorum atque phrasium negant, cum etiam ex ipsorum sententia Deus hagiographos ad scribendum moverit, iisque in eligendis vocabulis atque constructionibus astiterit. Hoc autem influxu posito Deus etiam vocabulis et constructionibus spectatis causa principalis vel auctor esse intelligitur: quare non requiritur, ut singula vocabula singulasve phrases ipse directe suggesserit. Falsum enim est, quod adversarii urgent, scilicet determinationem vel electionem singulorum vocabulorum, singularum constructionum atque phrasium ad essentiam libri spectare ideoque amanuensi relinqui non posse, sed ad ipsum auctorem spectare; secus enim etiam quacunque versione

saltem aliquatenus liberiore quivis liber essentialiter mutaretur ideoque etiam in Vulgata versione ipsa s. scriptura ne secundum essentiam quidem exstaret; quod non solum absonum est, sed cum communi fidelium sensu necnon ipsius magisterii authentici suffragio pugnat. Neque tamen ideo etiam illud consequitur, quod adversarii opponunt, scilicet omnia longiore vel breviore sermone exponi posse manente eodem libro: sermo enim de aliquo argumento rationabiliter longior vel brevior esse nequit, nisi rebus et sententiis auctis, si quidem auctor rationabiliter procedat atque meram verborum disgladiationem vitet.

23. *6. Ratio sexta:* Inter notiones rerum vel ideas et signa respectiva vel vocabula arctissima connexio est ita, ut ideas rerum vel notiones actu habere non possimus, quin simul menti vocabula obversentur, quibus illas res sermone exprimimus. Quare, si Deus in inspiratione secundum rerum naturas processit, ideas non a quibuslibet vocabulis abstractas, sed cum individuis vocabulis concretas inspirasse dicendus est: quae nihil aliud est, nisi inspiratio verbalis. Atqui nulla est ratio, ob quam Deus in inspiratione contra connaturalem rerum exigentiam egerit. Ergo inspiratio verbalis admittenda est. — *R.* Illa connexio inter ideas et vocabula, quam adversarii urgent, tanta non est, quantam proclamant. Nequaquam enim determinata idea vel determinata sententia ita certis et individuis vocabulis vel constructionibus exprimi postulat, ut aliis aeque bene exprimi nequeat. Etenim, cum homo naturam habeat rationalem et sensibilem, simul quidem cum ideis etiam quaedam earum sensibiles repraesentationes ex phantasia cum intellectu cooperante ortae menti obversantur: verum hae ideae et sensibiles repraesentationes nequaquam necessario nexu cum certis et individuis vocabulis coniunctae sunt. Quod cum natura vocabulorum, utpote signorum non naturalium sed arbitrariorum cohaeret et ex ipsa experientia manifestum est: nam aliquando abundantibus ideis vocabula ad eas exprimendas deficiunt, vel etiam vocabula abundant, ita ut inter diversa idiomata et diversa eiusdem idiomatis vocabula eligendum sit. Idem supponunt et

evincunt praecepta artis grammaticae, litterariae necnon logicae, quippe quae ad easdem ideas variis vocabulis, constructionibus, formis, phrasibus exprimendas manuducunt et instituunt. Denique in ipsa scriptura multa exempla occurrunt, in quibus eaedem prorsus res et sententiae diversis vocabulis, diversis constructionibus et formis loquendi exprimuntur et repetuntur (cf. ps. 40. 113. 118. etc.). Itaque manifestum prorsus est, certas et determinatas ideas non necessario cum certis et determinatis vocabulis et formis loquendi connexas esse; quare pariter manifestum est, Deum servata rerum natura et naturali exigentia hagiographis ideas inspirare potuisse non inspiratis vocabulis et constructionibus. Ergo argumentum, quod tanti faciunt et adeo urgent aliqui inspirationis verbalis patroni, omni vi et robore caret.

Scholion.

1. De recentiore quadam inspirationis verbalis explicatione. — Cum opinio inspirationem verbalem tenens saeculo elapso fere communiter relicta et obsoleta esset, recentiore aetate a quibusdam theologis iterum resuscitata est; sed recentes hi inspirationis verbalis patroni eandem paulo aliter ac antiquiores eiusdem defensores proponere et propugnare solent. Hinc recentior ista explicatio paucis speciatim explicanda est. 24

1) *Explicatio eadem proponitur.* — Antiquiores theologi inspirationem verbalem defendentes fere hunc in modum procedebant: Liber quivis non solum ideis et iudiciis vel rebus et sententiis expressis constituitur, sed etiam vocabula vel phrases et constructiones eas exprimentes essentialiter comprehendit. Quare a Deo, utpote qui auctor scripturae est, non solum ideae et iudicia vel res et sententiae, sed vocabula etiam et constructiones procedunt. Ergo etiam constructiones et vocabula a Deo inspirata sunt eum in modum, ut Deus eadem aut voce sensibiliter prolata aut apprehensione in mente hagiographorum excitata in individuo determinaret.

Recentiores autem potius a scriptore inspirato quam a libro inspirato considerationem exordiuntur atque hunc in modum procedunt: Deus per hagiographos tamquam instrumenta rationalia et libera supernaturaliter elevata scripturae auctor exstat. Quare quidquid sacri scriptores ad libros sacros scribendos egerunt, tamquam instrumenta divina vel sub divina inspiratione perfecerunt. Ergo cum determinatio et scriptio determinatorum vocabulorum ad conscriptionem libri pertineat, etiam haec determinata vocabula a Deo inspirata esse dicenda sunt. Haec igitur vocabulorum inspiratio non dicit singulorum vocabulorum externam dictationem vel internam suggestionem, sed in illustratione divina continetur, qua hagiographus non solum res et sententias scribendas, sed etiam vocabula, quibus scribantur, concipit et determinat. Hinc vero, quia scilicet illud lumen divinum naturales facultates hagiographi non tollit vel supprimit, sed elevat: indoles naturalis, industria, dexteritas vel imperitia litteraria scriptoris amice cum inspiratione concurrunt et necessario in libro inspirato apparent: defectus tamen ex imperitia vel tenuitate scriptoris orientes Deus sane non per se intendit, sed solum permisit vel per accidens voluit. Denique cum haec sit inspirationis ratio et indoles, consequitur, vulgatam aliasque versiones in proprio sensu sacram scripturam non esse.

25. Porro hanc expositionem esse fidelem recentioris illius de inspiratione verbali theoriae expositionem manifestum est ex his circa eam declarationibus a *Zucchia* (Divina inspiratio sacrarum scripturarum) traditis: „Opus Spiritus Sancti in inspiratione non se restrinxit ad formandos conceptus eosque communicandos hagiographis, sed se quoque protendit ad ipsam scriptionem, i. e. ad verba, ad expressiones, ad stilum, breviter ad omnia, quae ab hagiographis scripta fuerunt, et ad singulos modos, quibus ea scripto expresserunt" (p. 175.). „Lumen porro supernaturale divinitus impressum in inspiratione biblica, non tam principaliter ordinabatur ad hoc, ut hagiographus res ac sententias illo lumine illustratas in semetipso recte conciperet ac exprimeret, quam ad hoc ut illas recte per scripturam exprimeret aliis hominibus propter ec-

clesiae utilitatem. Inspiratio enim biblica est gratia gratis data, quae non propter utilitatem eius, cui datur, sed propter aliorum utilitatem confertur. Unde cum recta expressio scripturalis fuit finis principalis infusionis divini luminis inspirativi, talis infusio non potuit a iusta et recta expressione abstrahere, neque ad ipsam indifferenter se habere: sed sicut in ordine naturali recta et adaequata expressio mentalis, vocalis vel scripturalis est effectus luminis naturalis intellectus; ita in ordine supernaturali recta ac adaequata expressio scripturalis rerum et sententiarum fuit effectus divini luminis infusi. Eo praesertim quod lumen a Deo infusum in biblica inspiratione non solum ostendebat res scribendas, sed roborabat quoque ac elevabat mentem hagiographi, ut ipsa sic elevata iudicaret res in seipsis, et potissime, qualiter scripto debebant ecclesiae transmitti, seu ut hagiographus exprimeret eas sibimet ipsi et aliis hominibus. Quo modo expressiones mentales ac scripturales rerum et sententiarum biblicarum, non erant quidem a Deo dictatae, pressiore vocabulo dictatione accepta, proveniebant tamen a Deo per hagiographos, erantque vere et proprie expressiones divinae, utpote in esse positae ab effectrice Dei virtute" (p. 186.). „Litterarii defectus in autographis hagiographorum . . ., quamvis defectibili virtuti adscribi debeant, quae est virtus humana et non divina, non tamen omnino praeter divinam voluntatem in autographam scripturam irrepserunt. Deus enim voluit illos per accidens, quatenus libera voluntate elegit in suum scriptorem hominem parum litteris peritum; cuius electionis causa rationalis in Deo, qui omnia sapienter operatur, certissime fuit. Aliunde scimus, quod ab ipso non semper optima media vel instrumenta eliguntur ad suos fines obtinendos, sed quandoque infirma mundi eligit, ut fortia confundat" (p. 193.). „Si inspiratio intelligitur, sicut eam definivimus, quatenus nempe in ipsa elevantur divinitus naturales facultates hominis, ut virtute supernaturali ei impressa, et virtutibus propriis elevatis concipiat, scribat et tradat ecclesiae ea quae Deus vult et modo quo vult; tenuitas, labor, imperitia scriptoris sive in patrio, sive in alieno sermone, necessario apparebunt in suo opere" (p. 195.). „Si

inspiratio concipitur, prout revera est, tamquam influxus supernaturalis, quo Spiritus Sanctus, salva natura hominis cum omnibus facultatibus et conditionibus eius, illum illuminat, inducit, et movet ad scribendum humane ac divine, hoc est virtute propria et virtute supernaturali ei derivata, ea, quae Deus vult ecclesiae consignare, et modo quo ipsi Deo placet: diversitas locutionis ac stili necessario patere debet in eius libro, sicut in omni opere artificis patent conditiones instrumenti" (p. 196.). „Versiones . . . non sunt scriptura illo excellentiae gradu, quo est scriptura autographa: nam ista exarata fuit divina supernaturali virtute, dum translationes eius humana tantum virtute peractae sunt" (p. 201.).

26. In fine tandem huius expositionis notandum est, inspirationem verbalem hoc modo conceptam ab iis quoque auctoribus defendi, qui secus laxiores de inspiratione vel veritate scripturae opiniones fovent, ut v. g. Loisy necnon Lagrange. Quod primo quidem adspectu mirum videri potest, re tamen accuratius considerata commode intelligitur. Etenim si vel singula vocabula divinitus inspirata sint et tamen in hac externa ss. librorum forma propter deficientiam ss. scriptorum multiplex imperfectio vel defectuositas appareat, etiam ideae et sensa, quamvis omnia a Deo inspirata sint, a summa perfectione deficere et deficientiam humanorum scriptorum referre possunt. Ita Lagrange: „Hoc (propugnatio inspirationis verbalis) fit ad obtinendas motiones liberiores, monstrando exaggeratum esse pondus, quod ex inspiratione adscribatur sententiis, ut distinguuntur a verbis, quasi sententiae essent pure et simpliciter conceptus divini, sensa Dei, et sola verba effectus activitatis liberae auctoris . . . Distinctio tam fixa inter sententias et verba obstabat, quod obstaculum everti convenit, quia persaepe eaedem rationes valent de utrisque, ne nimis arcte constringatur origo et auctoritas divina ad significandam affirmationem divinam . . . Concedentes Deo partem suam quoad verba, voluimus homini reservare partem suam quoad sententias . . . Voluimus nos exhibere non strictiores sed laxiores quam Franzelin. Ipse renuntiavit affirmationi vocabula esse verba Dei, quia visum est ei difficile in iis recognoscere

illam perfectionem rerum immediate divinarum. Nos eandem libertatem pro sententiis postulavimus, unde inconveniens est, eas vocare sensa Dei, quippe quae expressio facile fieret exclusiva" (Revue biblique 1904, 293 ss.; cf. Pesch n. 454.).

2) *Proposita sententia examinatur.* — Imprimis circa 27.
hanc theoriam dicendum est, eam non re sed modo loquendi a sententiis supra relatis distingui, sed aut ad unam aut ad alteram reducendam esse videri. Videlicet illa facultatum naturalium scriptoris sacri elevatione singula vocabula in individuo aut determinantur aut non: si primum dicitur, theoria haec recentior cum sententia supra reiecta realiter coincidit atque iisdem fere inconvenientiis laborat; si alterum assumitur, eadem theoria ad sententiam negantem inspirationem verbalem realiter reduci videtur, vel ad summum dici posset, facultatibus elevatis i. e. influxu inspirativo simul et facultatibus naturalibus singula vocabula in individuo determinari. Iamvero, si res accuratius consideretur, haec statuenda esse videntur:

a) Per influxum inspirativum nequaquam in individuo 28.
singula vocabula neque constructiones neque generatim stilus vel elocutio determinata sunt. Ratio huius assertionis aperta est ex superiore tractatione; videlicet omnibus argumentis demonstratur, quibus supra antiqua inspirationis verbalis opinio reiecta est. Quare hoc loco sufficit aliquam notationem addere, quae rei ulterius declarandae et a difficultatibus muniendae inservit. Nimirum quamvis elocutionis et stili determinatio generatim charismati inspirationis tribuenda non sit, non ideo tamen sequitur, Deum inspirantem circa ea se indifferentem habuisse vel ea per se non intendisse; nam alio modo ea obtinere potuit. Sic si voluit, ut liber inspiratus potius lingua hebraica quam graeca conscriberetur, hominem linguae hebraicae gnarum graecae ignarum eligere potuit. Pari ratione genus dicendi et elocutionem determinare potuit charismate inspirationis ad hunc finem non adhibito; quod egregie ita explicat *Pesch*: „Voluit etiam Deus ut scriberentur libri prosaici, libri poëtici, libri prophetici, dialogi, epistulae. Numquid inspiratio contulit scriptoribus artem historicam, poëticam, epistolarem, numquid prophetis

contulit stilum vaticiniis convenientem? Sane Deus potest quemvis hominem ad quodvis opus litterarium eligere eumque ex inepto aptum reddere. Solet tamen communiter instrumentis rationalibus secundum eorum naturalem aptitudinem uti. Si voluit, ut ad praecepta artis poëticae elegans carmen componeretur, elegit virum ingenii poëtici. Si voluit per prophetam annuntiare laeta, elegit virum hilaris indolis: contra austerum ad annuntiandum tristia. Neque ingenium poëticum Davidis neque differentia inter Isaïam et Ieremiam quoad concipiendi et eloquendi modum inde derivanda sunt, quod Deus inspiratione fecit David poëtam, Isaïam alacrem, Ieremiam austerum prophetam: sed Deus hos viros elegit, et eorum naturales proprietates inspiratione elevavit et movit, ut hac ratione fierent libri, quales voluit. Unde quia libri prodierunt ex eorum facultatibus elevatis, etiam ex inspiratione prodierunt. Sed sicut theologi docent, actus salutares procedere secundum vitalitatem ex facultatibus hominum, secundum supernaturalitatem ex gratiae adiutorio, ita actus et opera hagiographorum processisse dicenda sunt partim ex eorum ingenio, partim ex inspiratione, non partialitate effectus, sed partialitate causalitatis. Sicut autem recte dicitur vitalitas non esse a gratia neque supernaturalitas a facultatibus humanis, ita non minus recte negatur specialem modum concipiendi et eloquendi esse ex inspiratione, quam divinitatem et auctoritatem scripturae esse ex humano ingenio auctorum. Etsi tota scriptura est et a Deo et ab hagiographis, tamen secundum alium respectum est liber inspiratus, secundum alium respectum ex ingenio et libera electione scriptorum humanorum processit" (n. 475.).

29. b) Hinc *secundo* dicendum esse videtur, *charisma inspirationis ne positive quidem influxisse regulariter in vocabulorum, constructionum, elocutionis determinationem.* Etenim ut iam supra dictum est, primo huius influxus nulla necessitas apparet: Deus scilicet auctor scripturae manet et scriptura recte a Deo inspirata esse dicitur, quamvis influxus inspirativus vocabula, dictiones, constructiones singulas non attigerit. Confirmatur, quia certe nemo dicet, influxum inspira-

tivum sese usque ad characterum formationem directe extendisse: quare ex eo, quod Deus auctor scripturae est, non consequitur influxum inspirativum ad omnia etiam materialia scripturae extendendum esse; ergo neque positivus ille influxus in singula vocabula, singulas dictiones et constructiones asserendus est. — Praeterea autem positive inconveniens apparet, influxum inspirativum tam late extendere. Etenim, ut obvia scripturae lectione manifestum est, plura in ea inveniuntur peccata contra leges grammaticae, stili et elocutionis: iamvero haec influxui inspirativo vel Deo inspiranti nulla ratione tribui possunt; secus enim dicendum esset, scriptorem sacrum ita defecisse, quia erat inspiratus; quod nemo dicet: ergo influxus inspirativus spectatis vocabulis et constructionibus necessario restringitur.

c) Itaque *tertio*, quod externam scripturae formam attinet, **30.** *assistentia divina supra statuta prorsus sufficit.* Cum autem haec assistentia per se sit negativa, per accidens aliquando positivum influxum dicere potest. Quandoque scilicet certa vocabula in individuo spectata a Deo propter peculiarem eorum aptitudinem intendi et propter deficientiam hagiographi ea secus non electuri inspirari potuerunt. Et *primo* quidem huc pertinent vocabula, in quibus tota quasi vis doctrinae vel argumentationis consistit: quale videtur esse v. g. vocabulum λόγος in scriptis S. Ioannis; vel etiam formula illa mysterium incarnationis tam concinne exprimens: *Et Verbum caro factum est,* huc pertinere videtur: idem probabiliter dici potest de formula, qua S. Paulus incarnationem expressit: „*Qui cum in forma* (μορφῇ) *Dei esset, . . . semetipsum exinanivit, formam* (μορφὴν) *servi accipiens et habitu* (σχήματι) *inventus ut homo*“ (Phil. 5. 7.); similiter formula baptismi aliorumque sacramentorum, vocabulum θεόπνευστος aliaque forte huc spectant. *Secundo* idem dicendum esse videtur de vaticiniis quibusdam vel etiam mysteriis, quae forte ipsi hagiographi non perfecte intellexerunt ideoque in delectu expressionum sibi relicti forte minus accurate expressissent.

3) *Argumentum quoddam recentioris illius explicationis* **31.** *inquiritur.* — Consideratis iis, quae hucusque notata sunt,

facile est iudicare de argumento principali et fere unico, quo patroni illius sententiae pugnant. Scilicet ex habitudine inter causam principalem et instrumentalem derivatur et hunc in modum a *Billot* proponitur: „Haec conclusio (verbalis inspirationis) nihil aliud est quam applicatio ad casum particularem generalis conditionis operum, quae per instrumenta efficiuntur. Quantumcunque enim excurras per omnia talium operum genera, ubique videbis sic subordinari causalitatem instrumenti causalitati agentis principalis, ut non sit assignare in effectu partes secundum rem distinctas, quae alterutri seorsum causae debeant vel possint adscribi. Sicut in scriptura materiali ex. gr. totum est a calamo, totum a scribente, et sic de aliis. Verumtamen in hoc ipso effectu realiter indiviso diversae apparent formalitates, quae aut propriae virtuti instrumenti aut virtuti eius solum instrumentali, adeoque in ultima analysi virtuti agentis principalis referuntur acceptae. Cogita . . . scripturam materialem, primo quidem secundum quod constat quibusdam lineis in atramento ductis, deinde vero secundum quod constat iisdem lineis recto ordine descriptis. Quorum primum refunditur in propriam calami virtutem, alterum in motionem a scribente derivatam, quamquam impossibile profecto sit, ut reali divisione hinc ponantur lineae, illinc vero artificiosa earundem dispositio. Et hoc ideo est, quia causa principalis et causa instrumentalis non se habent ut concurrentes, sed ut subordinatae. Quo fit, ut totus effectus indivisibiliter egrediatur e potentia instrumenti prout per principale agens mota et elevata. — Haec nunc applica scripturae sacrae, siquidem consentiens totius Traditionis testimonium nos edocuit, libros canonicos a Deo ut a principali, ab hagiographis vero ut ab instrumentalibus auctoribus habere originem. Totum proinde a Deo in eis est, tam quoad sententias, quam quoad verba sententiarum expressiva; totum quoque ab homine, tam quoad haec quam quoad illas; ab homine tamen nonnisi ut a calamo vivo, quo utebatur Deus. Hinc etiam ibi reperire est duas formalitates distinctas, secundum quod scriptura consideratur primo ut constans sententiis humano modo formatis et expressis, ut vere sint vi originis directus ad nos sermo Dei.

Quae duo proportionaliter se habent, sicut modo se habebant lineae attramentales ex una parte, et artificiosa earum in characteres et litteras distributio ex altera. Et cum haec satis per se pateant, non oportet in eis amplius immorari" (p. 58.).

R. Plura circa hanc argumentationem animadvertenda 32.
sunt, ex quibus eius inanitas satis manifesto prodit Et *primo* quidem eadem argumentandi ratione etiam demonstrari posset, formationem characterum quoque plus vel minus bellorum influxui divino inspirativo adscribendam esse, quod utpote satis absonum nemo dicet, ergo argumentum ex ratione causae instrumentalis derivatum, cum illo modo propositum nimium ideoque nihil probet, nonnisi caute et circumspecte hac in re adhibendum est. — *Secundo* scilicet Deus diversimode sacris scriptoribus in componenda scriptura tamquam instrumentis uti potuit; ergo ex eo, quod sacri scriptores instrumenta Dei erant, certus et determinatus modus, quo eos adhibuerit, deduci nequit. Sane quidem, etsi inspiratio verbalis nulla admittatur ideoque determinatio vocabulorum generatim et proxime hagiographis relinquatur, nihilominus hi quoad totam compositionem atque etiam quoad materialem scriptionem instrumenta Dei fuisse intelliguntur. Ratio est, quia praeterquam quod Deus in ipsa scriptione eis assistebat, ad hanc ipsam materialem scriptionem necnon ad electionem vocabulorum a Deo moti et determinati sunt. Hac enim ratione non autonome, sed tamquam instrumenta viva vel organa rationalia ipsius Dei egisse satis perspicue intelliguntur. Ergo ex ratione instrumenti inspiratio verbalis nulla derivatur. Hinc *tertio* comparatio inter scriptorem et calamum ex una parte atque Deum et sacros scriptores ex altera parte satis inepte urgeri intelligitur. Etenim imprimis, cum calamus sit instrumentum inanime et irrationale, sacri scriptores instrumenta viva et organa rationalia sunt; pro diversa autem hac natura et indole Deus infinite sapiens aliter his aliter illis utitur. Praeterea alia prorsus ratio est lineae eiusque figurae atque alia idearum earumque expressionum. Cum enim in concreto, a quo linea ipsa procedit, eius etiam figura necessario sit.

nihil prorsus obstat, quominus ab alio ideae, ab alio earum expressiones proxime procedant. Ergo illa comparatio inefficax et absona esse continuo intelligitur. — Quare denique *quarto* absurdi esse intelliguntur recentiores plures, qui sententiam supra propugnatam impugnantes eam ad instar vivisectionis esse clamant, qua ea, quae intime coniuncta sunt, scilicet inspiratio sententiarum et vocabulorum violenter ab invicem separentur. Videlicet id praecise quaeritur, num determinatio singulorum vocabulorum in individuo ad inspirationem pertineat. Id autem non meris verbis etiam facete dictis sed argumentis ostendendum est.

33. *Quaestio aliqua vel dubitatio hoc loco incidit de partibus scripturae poëticis.* Ex una enim parte, cum forma externa, ut metrum aliave similia per se intenta esse ideoque ad essentiam libri poëtici pertinere videantur, eae partes scripturae etiam quoad formam externam principali auctori Deo adscribendae ideoque verbaliter inspiratae esse videntur; ex altera parte haec earundem partium forma externa etiam magis quam aliarum partium tamquam fructum naturalem indolis ingeniive ingeniti scriptorum humanorum se exhibet, ita ut inspiratio verbalis exclusa esse videatur. — Iam ad hanc quaestionem respondendum esse videtur, neque illas partes quoad formam externam verbatim inspiratas esse atque nihilominus Deum earundem principalem auctorem manere. Ratio est, quia scriptores humani, etiamsi proprio marte formam externam, ut metrum singulasve expressiones elegerunt et determinarunt, hoc ipsum tamen praecedente vel comitante divina illustratione et motione necnon assistentia praestiterunt; quod sufficere videtur, ut in eo negotio simpliciter instrumenta divina fuisse perspiciantur; praesertim cum Deus omnium praescius ipsa electione personae ad munus sacri libri scribendi etiam ipsum genus vel formam externam libri mediate determinare posset. Si vero haec explicatio sufficere non videatur, ad hanc quaestionem solvendam illa recentior inspirationis verbalis explicatio utiliter forte adoptari queat.

2. De ordine, quo res inspiratae referuntur. 34. — Aliqui auctores fusius inquirunt, num etiam ordo et dispositio rerum scriptarum directe a divina inspiratione attingantur; verum haec quaestio breviter expediri potest. Nimirum considerandum est, utrum spectatis natura, indole, fine libri haec per se intenta sint ideoque ad essentiam libri pertineant, an vero per se intenta non sint ideoque potius ad partem materialem referenda sint. In primo casu, ut v. g. obtinet in libris stricte chronologicis, ordo et dispositio rerum coincidunt cum rebus vel sententiis assertis ideoque directe inspirata sunt; in altero vero casu ad modum dicendi spectant ideoque secure ad solam assistentiam divinam referri possunt. Iamvero saepenumero ordo, quo etiam eventus et facta in scriptura referuntur, nihil ad scopum essentialem libri pertinere facile intelligitur. Apposite iam *Augustinus* Marcum et Lucam evangelistas cum invicem conferens: „Quid autem interest, quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante praeoccupat, dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi nec alteri? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optime fideliterque res cognitas, quo quisque ordine recordetur, satis probabile est, quod unusquisque evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quae narrabat eius recordationi suggerere, in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive ille sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicae. Cur autem Spiritus Sanctus . . . alium sic alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quaesiverit, divinitus adiutus poterit invenire. Quapropter, ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit; ubi autem apparet, si quid moverit, quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum et emendandum est“ (De cons. ev. l. 2. n. 27. 28.).

3. De dispositionibus et dotibus naturalibus scriptorum inspiratorum. 35. — Ut ex praecedenti tractatione satis patet, sacri scriptores in scripturae libros conficiendos influxerunt non meris viribus supernaturalibus infusis,

sed ipsis viribus suis et facultatibus naturalibus divinitus elevatis et determinatis. Id enim primo inde manifestum est, quod ss. scriptores a Deo tamquam instrumenta ad sacros libros conscribendos adhibiti sunt, instrumenta autem praecise viribus suis et facultatibus naturalibus a causa principali motis et elevatis ad effectum operantur; secundo vero idem ex ipsa inspectione sacrorum librorum satis luculenter patet, quippe qui dispositiones, indolem, facultates naturales scriptorum suorum humanorum manifesto redolent. Iamvero si quaeratur, cuiusnam rationis hic dispositionum et facultatum naturalium scriptoris humani in librum inspiratum influxus sit, duplex eiusmodi iam supra indigitatus hic vero expresse discernendus est influxus, alter positivus alter negativus.

36. 1) *Influxus positivus* attentis iis omnibus, quae circa extensionem inspirationis dicta sunt, non quidem terminatur ad res ullas vel ideas inspiratas, sed ad modum easdem eloquendi vel etiam concipiendi restringi intelligitur. Considerandum autem est, quam latissime pateat hic influxus, utpote ex quo magnam partem illa tanta librorum sacrorum diversitas derivatur. Item considerandum est non solum ingenitam indolem et dispositionem naturalem, sed vitae quoque consuetudinem et quotidianam occupationem in modum concipiendi et eloquendi multum influxisse: hinc v. g. opportune notat Hieronymus, Amos prophetam illustrationes et imagines rerum dicendarum ex vita et consuetudine pastorali derivasse: „Naturale est, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat: v. g. qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem et laetitiam, auram placidissimam, et secundos nominat ventos, tranquilla maria et aequora, campi similia . . . Cur haec dicta sunt? Ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit . . . artis suae usum esse sermonibus: ut vocem Domini terribilem et metuendam, rugitum leonum et fremitum nominaret: eversionem Israëliticarum urbium, pastorum solitudini et ariditati montium comparans“ (cap. 1,

in illud: *Dominus de Sion rugiet.* cf. S. Thomas, Qq. disp. 12. a. 4. ad 1.; 2. 2. q. 173 a. 2. ad 1.).

2) *Influxus negativus* in ipsas res et ideas inspiratas termi- 37.
natur atque in eo invenitur, quod Deus inspirationem dispositionibus et dotibus naturalibus scriptoris humani attemperans res et ideas inspiret cum individua indole, concreta habitudine et naturali cognitione eiusdem magis connexas vel cognatas. Quod Deus sapienti sane consilio facere intelligitur, cum ea ratione id obtineatur, ut libri sacri certae et determinatae aetatis, regionis, personae notas quasi impressas habeant atque ita semetipsos authenticos exhibeant. Ex hac inspirationis ratione etiam intelligitur, sacros libros etiam quoad ipsas res et ideas, quamvis infallibiliter veri sint, summum tamen perfectionis apicem non attingere, sed limitationem quandam perfectionis prae se ferre. Atque huc pertinet haec S. Augustini de Ioanne Evangelista notatio: „Forsitan nec ipse Ioannes dixit, ut est, sed et ipse ut potuit, quia de Deo *homo* dixit et quidem inspiratus a Deo, sed tamen *homo*. Quia inspiratus dixit aliquid: si non inspiratus esset, dixisset nihil; quia vero *homo* inspiratus, non totum quod est dixit, sed quod potuit *homo* dixit" (Tract. 1. in Ioan. n. 1.).

4. De sacrae scripturae eloquentia. — Sacris 38.
libris singularem quandam et propriam eloquentiam vel perfectionem litterariam convenire, non solum a SS. Patribus atque ecclesiae doctoribus praedicatur, sed etiam a viris litteratis christianae religioni non addictis agnoscitur. Ut autem perspiciatur, qualis sit haec scripturae proprietas vel perfectio, *duplex discerni potest eiusdem eloquentia; altera* eidem cum operibus litterariis profanis communis est et in stili perfectione et elegantia vel in modo dicendi ornato et expolito invenitur; et haec quidem eloquentia non omnibus, sed pluribus scripturae partibus ita convenit, ut sub hoc respectu ab ullo opere litterario vix superetur. *Altera* autem eloquentia scripturae propria est et omnibus eiusdem partibus plus minusve convenit; eadem vero ex duplici capite provenit: et *primo* quidem scriptura veritates, ideas, sensa proponit, quae sua vel sublimitate et pulchritudine, vel profunditate et gravitate,

vel simplicitate et facilitate, vel congruitate et iucunditate animum lectoris suaviter, dulciter, salutariter afficere soleant: *secundo* vero haec omnia eo modo vel sublimi et sollemni vel plano et facili vel profundo et gravi vel terso et conciso exponit, ut tum docti tum indocti omnium aetatum et regionum scripturae lectione pascantur et delectentur.

39. Iamvero *non illam primam sed hanc alteram imprimis eloquentiam SS. Patres scripturae adscribunt et vindicant.* Ita praesertim *Augustinus* iteratis vicibus: „Scriptura sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos teneat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat" (De gen. ad litt. c. 3. n. 6.). Et alibi: „Ubi eos intelligo (ss. scriptores), non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem iuvenilem decet, est, quae senilem, nec iam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis, ita est quaedam, quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate sed soliditate transcendit" (De doctrina christ. l. 4. c. 6.). Et ibidem paulo inferius: „Neque enim haec humana industria composita, sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter, non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Si enim sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea, quae velut oratoria arte discuntur, non observarentur et notarentur et in hanc doctrinam non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis, quid mirum, si et in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia? Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia, qualis personis eiusmodi congruebat." Denique iterum ibidem. „Et in quibus forte locis agnoscitur a dictis (eloquentia), tales res dicuntur, ut verba, quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis

rebus velut sponte subiuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est pectore sapientis procedere intelligas, et tamquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam."

Cum haec sit scripturae eloquentiae ratio et indoles, **40.** facile ex superiore tractatione deducitur, *quatenus ea scripturae perfectio inspirationis charismati et quatenus naturali scriptorum sacrorum ingenio tribuenda sit.* Videlicet *primo,* quod attinet illam eloquentiam, quae aliquibus solum scripturae libris cum pluribus operibus profanis communis est et maxime in stili perfectione et elegantia et in modo dicendi ornato consistit, ea non inspirationis sed naturalis ingenii et industria scriptoris humani fructus est; assistentia tamen illa divina supra statuta neque hic excludenda est. — *Secundo* eloquentia autem scripturae propria, quatenus ex ideis et sensis inspiratis derivatur, sicut haec ipsa effectus immediatus divinae inspirationis esse continuo intelligitur. — *Tertio* eloquentia scripturae propria, quatenus ex peculiari dicendi modo supra definito provenit, satis explicari videtur ex peculiari directione et assistentia, quae supra tamquam inspirationis elementum statuta est; haec enim assistentia et directione mens scriptoris in eligendis vocabulis, constructionibus, dicendi modis ita manuducitur, ut minus aptas et incongruas relinquens eas adhibeat, quibus divinae ideae et sensa magis apte et congrue et accommodate tum ad auctorem principalem et secundarium tum ad materiam tum ad lectores homines scilicet omnium regionum et temporum exprimantur. — *Quarto* considerandum est, cum tertia assertione componi atque in ea includi, plura, quae formam scripturae externam spectant, a Deo inspirante in individuo determinata esse. Huc pertinere videntur graviores et magis fundamentales sententiae necnon praesertim multae allegoriae, metaphorae, parabolae, quibus saepe efficacissimo modo fundamenta doctrinae christianae proponuntur. Exempla praesto sunt, sic v. g. ecclesia tamquam sponsa Christi electa, corpus Christi mysticum Spiritu Sancto animatum, templum Dei sanctum necnon aedificium supra petram fundatum exhibetur:

imprimis parabolae Christi pulcherrimae sane sunt et hac in re excellunt. Etenim, quamvis hae metaphorae, allegoriae, parabolae potius ad externam formam scripturae spectent et ideae iis expressae etiam alio modo exprimi queant. nihilominus propter singularem aptitudinem et efficaciam, quam habent, a Deo per se intentae ideoque directe inspiratae esse videntur. Similiter forte de aliis dicendum et generatim tandem in fine notandum est, limites inspirationis ab humana intelligentia accurate circumscribi non posse.

Articulus quintus.

De absoluta scripturae inerrantia.

Thesis 15. **Sacra scriptura ab omni quidem errore absolute immunis est verumtamen non eadem sed diversa diversis eiusdem partibus vel sententiis quoque veritas convenit.**

Declaratio.

1. ***1. Argumentum praesentis articuli.*** -- Cum in praecedenti articulo satis fuse de extensione inspirationis tractatum sit, agenda iam est quaestio item gravis de inspirationis intensitate vel effectu, qui in absoluta scripturae inerrantia continetur: haec enim questio cum priore arctissime cohaerere atque ex ea sponte consequi continuo intelligitur. -- Inprimis autem cum veritas triplex sit: ontologica, moralis, logica; considerandum est, veritatem scripturae, quae hoc loco in quaestionem venit, principaliter esse inerrantiam vel veritatem logicam, quae proprie in iudicio invenitur; in eo scilicet est, quod assertiones obiecto suo conformes sunt vel quod affirmatur quod est et negatur quod non est; quare tamquam oppositum suum errorem quemvis excludit, utpote qui in difformitate assertionis ab obiecto consistit sive quo

negatur, quod est vel affirmatur, quod non est; unde manifestum est de veritate vel de errore sermonem esse non posse, nisi de assertionibus vel de iudiciis agitur. Insuper vero notandum est, scripturae veritatem sive inerrantiam tribui absolutam, quatenus scilicet non solum de facto a quovis errore vacat, quod etiam in libro humano ceterum propter hominis fallibilitatem errori exposito contingere potest, sed de necessitate et infallibiliter quemvis errorem excludit. Denique animadvertendum est, sicuti supra in quaestione de inspirationis extensione ita etiam in hac de veritate scripturae quaestione spectari non apographa vel versiones scripturae, sed eiusdem autographa sive ipsos primigenios libros sacros, prout e manibus hagiographorum prodierunt.

2. ***Diversae de inerrantia scripturae doctrinae vel sententiae.*** — *Ecclesia catholica* communi semper et unanimi consensu universalem scripturae inerrantiam professa est et vindicavit, ita ut spectatis decretis magisterii ecclesiastici supra iam adductis necnon universali praedicatione inerrantia scripturae in rebus fidei et morum tamquam dogma catholicum, immunitas vero ab erroribus in ceteris rebus ad fidem et mores non pertinentibus tamquam doctrina catholica fidei proxima habenda sit. 2.

Protestantes primo post suam ab ecclesia defectionem absolutam scripturae inerrantiam tamquam firmissimum fundamentum defenderunt, quo nisi doctrinam catholicam facile expugnare posse sibi videbantur. Sed iam medio saeculo 18. apud ipsos invaluit et decurrente saeculo 19. praevaluit rationalismus biblicus, cuius asseclae sicuti aliorum dogmatum ita etiam inspirationis nomen quidem retinent, rem ipsam autem penitus e medio sustulerunt; atque sacros libros tamquam libros mere humanos considerant et tractant et dilacerant. Hinc vero errores in scriptura inveniri non solum res profanas sed etiam res fidei et morum spectantes concedunt et propugnant. Contra rationalistas orthodoxi pauci inerrantiam scripturae in rebus fidei et morum et adhuc pauciores universalem eiusdem inerrantiam tueri conantur, sed a Rationalistis vituperantur et deridentur, quod ea ratione a principio

fundamentali Protestantismi, scilicet a libera et independenti scientia deficiant et pro papa vivo papam papyraceum statuant.

3. Post concilium Vaticanum demum etiam *catholici quidam* difficultatibus ex scientiis naturalibus et historicis moti et territi in titubationem quandam circa scripturam inciderunt atque in ea errores quoad res profanas inveniri concesserunt et defenderunt. Ita v. g. *Salvatore di Bartolo* totam quidem scripturam inspiratam esse, sed alium et minorem inspirationis gradum partibus scripturae de rebus profanis tractantibus, quam illis, quae de rebus fidei et morum agunt, sine haesitatione tribui posse et deberi asseverat; quare scripturam in rebus quidem fidei et morum et aliis cum his essentialiter connexis infallibiliter veram esse, in ceteris autem aequivocationes necnon errores continere aperte statuit. Similiter *Franciscus Lenormant* scripturam totam quidem inspiratam esse, sed solum in rebus fidei et morum normam infallibilem praebere, in ceteris vero fabulas, mythos, errores continere audacter contendit: ita v. g. genesin non veram historiam sed potius mythum exhibere cum quibusdam elementis historicis compositum, qui ideis religiosis in se veris tamquam vehiculum inserviat, atque tabulas ethnographicas errores continere aperte asseverat. Cum autem opera, quibus Bartolo et Lenormant suas illas opiniones proposuerunt, in indice librorum prohibitorum notarentur, opinionem a Lenormant paulo temperavit et mitigavit *D' Hulst*, rector universitatis catholicae Parisiensis, ita tamen, ut et ipse errores scripturae in rebus profanis admitteret. Secundum ipsum scilicet scriptura non solum infallibilis est, ut ecclesia, sed etiam inspirata. Quamvis autem inspiratio ad omnia extendatur, fortasse non omnibus dictis sacri scriptoris infallibilitatem confert, sed hoc privilegium forte solis dictis de fide et moribus reservatum est. Alia vero enuntiata forte solum tamquam vehiculum doctrinae de fide et moribus adsunt. Hinc igitur forte Deus inspirator, qui etiam in tali casu errores materiales scriptoris sacri corrigere potuit, hoc facere utile non iudicavit . . . Quaestio non est, num in scriptura historia inveniatur (hoc enim certissimum est), sed num omnia ea, quae in hac collectione divina

historica videntur, sint historia revelata vel saltem per inspirationem testificata . . . Errorem quidem inspiratio excludit, in quantum Deo imputari posset, non autem in quantum aliquid a sacro scriptore commissum esset. Deus igitur inspirans, quando scriptor inspiratus documentis utitur, intervenire non debuit ad corrigendas earum imperfectiones et minus recte dicta, nisi in quantum contra finem dogmaticum et moralem inspirationis offenderent. Elementum humanum divino elemento subordinatum in compositione ss. librorum semper admissum est; si autem Spiritus Sanctus generatim defectus permittere potuit, non apparet, cur defectus in narrationibus historicis, in quantum fidem et mores non spectant, admittere non potuerit. Si ad solas veritates religiosas infallibilitas ex inspiratione oriunda extenditur, gravissimae difficultates contra scripturam moveri solitae continuo cessant. — Iamvero has ipsas de scripturae veritate opiniones tamquam falsas et ab antiqua et constante fide ecclesiae alienas clare notavit *Leo XIII.* in sua encyclica *Providentissimus Deus* (1893) easque sine ambagibus et fortiter reiecit ac reprobavit: „Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem." Atque hinc inter theologos, qui catholicum nomen fidemque catholicam retinere volunt, nemo iam invenitur, qui scripturae formalem errorem in quacunque re tribuere audeat.

Neque tamen encyclica illa Leonis XIII. eum effectum habuit, ut omnes inter catholicos de scripturae veritate controversiae sopirentur et cessarent. Imo vero licet omnibus in universalem scripturae inerrantiam formalem convenientibus acris controversia orta est et etiam nunc viget circa quaestionem, qua ratione singulae scripturae sententiae veritatem habeant num absolutam an relativum, vel num cum formali scripturae inerrantia materiales errores componi possint, vel quaenam scripturae sententiae rationem formalis assertionis habeant et quaenam potius ad modum dicendi pertineant. Atque haec quaestio gravis simul et difficilis catholicos in duo castra dividit, alterum eorum, qui liberius, alterum illorum, qui strictius inerrantiam scripturae interpretantur. Inter priores 4.

inveniuntur Lagrange, Prat, Hummelauer, Zanechia. — Horum igitur opiniones paucis exponere iuvat.

5. *Lagrange* haec circiter statuit: Scriptura quidem, utpote divinitus inspirata, nullum omnino errorem docet, verumtamen ad veritatem scripturae cognoscendam magnopere cavendum est, ne verbis eiusdem unquam alium sensum litteralem supponamus nisi eum, quem scriptor sacer novit et exprimere voluit. Etenim Deus quidem scriptura nos infallibiliter docet: sed non immediate verum mediate per sacros scriptores docet ideoque non docet, nisi quae sacri scriptores docent: hi autem ipsi nihil docent, nisi quae docere volunt. Hinc igitur, ut de doctrina vel de assertionibus scripturae nobis constet, intentio scriptoris sacri inquirenda est; qua demum cognita intelligitur, quaenam propopositiones a scriptore sacro affirmentur vel categoricae sint: in his scilicet solis veritas vel error invenitur. Porro non omnes propositiones categoricas esse manifestum est: sic v. g. si in compendio philosophico tamquam exemplum propositionis contingentis ponatur: Petrus occidit Paulum, certe nequaquam veritas historica huius propositionis affirmatur neque igitur categorica est: unde neque de veritate vel falsitate historica eiusmodi propositionis sermo esse potest. In scriptura igitur omnes propositiones categoricae verae sunt, sed in eadem non plures inveniuntur propositiones categoricae, quam in aliis eiusdem generis libris, quia ut dictum est, propositiones categoricae non sunt, nisi quas ut tales scriptor affirmare vult. Iamvero, quod est principium criticae litterariae, de intentione scriptoris ideoque de propositionibus categoricis ab ipso affirmatis non aliunde iudicandum est, quam ex genere litterario, quod scriptor elegit et adhibuit. Sub hoc autem respectu libri sacri eadem ratione considerandi sunt, qua libri profani considerantur; atque hinc libri sacri secundum externam formam historici sicuti libri profani eiusdem formae ad triplex genus revocari possunt. Alii scilicet narrationes fictas continent atque vel ad meram delectationem vel ad veritatem non historicam, sed didacticam inculcandam ordinantur. Alii historiam proprie dictam proponunt atque in iis ipsa facta veritatem historicam habeant oportet. Neque tamen in his

ipsis libris proprie historicis minutissima accuratio materialis quoad omnia necessaria est, sed formalis accuratio vel substantialis dictorum et factorum veritas intenta est et sufficit; minuta quaedam non tamquam propositiones categoricas, quas Deus docet, sed tamquam ornamenta potius ad modum dicendi pertinentia consideranda sunt vel ad pingendam veram illius aetatis vel hominum illorum imaginem inserviunt, etsi non omnia in concreto et individuo in determinato homine congesta fuerint. Alii libri sacri historiam primitivam proponunt, quae media est inter fictam et proprie dictam; in eiusmodi historia primitiva, qualem proponit liber genesis elementa historica simul cum narrationibus fictitiis coniuncta et commista sunt. Hinc narratio genesiaca quoad substantiam quidem vera est; sed quod plures circumstantias relatas attinet, de veritate vel errore formali sermo esse non potest, utpote quas sacer scriptor propositionibus categoricis affirmare non intendit; verum tamquam metaphorae vel allegoriae vel accommodatio hebraica traditionis oralis considerari possunt; quare eaedam circumstantiae potius vestimentum vel vehiculum veritatis sunt, quam veritates, quae propter se docentur. Scriptor autem sacer utens sive documentis sive traditionibus oralibus incertis infallibilitate gaudet, qua tum ab omni errore formali in suis affirmationibus praeservatur tum iuvatur, ut convenientibus metaphoris nationalibus et popularibus ea recte proponat, quae proprie docere vult. Atque haec est quoad substantiam theoria de inerrantia s. scripturae a Lagrange proposita; addendum solum est, quod insuper docet, nihil obstare, quominus liber inspiratus vel anonymus, vel pseudonymus, vel a pluribus auctoribus compositus esse possit.

Non absimilis est theoria, quam statuit *Prat:* Secundum 6.
ipsum imprimis ponderandum est, Deum per scripturam non velle docere res profanas ad salutem non profuturas; quod etiam de libris historicis scripturae valet. Praeterea etiam quod libros scripturae historicos attinet, maxime genus litterarium, ad quod spectant, sedulo considerandum est: nullum enim genus historicum a priori ex scriptura excludendum est; scilicet scriptores sacri sicut alii ex ingenio, imaginatione,

corde, toto animo suo scribunt atque per vices oratores, historici, poëtae, philosophi sunt. Iam quod genera historica attinet, tria eiusmodi genera etiam in scriptura discerni possunt: mera compilatio, elaboratio, genus inter haec duo medium. Compilator solum documenta colligit et unum post alterum posita lectori exhibet. Elaborator autem e documentis collectis, examinatis, ordinatis novum opus conficit eoque sua sensa de factis et eventibus proponit. Medium genus tunc habetur, quando scriptor secundum suum finem et intra certos limites ex documentis alia omittit alia proponit et in ceteris tamquam elaborator agit. In hoc vero tertio genere fontes adhibiti indicandi sunt, nisi omnibus iam noti sint, atque, quae ex ipsis hausta sunt, a propriis scriptoris sensis discernantur oportet. Porro notandum maxime est, quoad modum allegandi mores hominum fuisse et esse diversos diversis locis et temporibus. Iam hac in re scriptores hebraei in peiore conditione, quam scriptores graeci et latini fuerunt: cum enim hi terminis: *dicitur*, *traditur*, *fertur* vel oratione indirecta sive certis modis verbalibus dubitationem exprimere vel fidem rerum narratarum a se in fontes suos remittere possent, semitae eiusmodi formulis loquendi carent atque omnia etiam subordinata coordinant, directa oratione enuntiant necnon, quod connexum est, internos conceptus tamquam externum sermonem exhibent. Unde sequitur, accurate considerandum esse, num ss. scriptores tantum referant vel allegent, an potius categorice aliquid affirment. Nam quando sacer scriptor aliorum verba refert vel allegat, eadem sua non facit, nisi explicite vel aequivalenter ea approbet: secus enim solum ea ab alio dicta non autem vera esse affirmat: accurate autem inter citationem et rem citatam, inter huius et illius veritatem discernendum est. Itaque, quemadmodum ss. scriptores in referendis verbis vel factis moralibus ab omni iudicio de eorum moralitate abstinent, ita etiam citant vel allegant multa ita, ut de eorum veritate vel falsitate nullum iudicium proferant. Insuper vero citationes implicitae multae vel plures in scripturis inveniuntur, i. e. plura ex aliis auctoribus exscribuntur tacito nomine eorum

vel nulla facta formali citatione vel commemoratione eorum auctorum. Cuiusmodi citationes implicitae multae videntur exstare in libris praesertim veteris testamenti et eo plures quidem, quo antiquiores libri sunt vel antiquiora tempora, de quibus agunt. Porro tales citationes implicitae ab aequalibus illorum scriptorum facile cognosci potuerunt, quippe documentis, ex quibus desumpta erant, adhuc exstantibus: nunc vero multo difficilius et saepissime nonnisi probabiliter vel coniecturando discerni possunt, nonnunquam vero res manifesta est, ut patet v. g. ex Esr. 2. et Neh. 2. coll. Neh. 7, 5. et Luc. 3, 36. Itaque quando de scripturae innerrantia agitur, gravissima et principalis quaestio est, quid sacer scriptor ipse affirmet, quid vero solum citet vel proponat ut ab aliis relatum; nam quod haec citata attinet, scriptor sacer, sicut scriptores profani, spondet quidem de veritate citationis, non autem necessario etiam de veritate rei citatae spondet. Ut vero illa discretio vel inquisitio recte fiat, iterum diligentissime ad genus litterarium attendendum est.

Etiam theologus aliquis dogmaticus, *Zanecchia*, huic novae 7.
scholae exegeticae se adiunxit; ipse imprimis vestigiis confratris sui Lagrange insistens ita rem exponit: Cum Deus in sacra scriptura solum id doceat, quod hagiographus intendit ac docere vult, ex mente et voluntate hagiographi omnia, quae veram scripturae intelligentiam respiciunt perpendi debent. Hinc cognosci debent, quantum fieri potest, tum status animi ipsius hagiographi, tum status quem scientiae naturales illo tempore habebant, tum documenta, traditiones, legendae, figurae rethoricae orientales, quae illo tempore illoque loco in usu erant; nam sacri scriptores secundum culturam, conceptus, intelligentiam illius aetatis scribebant. Hinc vero, quia aetas illa satis remota a nobis est, difficulter saepe sensus scripturae eruitur. Itaque tamquam principium ad scripturam intelligendam eiusque veritatem inveniendam statuendum est, omnia quidem et singula, quae ab hagiographo docentur, divinitus inspirata et vera esse, non tamen absolute, i. e. omnibus modis, sed illo peculiari modo, quo ab hagiographo intenduntur ac docentur. Hinc imprimis investigandum est,

an sententia aliqua ab hagiographo directe doceatur, an solum ad aliquid aliud docendum adhibeatur; in primo casu sententia eadem absolute et intrinsecus inspirata et vera est, in altero casu relativam solum veritatem habet, scilicet non in se, sed in ordine ad aliam veritatem directe et in se intentam illustrandam vera est; quod de methaphoris, parabolis, similibus patet. Hinc pariter in libris historicis scripturae sub forma historica non semper vera historia factorum eorumque chronologicus ordo reperitur, quia scopus hagiographorum non erat ubique veram historiam humanarum rerum tradere, sed historicis notionibus, prout in vulgo erant, communiter utebantur ad religiosas et morales veritates docendas. Qui igitur in sacra historia accuratam veramque notitiam rerum praeteritarum ubique reperire praesumit, non historicam veritatem sed historicos errores invenire periclitatur, qui tamen non Deo neque hagiographo, quippe eos non docentibus, sed lectori ipsi adscribendi sunt. Praeterea nihil obstat, quominus scriptor sacer ad ostendendam rerum creationem usus sit documentis et traditionibus, in quibus rerum eventus plus vel minus poëtica descriptione narrantur. Sic narrationes in primis genesis capitibus exhibitae veridicae quidem sunt quoad eventuum radicem, sed in earum forma descriptiva poëtica orientalis facile notatur. Hagiographus vero narrationes illas ex traditione populari accepit easque in sacros libros ad docendam et illustrandam veritatem creationis retulit: et bene quidem atque modo consentaneo ita processit, quia secus rudis populus vulgaribus traditionibus assuetus eum non intellexisset neque fidem ei exhibuisset. Tota igitur scriptura divinitus inspirata est atque vera: sed qua veritate, num litterali vel relativa, perpendi debet perspicaci sanaque critica, attendendo ad modum, quo antiquitus traditiones impertiebantur. Si enim hodie quamplura media ab hagiographis adhibita in religiosa instructione tradenda, parum vel nullimode apta nobis esse videntur propter scientiarum naturalium progressum nostrasque habitudines, irrationabiliter inepta fuisse iudicarentur tempore ac loco, quo sacri libri conscripti fuerunt. Nec progressus naturalium scientiarum infirmare in nobis valet venerationem erga scrip-

turam, sicut apud rationalistas ac Protestantes contingit, quinimo influit ad maiorem scripturarum intelligentiam ac venerationem. Cum enim verum nunquam vero opponatur, si ex naturalibus scientiis aliquid certum et evidenter oppositum alicui biblicae assertioni resultat, signum est biblicam illam assertionem non in se absolute ac separatim accipiendam, sed alio sensu et relative ad alia, quae ab hagiographo traduntur, intelligendam ac interpretandam esse. Quapropter si male ac iniuste rationalistae agunt despiciendo scripturam propter praesumptos errores contra scientiarum naturalium pronuntiata et contra accuratam historiam, quasi scriptura inspirata ac ordinata esset ad naturales illas veritates docendas, non laudabiliter se gerunt exegetae ac apologistae catholici, dum scripturarum textus violenter contorquent, ut illos cum vera historia et scientiis naturalibus concilient, volentes scriptores sacros docuisse id, quod docere minime intendebant.

Ut igitur concludamus, narrationes biblicae neque omnes historicam veritatem habent neque omnes historica veritate destitutae sunt, et quamplures in eis inveniuntur, in quibus fundamentum designat veridicum historicum factum, forma vero et circumstantiae, quibus traditur, ex poëtica actione proveniunt. Similiter omnes biblicae assertiones veritatem continent, haec tamen neque semper absoluta est, neque ubique relativa manet, sed in aliquibus absoluta est et in aliis relativa. Vera itaque intelligentia scripturae maximam eruditionem requirit; ubi vero haec non sufficit, exspectandum est iudicium ecclesiae, cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione scripturarum" (Scriptor sacer 84. ss.).

8. Tandem *Hummelauer* opiniones a Lagrange, Prat aliisque propositas uno conspectu exhibuit atque in unum systema fere composuit in opusculo: Exegetisches zur Inspiration. Denique cum auctoribus relatis in explicandae scripturae veritate quoad substantiam vel saltem magnam partem convenit *Loisy;* scilicet imprimis ipse multis scripturae partibus indolem historicam hucusque ipsis tributam denegat atque generatim maxime veritatem scripturae relativam sive ut ipse dicit „oeconomicam" urget; insuper vero ceteros illos theo-

logos audacia sua excedit atque in apertos errores prolapsus est, quales sunt praesertim: *primo* aliquid posse esse dogmatice verum et historice falsum; *secundo* veritates scientificas absolutas et immutabiles non esse.

9. Iam diversis opinionibus vel explicationibus relatis *summa novae de scripturae veritate doctrinae* his contineri intelligitur. *Sedulo et accurate discernenda sunt ab invicem primo* veritas absoluta et veritas relativa; *secundo* error formalis et error materialis; *tertio* ea, quae ipsi sacri scriptores dicunt, et ea, quae ut ab aliis dicta referunt: *quarto* veritas historiae stricte dictae et veritas aliorum generum litterariorum; *quinto* denique modus criticus scribendi historiam et modus antiquorum, imprimis Semitarum, referendi eventus historicos. Hinc non omnibus scripturae sententiis veritas absoluta convenit, sed plures solum veritatem relativam habent: item in scriptura non quidem errores formales inveniuntur, sed errores materiales ab ea excludi nequeunt neque debent, utpote qui a scriptura non docentur ideoque cum eiusdem inerrantia non pugnant. *Porro tripliciter eiusmodi error materialis occurrere potest*: *primo* potest esse error in locutionibus metaphoricis, poëticis, rethoricis, imo etiam typicis: eiusmodi error materialis est, quia non asseritur, sed ad modum dicendi pertinet. *Secundo* error esse potest in iudiciis vel dictis aliorum relatis ideoque in mythis, legendis, traditionibus popularibus, quas ss. scriptores referunt: eiusmodi relationes tunc formaliter verae sunt, quatenus veritatem citationis habent vel vehiculum doctrinae propositae sunt: materia relata falsa est, sed a scriptura neque asseritur. *Tertio* error contineri potest in consuetis loquendi formulis, ut v. g. sol oritur vel occidit; eiusmodi tamen loquendi formulae formaliter verae sunt, quia loquens res exhibere intendit, prout sensibiliter apparent, non prout in se sunt. Similiter, qui dogma aliquod ex traditione probare intendens testimonium Prosperi tamquam Augustini dictum refert, materialem quidem, non autem formalem errorem committit. Quibus simul sumptis praesens de inerrantia scripturae quaestio ex opinione illorum auctorum adaequate soluta est.

Ex adverso autem *alii theologi catholici tum dogmatici* **10.** *tum exegetae traditioni arctius insistentes* recentes istas theorias in specificis suis assertionibus, quatenus scilicet novae prorsus et priori theologiae essentialiter opposita placita sectantur et propugnant, tamquam falsas, periculosas imo perniciosas penitus reiiciunt et explodunt; ita v. g. Billot, Schiffini, Egger, Fonck, Dellatre, Murillo et alii plures. Multis vero argumentis easdem theorias impetunt earumque falsitatem demonstrare conantur; maxime vero aliis praetermissis opponunt, quod *primo* cum antiqua et constanti traditione pugnent, quod *secundo* non re et sensu sed verbotenus et apparenter tantum differant ab erroribus a magisterio ecclesiastico notatis et reiectis, quod *tertio* vel falsis principiis innitantur vel ex veris principiis falsas conclusiones perperam deducant, quod *denique* iisdem tota scripturae inspiratio atque infallibilis veritas in discrimen vocetur imo diruatur. Audiatur v. g. *Billot* principia quaedam illarum theoriarum impugnans et refutans: „Principium primum: Quod scriptores biblici nec plus nec minus auctores sunt, ac alii quicunque scriptores profani. Falsum est et falsum erit quamdiu causa instrumentalis non ponetur in eodem gradu causalitatis cum causa principali . . . Principium secundum: Quod ad scriptores biblicos pertinebat determinare litterarium genus librorum suorum. Falsum est et falsum erit, quamdiu ad auctorem principalem spectabit assignare speciem veritatis quae in libro proponenda et quaerenda est . . . Principium tertium: Quod nulla est forma litteraria apud homines recepta, quam respuat inspiratio Spiritus Sancti. Falsum est, si intelligitur de formis litterariis, quas ipsi fingunt, praecipue vero de ineffabili illa forma litteraria historiae orientalis . . .“ (De inspiratione s. scripturae c. 4. § 2. n. I.) Audiatur etiam *Schiffini* ruinosa consectaria ex istis theoriis promanantia notans: Notabo solum duo alia gravissima incommoda, quae per se inde consequuntur. Primum illud est, quod in hac hypothesi (historicae apparentiae) conceditur tandem, ad facta historica, quod attinet, narrata in sacris libris, totum id quod rationalistae contendunt. Palmare enim

istorum postulatum in eo est, ut tamquam mythi relegentur facta quae a communi et naturali cursu rerum exorbitant. Id solum differt inter methodum historicae apparentiae et methodum rationalisticam, quod rationalistae se exhibent quales sunt et aperte dicunt, quod sentiunt, dum in altera methodo velatur verbis quod reipsa sustinetur. Haec itaque methodus errori mendacium addit. Alterum incommodum, illudque sane gravissimum, illud est, quod si haec methodus transferatur ad novum testamentum, iam actum est de evangeliis, siquidem ipsa quoque ad fabulosas legendas essent amandanda, neque aliud exprimerent nisi mentalitatem sive modum opinandi primorum christianorum, non exprimerent obiectivam realitatem eorum quae in evangelio narrantur seu facta et dicta a Christo Domino. Parilis est enim utrobique ratio et Loisy in libris ab ecclesia damnatis, quos conscripsit, nihil aliud effecit quam principia istiusmodi vesanae methodi ad totam scripturam transferre" (Divinitas scripturarum c. 8. concl. 1. argum. 3.).

11. Tandem *aliqui pauci moderationem sectantes* inter utramque scholam, traditionalem et modernam ancipites haerent atque partim huius partim illius placita sectantur, ut v. g. Bainvel, Van Noort et alii nonnulli.

Denique *notandum est, magisterium ecclesiasticum* de novis istis theoriis definitivam sententiam non tulisse: verumtamen quid de iisdem ex regulis catholicae interpretationis sentiendum sit, variis decretis vel enuntiationibus, quae inferius omnia afferenda erunt, non obscure significasse videtur.

12. ***3. Demonstrationis divisio; veritatis relativae notio.*** — Praesentis thesis divisio iam tribus partibus absolvetur: in 1. p. contra Lenormant, di Bartolo aliosque omnis error a scriptura excluditur ita, ut omnimoda inerrantia eidem vindicetur; in 2. p. asseritur, non omnibus scripturae sententiis eandem, sed aliis aliam, scilicet his absolutam, aliis relativam veritatem convenire; in 3. p. theoriae illae recentissimae a Lagrange, Hummelauer, Prat aliisque propugnatae crisi subiicientur, atque ostendetur, easdem secundum plura atque essentialia elementa cum scripturae inerrantia conciliari

non posse; denique in corollariis scholiisque adiectis quaestiones quaedam connexae necnon obiectiones expedientur.

Verumtamen, ne quae in thesi asseruntur, in ulla am- 13.
biguitate versentur, prius *notio veritatis relatione* accuratius explicanda est. Iamvero veritas relativa, ut patet, a veritate absoluta contradistinguitur; non uno autem modo sed pluribus veritas in absolutam et relativam distinguitur: Et *primo* quidem distinctio inter veritatem absolutam et relativam fieri potest ratione perfectionis; et sic quidem veritas absoluta ea dicitur quae omnibus numeris perfecta est; quod soli veritati divinae cognitionis competit, utpote quae est ipsa veritas per identitatem non solum conformitatem cum obiecto suo (saltem principali et formali). Omnis autem veritas creatae cognitionis eo sensu relativa est, quatenus ab hac summa perfectione necessario deficit. *Secundo* inter veritatem absolutam et relativam distingui potest spectata necessitate veritatis vel conformitatis inter cognitionem eiusque obiectum; scilicet veritas absoluta ei cognitioni competit, cui error subesse repugnat; quae veritas divinae cognitioni, cognitioni primorum principiorum convenit. Hoc sensu etiam scriptura absolute vera supra dicta est, utpote cuius assertiones omnes rationem verborum divinorum habent. Relative autem verae eae cognitiones vel assertiones sunt, quibus veritas quidem reipsa quidem, sed contingenter non necessario competit. *Tertio* inter veritatem absolutam et relativam distinguitur ratione obiecti circa quod assertio vel locutio versatur. Scilicet locutio spectare potest rem vel prout in se est vel prout sensibiliter manifestatur, quin id expressis verbis moneatur: in primo casu locutio vel sententia absolute, in altero relative vera dici potest et dicitur. Quae veritas relativa in pluribus usitatis locutionibus invenitur; qua ratione v. g. lunam maiorem stellis, solem oriri et occidere, coelum vel firmamentum concavum omnes docti et indocti vere sine errore dicimus: quia scilicet iis locutionibus non ipsam naturam rerum explicare sed sensibiles apparentias significare intendimus et intelligimur. Qua ratione etiam multas sententias scripturae non absolute sed relative solum veras esse, infra

ostendetur. — Praeter tres modos distinguendi inter veritatem absolutam et relativam nunc relatas et plane legitimas *quartum* invexerunt aliqui ex modernis illis liberalioris exegesis propugnatoribus. Quem modum sic exponit *Schiffini:* „Ut sermo, quem proferimus, sit ex toto, h. e. in omnibus suis partibus verus, plane requiritur, ut nihil eorum, quae affirmamus vel negamus, discordet a re affirmata vel negata, iuxta notissimam illam regulam Logicae, quae exigit pro veritate propositionis copulativae, ut verae sint singulae eius partes quae copulantur (Princ. phil. n. 128, 140). Si contra sermo tantum ex parte sit verus, et ex parte falsus, eo ipso veritatem quidem continet, sed alicui errori admixtam. Iam age, discipuli scholae largae, hanc vocant *veritatem relativam* sermonis, veritatem nempe illam, quae inest in sermone qui non secundum omnia quae affirmat vel negat est verus, sed quantum ad aliqua est verus, quantum ad alia est falsus" (op. cit. n. 4. 7.). Notandum tamen est etiam secundum illos scholae largae discipulos sententias de rebus religiosis agentes ab omni errore immunes esse atque errores in aliis rebus occurrentes non esse errores formales sed solum materiales, utpote qui a s. scriptore non formaliter asserantur, sed ad modum dicendi potius pertineant vel tamquam vehiculum doctrinae religiosae considerandae sint.

Demonstratio.

I. p. S. scriptura secundam normas fidei catholicae ab omni errore immunis dicenda est adeoque sententia opposita in eadem quidpiam falsi contineri posse contendens tamquam haeresis vel saltem error in fide computari debet.

14. ***1. Probatur ex iudiciis authenticis Sedis apostolicae.*** Huc pertinet imprimis encyclica *Providentissimus Deus Leonis XIII.* de studiis scripturae sacrae, in qua Summus Pontifex oppositam doctrinam non solum claris et expressis verbis reprobat, sed etiam rationes, ob quas reprobanda sit, summatim exhibet. Scilicet postquam multa de dignitate scripturae deque cautelis in eiusdem interpre-

tatione servandis egregie elocutus est, ita pergit: „Dolendum enim, multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia, magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo eorum auctoritas usquequoque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt, nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subessei libris vero scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fier, quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps: cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex his difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsam non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.

Haec est antiqua et constans fides ecclesiae solemni **15.** etiam sententia *in conciliis definita Florentino et Tridentino*; confirmata denique atque expressius declarata in *Concilio Vaticano*, a quo absoluto edictum: *Veteris et novi testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem*

concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri latina vulgata editione habentur. pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti. Deum habent auctorem (Sess. 3. c. 2.). Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum. quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet. et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent. et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae scripturae universae.

16. Hoc ratum semper habuere sancti Patres. „Itaque. ait *Augustinus,* cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit. nequaquam dicendum est. quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt“ (De cons. evang. l. 1. c. 35): pronuntiatque *S. Gregorius M.:* „Quis haec scripserit. valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit (Praef. in Iob. n. 2.). Consequitur. ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existimant, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.

17. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint: professi unanimes. libros eos et integros et per partes a divino aeque esse af-

flatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe, quae idem *Augustinus* ad Hieronymum scripsit (Ep. 82. al. 19. c. 1.): „Ego enim fateor caritati tuae, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque diferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam."

Succedit *Pius X.*, qui decretum S. Officii (d. 3. Iulii 1907) **18.** „Lamentabibili", quo errores Modernistarum reprobantur, non solum, priusquam ederetur, communi modo adprobavit, sed paulo post *motu proprio: Praestantia scripturae* (d. 18. nov. 1907.) sollemni modo iteravit et confirmavit. Inter errores enim illos plures continentur, qui ad rem praesentem spectant, ut v. g. XI.: *Inspirato divina non ita ad totam scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat. XIV. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.*

Ceterum iam longe ante praesentes controversias, scilicet **19.** medio aevo Romani Pontifices plenam scripturae inerrantiam inculcarunt. Ita *Ioannes XXII.* contra quosdam O. S. F. Monachos, qui tum Christum tum Apostolos nihil unquam proprii in vita mortali possedisse falso contenderent, expressis verbis statuit: „Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos habuisse nonnulla asserit, contradicat expresse ipsamque scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam: deinceps erroneam fore censendam et haereticam de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus

edicto" (D. c. 419.). Itaque doctrina illa haeretica declaratur, quia cum scriptura pugnet et simul declaratur, vel per unum errorem in scriptura contentum totam eius fidem evacuari atque totam fidem catholicam, utpote quae in scriptura nitatur, incertam et dubiam reddi.

20. Similiter ineunte saeculo XIV. *Benedictus XII.* ad Armenos catalogum errorum in 117 articulos distinctos mittens postulavit, ut ab iisdem se purgarent. Ex illis articulis huc spectat 114.: „Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, et ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit, sed ipse de praecipiti se submisit. Ex quo innuunt scripturam genesis quoad hoc esse falsam, quae videtur dicere, quod Lamech interfecit Cain." Responderunt Armeni concilio collecto: „Si supradicta opinio invenietur in dictis alicuius stulti, tamen apud nos sic non invenitur, quoniam in Biblia nostra et in libris, qui leguntur in scholis, invenimus, quod Lamech interfecit Cain, sicut Gen. 4. dicitur: *Audite uxores Lamech vocem meam et auribus percipite, quoniam occidi virum*" (Mansi, collect. conc. Suppl. 3. col. 534.).

21 ***2. Ex ipsa s. scriptura.*** — Tum ipse Christus tum apostoli saepenumero declarant, omnia, quae scripta sunt (in ss. libris), ideo solum, quia scripta sunt, infallibiliter et necessario vera esse: *„Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant"* (Matth. 5, 18.). *„Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt"* (Luc. 24, 44.). *„Non potest solvi scriptura"* (Ioan. 10, 35.). *„Oportet impleri scripturam"* (Act. 1, 16.). Quare doctrinam quamcunque declarantes vel demonstrantes vel urgentes verbis *„scriptum est"* testimonia scripturae inducere solent tamquam ineluctabile et peremptorium argumentum, quo sententiae propositae veritas extra omnem dubitationem vel controversiam ponatur et definitive prorsus stabiliatur; et ratio est, quia illud: *scriptum est* ex eorum mente nihil aliud significat nisi: a Deo, qui est ipsa veritas infallibilis, scriptum ideoque assertum est. Atqui haec ratio *scriptum est* de omnibus sine ex-

ceptione ulla valet, quae a scriptura asseruntur: de theoreticis et practicis, de religiosis et profanis, de historicis et aliis quibuscunque; neque Deus ipsa veritas in ulla re sive parva sive magna sive profana sive religiosa a veritate deficere potest. Quare quaecunque Scriptura docet vel asserit, infallibiliter vera sunt, ideoque omnis error ab ea necessario excluditur.

3. Ex SS. Patrum unanimi doctrina. — 22. SS. Patres de inerrantia scripturae communiter, clare, absolute, constanter eandem prorsus persuasionem fidei innixam produnt, quam verbis ab encyclica *Providentissimus Deus* relatis expressit S. Augustinus. Quod adeo verum est, ut vel aliquibus ex adversariis ipsis fatentibus nullus eorum adduci possit, qui vel ab ulla difficultate contra scripturam propositam se expedierit concedendo scripturam errasse. Quare etiam sepositis aliis rationibus vel argumentis sola SS. Patrum auctoritate de inerrantia scripturae certo constare rationabiliter negari non potest.

1) Revera iam antiquissimi Patres et Apologetae sine ambiguitate inerrantiam scripturae in omnibus profitentur et urgent. — *Clemens R.* scripturas universim sine ulla restrictione appellat „vera Spiritus S. Oracula" atque declarat „in illis nihil iniustum. nihil perversum scriptum esse" (45, 2.). In secunda vero sub eiusdem Clementis nomine tradita epistola in lectione scripturae „Deus veritatis audiri" simpliciter enuntiatur. — *Iustinus* omnem inter diversas scripturae partes vel sententias oppositionem prorsus excludit: „Scripturas inter se pugnare nunquam cogitare vel dicere audebo, sed si qua proponatur scriptura, quae eiusmodi esse videatur, et praetextum praebeat, quasi alteri esset contraria, cum persuasum habeam nullam scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere, quae dicuntur" (Dial. cum Tryphone n. 65.). — Similiter *Irenaeus* declarat, nullam in scriptura contradictionem occurrere posse; quare si quaedam in scriptura incomprehensibilia nobis sint, nos non mirari, sed ea Deo commendare debere: „Si omnium, quae in scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire, alterum

tamen Deum praeter eum, qui est, non requiramus. Impietas enim haec maxima est. Credere autem haec talia debemus Deo, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae, nos autem secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu eius, secundum hoc et scientia mysteriorum eius indigemus . . . Si ergo in rebus creaturae quaedam quidem eorum adiacent Deo, quaedam autem et in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si et eorum, quae in scripturis requiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quaedam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quaedam autem commendamus Deo?" (Adv. haer. 2, 28.). — *Hyppolytus* quoque non semel inculcat, a scriptura omnem prorsus errorem exulare: „Discamus in nulla re scripturam fallere nos" (In Dan. 1, 28.). „Neque enim mentita est scriptura" (Ibid. 3. 8.). „Nihil enim omnino mentitur scriptura, neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus, ut videnter haec fieri ne fallamur" (Ibid. 4, 6.). — Secundum *Tertullianum* adhuc catholicum scripturae sine ulla partium diversarum distinctione „Dei voces" (Apol. 31.) sunt, „divinae" (ib. 18. 19. 20.) atque propter divinam suam originem semper tamquam inviolabilis fidei regula ab ecclesia consideratae sunt (De praescr. 37. 38. 39.).

23. 2) *Eandem fidem produnt Patres vel scriptores ecclesiastici ad scholam alexandrinam pertinentes.* — Imprimis *Clementis A.* fides facile ex his testimoniis patet: „Possem tibi scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus" (Cohortatio 9.). „Qui divinis ergo scripturis firmo iudicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei videlicet, qui scripturas vobis dedit, vocem accipit" (Strom. 2, 2.). — Haec etiam *Origenis* fides fuit, quidquid de sensu scripturae eiusque interpretatione docuit: neque enim diversis scripturae partibus diversam dignitatem vel auctoritatem tribuit: de evangeliis autem haec dicit: „Operam suam conferente Spi-

ritu Sancto accurate conscripta esse evangelia credimus, et in iis commemorandis rebus lapsi non sunt eorum scriptores" (In Matth. t. 16. n. 12.). — Similiter *Athanasius* inter diversas scripturae partes ratione dignitatis vel auctoritatis nullam dicit esse faciendam distinctionem: „Idem namque Spiritus est in omnibus et secundum divisionem eius in singulis factam, unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet, sive prophetia sit, sive legislatio, sive historiae commemoratio, sive Psalmorum gratia" (Epist. ad Marcellinum). — Clare omnino *Cyrillus A.* contra Iulianum scripturae inerrantiam defendit: huic enim obicienti, prima genesis capita a fabulis Graecorum nihil differe sic reponit: „Nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspirata scriptura dicimus. Fabulorum namque in ea prorsus nihil, veritatis plena sunt omnia" (Cont. Iulian. 3.). — Pariter *Eusebius Caesar.* propter divinam scripturae inspirationem omnem etiam levissimum errorem ab eadem exclusum esse declarat: „Facinus audax et temerarium esse censeo, si quis audet affirmare divinam scripturam decipi" (In ps. 33, 1.). Scilicet ne nomen quidem Abimelech pro Anchus (Achis) poni potest. — Denique etiam *Ambrosius,* qui, quamvis Romanus, scholae alexandrinae accenseri solet, clare de antiqua fide in scripturae inerrantiam testatur: „Ab hoc, qui evangelista esse meruit, vel neglegentiae vel mendacii suspicionem aequum est propulsari"; scilicet „non est credibile adversantia sibi sanctos viros potuisse dicere"; etenim scripturae sunt „quaedam intellectus indumenta divini" (In Luc. 10. 3. 6. 7.). In scriptura (in psalmis) „nullus error, ubi simplex pietatis affectus atque omnis fidelis est sensus" (In ps. 37, 6.).

24. Iam his aliisque, quae praeterea exstant, testimoniis consideratis, communis scholae Alexandrinae fides comprehenditur et expressa apparet isthac *S. Basilii* sententia: „Quodsi fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, fidelia etiam omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate, est manifesta defectio a fide et crimen superbiae, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet aut quidquam eorum, quae scripta non sunt, introducat" (De fide n. 1.).

25. *3) Eadem fides Antiochenae quoque scholae est.* — *S. Methodius* sine ambiguitate declarat: „Nihil in scripturis sacris contrarium est et absurdum“ (M. 18, 63.). — Et *Theoderetus Cyrensis*: „Nihil temere dicitur a divino Spiritu“ (In cantic. 4, 9.); quare „divinae scripturae documenta praestantiora sunt quam humanae ratiocinationes“ (Graec. affect. cur. serm. 4.) et: „divinorum autem verborum et brevitatem admiramini et vim laudate et divinorum dogmatum veritatem discite“ (Ib. serm. 5.). — Pariter *S. Chrysostomus*: Adversarii „reprehendunt evangelistas tamquam inter se pugnantes et dissonantes. Atqui non ita res se habet, absit! sed, etsi diversae personae sunt, una tamen Spiritus gratia est, quae cuiusque animam movet. At, ubi Spiritus gratia, ibi est caritas, gaudium, pax; bellum vero non est nec discordia nec pugna neque ulla contentio . . . Alia quoque multa eiusmodi ex evangeliis colligere licet, quae videntur suspicionem habere repugnantiae, sed nulla tamen est repugnantia . . .“ (In paralytic. demiss. per tect. 3. 4.). Scilicet secundum Chrysostomum tota diversitas sicut aliarum scripturarum, ita etiam evangeliorum in eo est, quod evangelistae saepenumero res vel plane vel partim diversas aut vero easdem res diverso modo vel aliis verbis narrent. Quare hortatur: „Non oportet simpliciter verba scripturae proferre neque exscindere e serie sermonis neque avellere e contextu neque solitaria et nuda verba sumere sine auxilio eorum, quae praecedunt vel sequuntur, et ita calumniari et cavillari“ (In illud: *Domine, non est in homine* 3.). Denique: „Nemo dicat: Mentitur scripturarum historia“ (In act. Apost. hom. 22. n. 1.).

26. Tandem omnium utriusque scholae doctorum sententias comprehendit, ut solet, *S. I. Damascenus:* „Laudabilis est scripturarum perscrutatio. Sed hic diligenter animum attendite. Impossibile est, dilectissimi, mentiri Deum. Unus porro Deus est, unus veteris et novi testamenti legislator, qui multifariam multisque modis olim locutus est patribus in prophetis, et in novissimis temporibus in Filio suo unigenito. Vestrum sensum adhibete. Non mea verba sunt, sed quae Spiritus Sanctus per sanctum apostolum effatus est“ (De

imag. or. 3. n. 7.). — Denique communis Graecorum fidei testis est etiam *Photius,* schismatis auctor: „Quodsi forte aliquis Sancti Spiritus instinctu dicat praedictas offensiones declinandi causa, plerasque earum, quae in divina scriptura videntur, contradictiones inscitia malitiave eorum fieri, qui textus illos impugnant, id inquam, recte admodum iusteque dicetur" (Ad Amphil. q. 1. n. 11.). Etenim omnium, quae in scriptura leguntur, auctor est Spiritus Sanctus ita, ut si v. g. Moyses loquitur, „potius communis omnium creator et legislator per ipsum loquitur" (Ib. q. 1. n. 3.).

4) *Denique eandem fidem profitentur Patres posteriores* 27.
latini. — Et primo quidem secundum *Hieronymum* indubitanter tenendum est „omnem sanctam scripturam non posse sibi esse contrariam, et maxime unum adversum se non discrepare librum, et, ut plus adiiciam eundem eiusdemque libri locum" (Ep. 46, 6). Item scripturam mentiri „dicere nefas est" (In Nahum 1, 9.). Ulterius „nihil in iis (scripturis) dissonum, nihil diversum est." Deniqne „sequenda est auctoritas scripturarum et Dei docentis imperium" (In Ier. 10, 12.).

S. Augustini fides valde manifesta est, ut ex quibusdam 28.
solum testimoniis productis patet: „O Domine, nonne ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam" (Confess. 13, 29.). Quare sine discretione „quidquid divinarum scripturarum, earum scilicet, quae canonicae in ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Aliis vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse persuadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis" (Ep. 147, 4.). Item: „Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in scripturis sanctis haberi mendacium, i. e. eos homines, per quos nobis illa scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia quippe quaestio est, sitne aliquando mentiri viri boni, et alia quaestio, utrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit. Immo vero, non alia sed nulla quaestio est. Admisso enim semel in tantum auctori-

tatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla librorum illorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur" (Ep. 28, 3.).

29. Quia igitur contra scripturae auctoritatem nihil valet auctoritas aliorum scriptorum, ideo ad Vincentium Donatistam scribit: „Noli ergo, frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia (sc. scripturae) colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, sive nostrorum sicut Hilarii, sive, antequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis, sicut Cypriani et Agrippini; primo quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tamquam ita ex iis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerunt, quam veritas postulat" (Ep. 93, 35.). Item: „Omnem falsitatem abesse ab evangeliis decet, non solum eam, quae mentiendo ponitur, sed etiam quae obliviscendo" (De cons. ev. 2, 12. 19.). „Scripturam esse veracem nemo dubitat, nisi infidelis aut impius" (De Gen. ad lit. 7, 28, 42.). „Maior est quippe scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas" (Ib. 2, 5, 9.). Denique hac firmissima de inerrantia scripturae fide fultus et permotus Augustinus integrum opus scripsit *de consensu evangelistarum*, ut apparentes contradictiones et errores solveret et explicaret atque sic cum veritate componeret. Alia insuper testimonia Augustini conferantur apud Pesch, de inspiratione n. 122. ss.

30. Tandem similiter *Salvianus*: „Alia omnia i. e. humana dicta, argumentis ac testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur incorruptum sit testimonium veritatis. Sed tamen cum per scripturas sacras scire nos quasi de arcano animi ac mentis suae quaedam voluerit Deus noster, quia ipsum quodammodo scripturae sacrae oraculum Dei mens est, quidquid vel agnosci vel praedicari Deus voluit, non tacebo" (De gubernat. Dei 3, 1.). Denique *Leo Magnus* ex una parte hortatur: „ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno qui-

dem verbo liceat dissidere aut aliter de scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt" (Ep. 82, 1.), ex altera parte animadvertit: „cum indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio" (Serm. 52. c. 1.)

4. Ex theologorum consensu. — Quam SS. Patres professi sunt, fides in omnimodam scripturae inerrantiam apud subsequentes quoque theologos et doctores christianos invenitur. Quod aliquibus testimoniis confirmare satis erit. Itaque saeculo 9. *Agobardus Lugdunensis* episcopus de eadem fide testatur: „Ista tamen inconcussa et firma auctoritas illorum auctorum est, per quos Spiritus Sanctus novi et veteris testamenti volumina confecit, de quibus nulli unquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuisse, quam dixerunt, quoniam eorum auctoritas firmior est coelo ac terra, secundum quod Dominus ait: Facilius est coelum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere . . . In scriptura nihil est vituperandum, sed omnia cum reverentia suscipienda" (Liber c. obiect. Fredegisii n. 7. ss.). **31.**

Eandem fidem manifeste exhibent doctores scholastici medio aevo. *S. Bonaventura* v. g. haec declarat: „Providit Deus huic scripturae certitudinem auctoritatis, quae adeo magna est, quod omnem perspicacitatem humani ingenii superexcellit. Et quia non est certa auctoritas eius, qui potest fallere vel falli, nullus autem est, qui falli non possit et fallere nesciat, nisi Deus et Spiritus Sanctus, hinc est, quod ad hoc, quod scriptura sacra modo sibi debito esset perfecte authentica, non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam. Ideo in ipsa nihil contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo, quod Spiritus Sanctus, eius auctor perfectissimus „nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum" (Brevil. prooem.). — Et *Nicolaus Lyranus*: „Quoniam s. scriptura non solum excellit alias, in quantum est de subiecto nobiliori, sed etiam inquantum procedit modo certiori, videlicet per divinam revelationem,

cui non potest subesse falsum . . . quidquid ex s. scriptura manifeste concluditur, verum iudicatur; quod autem ei repugnat, falsum simpliciter reputatur" (Postilla, prol.).

32. *S. Thomas* etiam hac in re vestigia premit S. Augustini eiusque sententiam suam facit, nullum s. auctorem in quacunque re quidquam errasse (S. th. 1 p. q. 1. a. 8. ad 2.): quare saepenumero inculcat: „Scripturae divinae a Spiritu S. traditae non potest subesse falsum" (De pot. q. 4. a. 1.). Atque hanc scripturae praerogativam nominatim et expresse ad historicas quoque narrationes extendit: „Ea quae de paradiso in scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur. In omnibus autem, quae sic scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae, et desuper spirituales expositiones fabricandae (S. th. 1 p. q. 102. a. 1.).

33. *Durandus* quoque, cum in quaestionibus aliis praesertim liberis saepe a communi scholae transite deviet, omnimodam scripturae inerrantiam clare docet: „Sacra scriptura excellit omnes alias (scientias) in certitudine veritatis, quam habet ex formali ornamento . . . Quaecunque in sacra scriptura traduntur, aut solum aut principaliter divina revelatione tenentur: talia autem certissima sunt. Ratio huius est, quia supremum inferioris deficit ab infimo superioris. In omni enim genere visa sunt certiora auditis: sed audita a Deo, quamvis sint infima in gradu certitudinis in illo genere cognitionis, tamen certiora sunt et veriora his, quae sciuntur et videntur a nobis in lumine creaturae rationalis. Unde clarae et certae auctoritati divinae cedit ratio . . . Et ideo prae ceteris scientiis, in quibus est plurimum falsitatis et modicum utilitatis, transeundum est ad istam" (In ll. sent. praef.). — Similiter *Henricus Gandavensis* omnem prorsus errorem a scriptura excludit: „Quantum est ex parte rei creditae, dicendum est simpliciter, quod magis credendum est auctoritati scripturae, quam cuicunque naturali rationi, quia scriptura ex rectitudine divinae veritatis conscripta est, quae in infinitum excedit rectitudinem humanae rationis, unde et scriptura continet veritates naturalem rationem excedentes":

quare si huic veritati „littera scripturae videatur esse contraria, hoc non est, nisi quia male est intellecta (scriptura), et tunc magis credendum est rationi naturali quam auctoritati scripturae, quoad illum sensum, quem littera praetendit contrarium rationi, et quaerendus est alius (sensus), quousque inveniatur ille, qui rationi congruit; et si non statim possit inveniri, non propter hoc omnino litteram habere veritatem negandum est“ (Summ. a. 10. q. 2). — Item *Aegidius Romanus:* „Vult Augustinus, quod maior sit huius scripturae auctoritas quam totius humani ingenii perspicacitas, quia firmior veritas est, quae innititur iudicio divino, cui non potest subesse falsitas, quam quae innititur humano, cui falsitas subesse potest“ (In 1. sent. prolog.). Qua persuasione fultus ibidem inferius regulas interpretationis tradit, quae omnimodam scripturae inerrantiam manifesto supponunt vel includunt (In 1. d. 2. q. 1. a. 1). — *Richardus Armachanus* quoque verbis perspicuis eandem doctrinam inculcat: „Tota . . . ista scriptura primaria (i. e. textus originalis et autographus) quoad infallibilitatem et veritatem assertorum in ea a Spiritu Sancto tamquam ex fide tenetur, qua creditur Spiritum Sanctum locutum fuisse per prophetas et per Christi apostolos atque discipulos, qui etiam erant prophetae. Et ex eadem fide tenes et ex divinitate Spiritus Sancti, quod nulla contrarietas et falsitas est a Spiritu Sancto asserendo Dei hominibus inspirata“ (Summ. 19, 19.). — Pariter *Ioannes Gersonius:* „Sacra scriptura est fidei regula, contra quam bene intellectam non est admittenda auctoritas, ratio hominis cuiuscunque; nec aliqua consuetudo nec constitutio nec observatio valet, si contra sacram scripturam militare convincatur . . . Si propositio aliqua sacrae scripturae, posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa, tota sacrae scripturae, sicut docit Augustinus, vacillaret auctoritas“ (In tractatu „contra haeresin de communione laicorum sub utraque specie.“ Et iterum: „Primus gradus veritatum credendarum est canon totius scripturae sacrae et singulorum, quae in ea litteraliter asserta sunt, sic videlicet, quod non stat cum fide, ut aliquis dissentiat pertinaciter alicui contento

in eadem scriptura ad intellectum Spiritus Sancti, qui est vere et proprie sensus litteralis . . . Constat autem, quod canon bibliae lex est Dei per revelationem habita, cuius assertiones litterales innituntur hinc unico litterali principio: omne revelatum a Deo est verum, et quod scriptura sacra divinitus est a Deo revelata, sic quod in omni sua parte est verbum Dei, quod transire non potest." Quare „falsum, blasphemum et haereticum est asserere quod sensus litteralis sacrae scripturae sit aliquando falsus" (Ibid.). — Denique *Dionysius Carthusianus* scripturae praerogativas prae scientiis humanis exponens inter alias has exhibet: „Tertio sapientia ista laudatur et ceteris praefulget humanis scientiis ac sapientiae naturali ratione sui decoris, quoniam nihil falsitatis, nihil erroris ei admixtum est, sicut illis . . . Sapientia ista ceteris rite praefertur certitudine et auctoritate, utpote cui nec falsitas nec ambiguitas potest subesse, cum increatae veritati ac supernaturali indeviaboli lumini innitatur, loquendo de doctrina scripturae canonicae" (In 1. lib. sent., prooem.).

34. Tandem eandem fidem sine ulla haesitatione et ambiguitate proclamant theologi magni, qui post concilium Tridentinum floruerunt. Audiatur v. g. *Melchior Canus*, qui respondens ad quaestionem: „An auctores sacri in libris canonicis spiritu interdum humano sine divina et supernaturali revelatione (i. e. inspiratione) loquantur", perspicue statuit: „Is autem error, quam sit impius, illo primum argumento demonstro, quod sacrarum scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas, si haec opinio vera est": quod deinde magis exponens circa partes historicas haec animadvertit: „Porro ut reliquas scripturae partes praetereamus, in sacris historicis distingui discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit, quid auctor ex revelatione divina, quid contra ex Spiritu humano et ingenio proferat. Quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignorarent, quonam Spiritu, hominis an Dei, unaqualibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta . . .' (De loc. theol. l. 2. c. 16. 17.). Et paulo inferius declarat: „Solis quippe apostolis, prophetis et evangelistis hunc honorem referre catho-

lica fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis nec in parvis errasse . . . Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium, est, ut nullus eorum in scribendo erret" (Ib. c. 18.).

Similiter *Bellarminus:* „In scriptura nullus potest esse 35.
error, sive agatur de fide sive de moribus, et sive affirmetur aliquid generale et toti ecclesiae commune, sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens" (De Conciliis l. 2. c. 12.). — Et Suarez: Quoniam scriptura „est verbum Dei scriptum, necesse est, ut sit regula veritatis, quia nulla est certior regula quam Dei auctoritas, quae in verbo eius continetur et per illud applicatur. Unde sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in scriptura reperiri . . . tum quia sicut non potest Deus per seipsum mentiri, ita nec per alium, quia moraliter perinde est, tum etiam, quia, si aliquod mendacium in scriptura reperiri posset, tota eius auctoritas periret; propter quod non minorem certitudinem habet in minimis, quam in maximis" (De fide, disp. 5. s. 3.). — Denique audiatur adhuc ex saeculo 18. *Ioannes Franciscus Marchini,* theologus Vercellensis in speciali opere ex professo agens „de divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum." Ex ipsius persuasione admitti nequit ullo pacto sententia eorum, qui in scriptura „volunt res fidei et morum tantummodo Spiritus Sancti praesidio tutas ab errore et fallacia, ceteras vero suo ingenio a piis quidem et prudentibus viris, sed errori obnoxiis admixtas. Quare aiunt finem scripturarum esse institutionem nostram de religiosis rebus, non autem de philosophicis neque de humanis, quae sine detrimento ignorantur; haec igitur fulta non sunt Spiritus Sancti patrocinio"; sed „quia scriptura religionem nos edocet, igitur congruenter ab omni falsitate omnino vacat, quoniam ex falso quodam interposito scriptura omnis in suspicionem et dubitationem veniret. Increduli enim in historicis rebus manifestum errorem deprehendentes, eum quoque ad fidei et morum doctrinam manasse arbitrarentur vel saltem de illarum rerum gestarum veritate dubitarent, quibus tamquam basi doctrina nititur, atque ita divinarum omnium

et admirabilium rerum fundamentis subductis illae etiam nutarent . . . Perniciosissime ergo errat et firmam Dei verbo assensionem tollit, qui vel minimo cuiuscunque generis peccato lapsos esse scribendo auctores sacros suspicetur . . . Ad instruendam muniendamque ecclesiam editae sunt a prophetis, ab apostolis scripturae, quae omnia bene vivendi recteque faciendi consilia traderent . . . quae ut divinae omnino susciperentur. Quanto ergo magis necesse fuit scriptis ex Dei munimine nullum errorem, falsitatem nullam admisceri, reliquis veritatibus exitiosam" (1. p. a. 5.).

Alia insuper aliorum doctorum testimonia conferri possunt apud *Pesch,* de inspiratione sacrae scripturae: ex quibus omnibus patet, universalem fere de hac veritate apud theologos viguisse consensum ad nostram usque aetatem.

36. ***5. Ex ratione theologica.*** — Cum iam in praecedentibus argumentis incidenter ratio theologica huius partis indigitata sit; nihilominus eandem ex professo hic apponere praestat, ut scilicet simul adducta et reiecta exceptione aliqua maiore luce splendeat et prorsus inconcussa esse perspiciatur. Itaque cum divina scripturae inspiratio ad omnes omnino sententias se extendat, quae a scriptura asseruntur: quaelibet eiusmodi propositio a scriptura asserta verbum formale ipsius Dei tamquam principalis scripturae auctoris est: atqui verbo Dei, utpote qui ipsa veritas est, error nullus unquam subesse potest; ergo quivis error ab assertionibus scripturae absolute exclusus est.

37. *Neque opponi forte potest*, quam vocant, oeconomica inspiratio, secundum quam inter doctrinam religionis, quam Deus homines scriptura edocere intendebat, et cetera quae tamquam media ad eam doctrinam proponendam adhibentur, scite distinguendum sit ita, ut partibus doctrinam religiosam proponentibus maior quidem inspirationis gradus quemvis errorem excludens, ceteris autem minor non omnem errorem excludens attribuatur. Etenim *primo* eiusmodi diversorum inspirationis graduum distinctio vanum figmentum est, utpote quod nullum sive in ipsa scriptura, sive in traditione fundamentum habet; *secundo* cum infinita sanctitate Dei pugnat,

quippe quae non minus prohibet falsum dicere ad docendum verum, quam malum facere ad procurandum bonum; etenim finis non sanctificat media ideoque intentio docendi veritatem a falso testimonio malitiam mendacii non aufert. — *Praeterea* eadem opinatio cum providentia quoque vel sapientia divina pugnat, utpote cuius est recta et proportionata media ad finem adhibere; etenim scriptura erroribus etiam in solis rebus profanis defoedata ad rectam et tutam instructionem religiosam iam non valeret. Ratio est *primo*, quia res mere profanae a rebus religiosis vel connexis difficulter saepe discernuntur; *praeterea* vero quomodo libri illi fidem nostram mereantur de coelestibus et superrationalibus rebus, si quoad res, quae obviae et naturali cognitioni subiacent, mendaces vel fallaces inveniantur? quomodo in maximis veri erunt, cum in minimis fallaces sint? Quomodo nos decipiat in rebus, circa quas errorem detegere possum, infallibiliter autem doceat in aliis altioribus, circa quas errorem commissum detegere non possum? Profecto haec absona sunt atque scripturae auctoritatem penitus labefactant: Huc igitur imprimis iterum spectant verba *Augustini* iam supra relata: „Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur“ (Ep. 28. n. 3.). Conferantur, quae supra (th. 13. n. 67 ss) de fine scripturae disputata sunt.

2. p. Non eadem, sed diversa diversis scripturae partibus vel etiam sententiis veritas convenit.

Ut de scripturae veritate sive inerrantia rectum aequum- **38.**
que iudicium feratur, sane character eiusdem divino-humanus constanter prae oculis habendus est. Ex hoc autem charactere omnino singulari et proprio continuo intelligitur, alia scripturae omnino propria, alia vero cum ceteris libris a solis hominibus conscriptis communia esse. Et *primo* qui-

dem, quia Scriptura Deum auctorem habet principalem. ideo non solum quivis error vel quaevis falsitas, sed etiam quidquid moraliter malum, absonum vel insipiens, indecens vel indignum est, sive quacunque ratione cum sanctitate, sapientia. providentia divina pugnat, ab illa prorsus excludendum est: ut luculenter ex superiore tractatione constat. — *Secundo*, quia eadem scriptura pro hominibus et per homines tamquam auctores secundarios conscripta est, sane ipsa sapientia divina providente accommodate ad intelligentiam humanam vel humano modo loquitur, ut ab hominibus intelligi possit. Quare nulla ratio loquendi, nullum ex diversis dicendi generibus, dummodo internum vitium non contineant. a priori ex scriptura excludi potest. Diversa autem est diversarum rationum loquendi et diversorum generum dicendi veritas. Quare etiam in scriptura alia et alia veritas inveniri potest et reipsa invenitur. — *Tertio* quia Deus ad scripturam conscribendam tamquam auctores secundarios assumpsit homines certae aetatis et determinatae indolis et culturae, eorumque dispositionibus suum influxum inspirativum accomodavit, nihil mirum, quod in scriptura rationes loquendi vel forte etiam genera dicendi occurrant nunc iam non usitata: neque tamen ideo vera esse desinunt, quae eiusmodi ratione loquendi absoleta exprimuntur, utpote quae secundum mores hominum illo aetati viventes diiudicari debent. — Denique *quarto* quia finis scripturae a Deo praefixus est de revelatione, de regno Dei deque salute sua homines edocere, non vero eosdem instruere in scientiis rebusque profanis. in his quaestionibus hagiographi a Deo speciali modo illuminari non debuerunt. ideoque circa easdem vulgari et apud coaetaneos usitato modo magis eiusmodi rerum externam apparentiam. quam naturam internam spectantes loqui potuerunt, dummodo nihil falsum assererent.

39. Quae cum ita sint. iam satis apparet, non eandem. sed diversam diversis scripturae partibus et sententiis veritatem convenire vel sub alio et alio respectu scripturae veritatem tum absolutam tum relativam dici posse. Et *primo* quidem. ut iam supra dictum est. scriptura absolute vera dici debet,

quatenus ei ut verbo Dei scripto veritas non contingenter sed necessario convenit. — Item *secundo* absolute vera dici potest in eiusmodi assertionibus, quae circa obiectum prout est in se, non vero prout apparet extrinsecus, versantur. — *Tertio* vero relative vero scriptura est eatenus, quatenus non est absolute perfecta neque totam obiecti cognoscibilitatem exhaurit. — Item *quarto* relative vera est in iis assertionibus, quae rem, non secundum internam naturam et proprietates, sed secundum externas apparentias vel sensibiles manifestationes spectant. — Num vero *quinto* scriptura etiam sensu tertio supra notato, scilicet quatenus eius sermo non secundum omnia, quae affirmat vel negat est verus, quantum ad alia falsus, inferius in 3. parte, et num adhuc alio scilicet modernistico sensu relative vera dici possit, in corollario adiecto inquirendum erit.

Quibus praestitutis aliquae ex modo notatis specialibus assertionibus accuratius explicandae sunt.

Nota: Ita scripsi anno 1910; verum nunc rerum statu **40.** permutato finem huic tractatui impono: tum scilicet, quia theologia fundamentali a reliqua theologia dogmatica interim separata quaestiones de scriptura et traditione a me iam non traduntur, tum quia aliis laboribus detineor, tum quia quaestio de scripturae veritate accurate discussa est necnon tysis expressa exstat a collega meo Aem. Dorsch. Ceterum hic tractatus meus eatenus absolutus reputari potest, quatenus etiam principia quaevis in explicanda scripturae veritate servanda discussa et vindicata continet; quare quaestionem de veritate scripturae ulterius prosequi longum est et supervacaneum atque finem iam huic tractationi praestat imponere.

Index Thesium.

De verbo Dei revelato.

Prooemium.

Pagina

1. Argumentum et inscriptio tractatus 3
2. Summa et caput dissensionum de verbo Dei revelato inter catholicos et protestantes 4
3. Ordo et divisio tractatus 6
4. Momentum tractatus 7
5. Notitia historica 8

Quaestio prima.

De Traditione.

Articulus primus.

De exsistentia traditionis.

Thesis 1. Praeter scripturam etiam traditionem tamquam verum et proprie dictum fontem verbi Dei revelati exstare, imprimis ex ipsa scriptura et maxime quidem ex illis testimoniis manifestum est, quibus institutio magisterii authentici refertur 10

Declaratio: 1. Notio et divisio traditionis 10
2. Praesentis quaestionis argumentum et divisio . . 14
3. De modo argumentandi in hac quaestione necnon in toto tractatu 15

Pagina

Demonstratio: 1. Probatur ex oeconomia ab ipso Christo servata et instituta 18
2. Ex disertis Christi verbis, quibus instituit magisterium authenticum, universale, perpetuum 21
3. Ex scripturae testimoniis, quibus institutam oeconomiam perpetuam fore disertis verbis declaratur . 25

Thesis 2. Item doctrina catholica de traditione ex universali persuasione christianae antiquitatis luculenter demonstratur 27

Declaratio: Demonstrationis ratio et divisio 27

Demonstratio: 1. Antiquitas christiana a Christo institutum esse magisterium authenticum expressis verbis testatur . . 28
2. Secundum antiquitatis christianae fidem non solum scriptura sacra, sed traditione quoque verbum Dei revelatum conservatur et transmittitur 35
3. Antiquitas christiana scripturam sacram ad magisterium authenticum vel traditionem retulit tamquam ad authenticum suum interpretem 39
4. Confirmatur demonstratio hucusque instituta ex antiqua ecclesiae praxi 43

Scholion: 1. De varia traditionis appellatione apud SS. Patres . 46
2. Obiectiones protestantium ex scriptura et traditione petitae expediuntur 47

Thesis 3. Doctrina catholica de traditione variis rationibus theologicis atque ex internis opinationis protestantium repugnantiis demonstratur 54

Declaratio: Ratio demonstrationis 54

Demonstratio: 1. Probatur argumento praescriptionis vel analogia quadam 54
2. Ex origine et interna indole librorum N. T. . . . 56
3. Ex contradictionibus, quae systemati Protestantium inhaerent 58
4. Ex universalitate et unitate fidei 58
5. Confirmatur ex historia 64

Corollarium: 1. Exsistunt traditiones obiectivae tum mere orales sive constitutivae tum inhaesivae tum declarativae 66
2. Multiplex habitudo vel etiam prioritas traditionis ad scripturam recta asseritur 74

Scholion: 1. Obiectiones quaedam reliquae solvuntur 79

Pagina

Articulus secundus.

De traditionis organo et criterio primario.

Thesis 4. **Organum traditionis Romano Pontifice et episcopis cum ipso unitis constituitur; unde consensus episcoporum inter se et cum Romano Pontifice in rebus fidei et morum principale et certum traditionis criterium est** 86

Declaratio: 1. Argumentum praesentis articuli 86
2. Demonstratio in praesenti thesi instituenda . . . 87

Demonstratio: 1. p.: Thesis ex scriptura et traditione demonstratur 88
2. p.: Quaedam consensus episcoporum proprietates explicantur, quae ad eius infallibilitatem requiruntur 95

Scholion: De canone Vincentii Lirinensis 100

Thesis 5. **Monumenta ecclesiastica magisterio authentico subsidium sunt ad doctrinam traditam conservandam moraliter necessarium: quare conspiratio eorundem monumentorum indubium genuinae traditionis criterium exhibet** 114

Declaratio: 1. Argumentum thesis paucis definitur 114
2. Notio et divisio monumentorum ecclesiasticorum . 114
3. Divisio thesis 115

Demonstratio: 1. p.: Monumenta ecclesiastica magisterio authentico subsidium sunt moraliter necessarium ad traditionem conservandam 116
2. p.: Conspiratio monumentorum ecclesiasticorum in exhibenda aliqua veritate tamquam revelata certum traditionis argumentum est 119

Scholion: De relatione inter magisterium authenticum et monumenta ecclesiastica vigente 121

Articulus tertius.

De traditionis organis et criteriis secundariis.

Thesis 6. **Concors Patrum sententia in exhibenda aliqua doctrina tamquam ad fidei depositum pertinente certum traditionis argumentum est** 123

Declaratio: 1. Argumentum huius articuli 123
2. Notio SS. Patrum 123
3. Diversa SS. Patrum consideratio 127

Demonstratio: 1. Probatur ex sententiis diversorum conciliorum . . 130

Pagina

2. Ex antiquitatis christianae persuasione etiam extra concilia manifestata 132

3. Ex relatione SS. Patrum ad magisterium authenticum 135

4. Confirmatur ex egregiis, quibus SS. Patres eminebant, animi dotibus 136

Corollarium: 1. Par auctoritas tribuenda est conspirationi Patrum numero plurum, doctrinae et famae celebritate insignium, qui diversis aetatibus diversisque locis inclaruerunt; imo aliquando paucorum Patrum consensui vel etiam unius iudicio, quando scil. ex variis adiunctis communem ecclesiae fidem referre intelliguntur 138

2. SS. Patres sive primo ut doctores privati procedunt sive secundo generatim singuli, exceptis casibus supra definitis, extra consensum spectantur, infallibilem auctoritatem non habent; verum tertio etiam sententia alicuius singularis Patris per se probabile argumentum praebet, nisi aliunde graves rationes opponantur 143

Scholion: 1. De apparenti vel reali Patrum dissensione . . . 148

2. Regulae quaedam in enarrandis Patrum scriptis observandae 151

3. Difficultates quaedam expediuntur 155

Thesis 7. Unanimis theologorum sententia de doctrina aliqua tamquam certo ad depositum fidei pertinente indubium divinae traditionis argumentum est 157

Declaratio: 1. Sensus thesis accuratius definitur 157

2. Adversarii thesis 161

Demonstratio: 1. Probatur ex propria theologorum scholae ratione et indole 162

2. Ex disertis magisterii authentici decretis 163

3. Confirmatur ex quibusdam aliis rationibus vel considerationibus 165

Corollarium: Doctrina, quae in re stricte theologica universali et constanti consensu a theologis scholae tamquam certo vera asseritur, sine nota temeritatis et erroris relinqui non potest 166

Scholion: 1. Difficultates quaedam solvuntur 169

2. De auctoritate S. Thomae 171

Pagina

Thesis 8. Fidelium quoque consensus unanimis in rebus ad fidem christianam pertinentibus certum divinae traditionis criterium est 176

Declaratio: 1. Quinam nomine fidelium hic veniant 176
2. Qualis fidelium consensus esse debeat, ut ei infallibilitas conveniat 177

Demonstratio: 1. Probatur ex SS. Patrum doctrina 178
2. Ex theologorum communi suffragio 180
3. Ex suffragio magisterii authentici 181
4. Ex relatione consensus fidelium ad magisterium authenticum 182

Scholion: 1. Obiectio quaedam expeditur 183
2. De dicto quodam S. Hilarii 183

Quaestio secunda.

De scriptura.

Articulus primus.

De inspirationis exsistentia.

Thesis 9. Collectio librorum illa, quae a christianis generatim scripturae nomine designatur, summam et divinam auctoritatem habere credenda est 184

Declaratio: 1. De diversis scripturae appellationibus 184
2. De sacrae scripturae dignitate et praestantia . . 186
3. Quaestionis argumentum circumscribitur 190

Demonstratio: 1. Probatur ex communi Iudaeorum et Christianorum fide 191
2. Ex doctrina Christi et Apostolorum 198

Thesis 10. Scriptura sacra Spiritu Sancto inspirante conscripta Deum habet auctorem 202

Declaratio: 1. Argumentum thesis 202
2. Obvia explicatio notionum auctoris, inspirationis, verbi Dei 204

Demonstratio: 1. Probatur ex praedicatione magisterii authentici . 206
2. Ex sacra scriptura 210
3. Ex ss. Patrum doctrina 221

Scholion: Quaeritur num argumentis ex scriptura petitis novi quoque testamenti inspiratio demonstrata sit vel demonstrari possit? 237

Corollarium: Charisma inspirationis ad gratias gratis datas pertinet atque recte Spiritui Sancto tamquam causae efficienti per appropriationem tribuitur 240

Pagina

Articulus secundus.

De natura inspirationis.

Thesis 11. **Inspiratio, qua Deus auctor scripturae est, tribus constituitur: primo illustratione intellectus, qua hagiographus veritates communicandas mente concepit; secundo voluntatis motione, qua ad veritates ita conceptas easque solas scripto consignandas determinatus est; tertio assistentia, qua ad rectam veritatum conceptarum expressionem manuductus est** 241

Declaratio: Argumentum huius Articuli 241
Demonstratio: 1. Probatur ex analysi notionis auctoris libri . . . 248
2. Confirmatur ex sacra scriptura 254
3. Item confirmatur ex SS. Patrum doctrina 256
Scholion: 1. De impugnatione quadam praecedentis demonstrationis 257
2. Num hagiographi auctores ss. librorum vocari possint? 268

Thesis 12. **Ad rationem libri inspirati neque sola assistentia divina errorem a scribente avertens, neque subsequens Spiritus Sancti approbatio sufficit** 270

Declaratio: 1. Sententia a Chrisman, Iahn aliisque proposita . . 271
2. Sententia, quam Bonfrerius primus proposuit alii deinceps acceptarunt et defenderunt 271
3. Sententia ab Haneberg aliisque proposita 273
4. Partes thesis earumque certitudo 274
Demonstratio: 1. p.: Ad rationem libri inspirati non sufficit mera assistentia, qua Deus ab homine scribente errorem quemlibet averterit 275
2. p.: Neque subsequens libri humanitus primum conscripti approbatio per Deum vel ecclesiam Spiritu Sancto assistente facta eundem librum in ratione scripturae divinitus inspiratae constituit 277
Corollarium: 1. A fide christiana penitus aliena et absona est quorundam recentiorum Protestantium doctrina de inspirationis natura 282
2. Diversae species inspirationis exstare nequeunt; in eadem autem essentialiter inspiratione diversi gradus distingui posse videntur 283
Scholion: 1. De influxu inspirativo in intellectum hagiographi atque imprimis de habitudine vel differentia inter revelationem et inspirationem 285

Pagina

2. De influxu inspirativo in voluntatem hagiographi . 301
3. De scriptione deque divina in ea assistentia . . . 308

Articulus tertius.

De extensione inspirationis.

Thesis 13. Divina scripturae inspiratio ad omnes omnino sensus sententias se extendit, quae a scriptura ipsa asseruntur, adeo, ut quaelibet propositio a scriptura asserta verbum Dei formale scriptum sit 310

Declaratio: 1. Argumentum huius articuli 310
2. Diversae de extensione inspirationis sententia . . 311
3. De ratione argumentandi in praesenti quaestione sectanda 316

Demonstratio: 1. Probatur ex s. scriptura 317
2. Ex communi SS. Patrum doctrina 319
3. Ex communi theologorum sententia 326
4. Ex ratione theologica 327
5. Ex encyclica Leonis XIII.: ‚Providentissimus Deus‘ 330

Corollarium: 1. De verbis aliorum in scriptura relatis 332
2. De propriis vel personalibus hagiographorum affectibus dubiis, mandatis in scriptura expressis . . . 338
3. De argumentationibus scripturae 348

Scholion: 1. De fine scripturae 349
2. Obiectio quaedam expeditur 357

Thesis 14. Singulae constructiones singulaque verba scripturae materialia inspirata esse non videntur 359

Declaratio: 1. Status quaestionis 359
2. Diversae sententiae 360

Demonstratio: 1. Probatur ex natura et fine inspirationis 362
2. Ex elocutionis diversitate in diversis ss. libris observata 363
3. Ex allegationibus ipsorum hagiographorum 366
4. Ex eo, quod hagiographi sibimetipsis modum dicendi tribuunt 367
5. Ex scripturae indole et proprietatibus 369
6. Ex inanitate obiectionum 371

Scholion: 1. De recentiore quadam inspirationis verbalis explicatione 377
2. De ordine, quo res inspiratae referuntur 387
3. De dispositionibus et dotibus naturalibus hagiographorum 387
4. De s. scripturae eloquentia 389

Pagina

Articulus quintus.

De absoluta scripturae inerrantia.

Thesis 15. Sacra scriptura ab omni quidem errore absolute immunis est, verumtamen non eadem, sed diversa diversis eiusdem partibus vel sententiis quoque veritas convenit 392

Declaratio: 1. Argumentum praesentis articuli 392
2. Diversae hac de re doctrinae 393
3. Demonstrationis divisio; veritatis relativae notio . 404

Demonstratio: 1. p.: S. scriptura secundum normas fidei catholicae ab omni errore immunis dicenda est adeoque sententia opposita in eadem quidpiam falsi contineri posse contendens tamquam haeresis vel saltem error in fide computari debet 406
2. p.: Non eadem, sed diversa diversis scripturae partibus vel etiam sententiis veritas convenit 423
Nota: Tractatus finis 425

Index thesium 426

A. M. D. G.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS480.M847 C001
DE VERBO REVELATO OENIPONTE
3 0311 00016 1385
WITHDRAWN

32009
BS
480
.M847 Müller, Joseph.
AUTHOR
DE VERBO DEI REVELATO.
TITLE
DATE DUE | BORROWER'S NAME
7001
32009

3 0311 00016 1385